




EXERCITAMENTA CHRISTIANÆ PIETATIS.

AVCTORE D. PETRO CANISIO
Societatis IESV Theologo;

Indicem sequens pagina continet.

DE FONTIBVS

HAVRITE IN GAVDIO



SALVATORIS.

ISAIAE CAP. XII.

AVGVSTAE TAVRINORVM,
Apud Bartholomæum Zenarum,
M D LXXXIII.
Cum facultate superiorum.

Calendarium cum eius explicatione ſuccincta.

Epiſtolæ & Euangelia, quæ dominicis & feſtis diebus, tum quæ per Quadrageſimam, & Paſchalem hebdomadam, de more Catholico, in templis recitantur.

Accedunt ſcholia ſeu Summaria quæ vice Commentarii eſſe poſſunt.

Inſeruntur his ſacris lectionibus Collectæ quas vocãt, ſeu communes Eccleſiæ precationes, vna cum hymnis & canticis verè ſpiritualibus & piorum ſolenni more comprobatis.

Epiſtolæ Euangelia & Collectæ quæ in celebriũ Sanctorum feſtis diebus recitantur, vnà cum Summariis, eo modo quo dictum eſt.

Vitæ eorundem ex Romani Breuiarii Lectionibus.

Capita Doctrinæ Chriſtianæ, ſeu paruus Catechiſmus.

Ponuntur poſtremo loco Sacræ ſcripturæ teſtimonia aduerſus hæreticorum peſtes in promptu ſemper habenda, & aureæ Gregorii NaZianZeni aliquot ſententiæ.

Addita in hac poſtrema editione.

Addidit hac poſtrema editione D. Petrus Chriſtinus Taurinenſis Eccleſiæ Theologus Dogmatum obſeruationes in omnes Epiſtolas, Euangelia, & Vitas Sanctorum. Aliquot item Summaria, & Sanctorum Vitas, ex eodem Breu. Rom.

TYPOGRAPHVS
CHRISTIANO LECTORI
S. PRECATVR.



EXERCITAMENTORVM Pietatis Christianæ libellus hic (Christiane Lector) excellenter ob insignem quæ ex eo decerpitur vtilitatem, prædicatus, cum in manus meas incidisset, is mihi sane visus est, in quo excudendo non parum impensæ atque operæ collocarem; præsertim hortante, cui non obtemperare nefas esse putaui. Quare ad eum, quam possem elegantissime excudendum, animum appuli, tùm quod quæ Antuerpiæ Plantinus impresserat volumina distracta esse omnia, neque apud Bibliopolas vlla iam inueniri perferretur, tùm quod augeri & locupletari nonnulla adiectione posse videretur. In quo faciendo, cum suam beneuolè operam D. Petrus Christinus, Taurinensis Ecclesiæ Theologus, & publicus in huius vrbis Academia sacrarum literarum professor, pro sua in auctorem propensione, obtulisset; ea vsi, nihil prius habuimus, quam vt in tuas manus prætiosissima hæc gemma perueniret. Prodit igitur libellus hic, teq; adit (Christiane Lector) sola Christi, quem totus spirat, maiestate con-

tentus, omni omnium hominum conditioni accommodatiſsimus. Hoc Parrochi, hoc Ludimagiſtri, hoc patresfamilias, hoc in clerum aſſumpti, hoc Laici, publicè, priuatimq́; vti poſſunt. Quam enim facilè qui Paſtores animarum appellantur Diebus Dominicis, Feſtisq́; ſolemnibus quid Epiſtola atq; Euangelio quę in Miſſę ſacrificio recitantur, contineatur, ouibus ſuis pro concione ad benè beateq; viuendum ex Summarijs proponere poterunt, & ex Obſeruationibus, aduerſus graſſantes his temporibus hæreſes, ſuorum in Catholica Romana fide pectora confirmare, imò hæreticos ipſos ex ſcripturis, exemplisq; Sanctorum falſitatis arguere? Hoc ipſum Ludi magiſtri diſcipulis, Patres familias, familiæ ſuæ prẹ́ſtare valebunt, & quiſq; ipſe ſibi. Ita ſanè inſtructi, parati erimus omnes (quod Apoſtolus admonet) reddere rationem omni poſcenti, de ea quæ in nobis eſt fide, vt plenius auctoris monet Epiſtola. Vtere itaq; oblato tibi per nos bono, & hunc libellum quàm emendatiſsimum nocturna diuturnaq́; manu verſans, noſtris conatibus faueto, maiora vt ſemper, quæ tibi grata, & ad Dei laudē vtilia futura ſint moliri audeamus. Vale in Chriſto Ieſu. Taurini 9. Kal. Auguſti, 1583.

AVCTOR HVMANO LECTORI IN CHRISTO IESV S. P. D.



ECOGNOVI & auxi, quæ ſuperioribus annis maiore ex parte, nec vno quidem tempore, conſcripſerã: eaq́; ſparſa in vnum veluti faſcem compor tavi; colligata verò ſimul nunc in medium fero. Etenim haud abs re fore ducebã, ſi liber vnus coniuncta teneret, quæ argumẽti ſimilitudo, niſi planè fallar, eodem veluti colore imbuit. Tum optabam hæc prodeſſe pluribus, nec ſtudioſis tantũ inſeruire volebã: & ſi primum quidẽ in vſum ſcholarũ atq; ſtudioſorum conatus noſter deſtinabatur. Etenim ſi ante hac vnquã, nũc eſt imprimis operæ pretiũ, vt prò ſua quiſq; virili cõſulat Eccleſiæ labascenti, eaq́; in mediũ adferat omnia, quæ aduerſus Eccleſiæ hoſtes Catholicã pietatẽ aliqua ex parte confirmant ac promouẽt, Nam verè nunc tẽpus illud eſt, de quo diſertè Apoſtolus per ſpiritum ſanctũ fore prædixit, Erit tẽpus, cùm ſanã doctrinã non ſuſtinebũt, ſed ad ſua deſideria coarceruabũt ſibi magiſtros, prurientes auribus: & à veritate quidẽ auditũ auertent. Ac iterũ: Mali homines & ſeductores proficiẽt in peius, errãtes & in errorẽ mittẽtes: tu verò, inquit (velut vnũquenmq; Catholicũ propriè compellaret) PERMANE *in iis quæ didiciſti, & credita sũt tibi. Precamur à* CHRISTO IESV *opt. max. laborẽ hunc noſtrũ vt ipſe proſperet ad ſui nominis gloriã, & ad multorũ qui hæc qualiacũque lecturi sũt, emolumẽtum. In eodem* I E S V *Chriſto, eiusq́; eccleſia ſanctæ viue & vale lector, qui veram vitam & ſalutem eternam concupiſcis. Auguſtæ Vindelicorum.* CIↃ. IↃ. LXXIII.

DE CALENDARIO ET EIVS COMMODITATE ADMONITIO.

Res planè triuialis ac nullius ferè momenti vulgo existimatur, circa Calendarium versari, & in eo annum anniq; partes considerare. Norunt autem docti & æqui censores, Calendarium latè patere, & sapientissimos olim viros multum in eo excutiendo studii & operæ collocauisse, sed neque potest à quoquam rectè negari, quin Calendarii prudens animaduersio præter variam vtilitatem, voluptatem quoque liberalem, & eruditis piisq; mentibus dignam adferat. An verò humana solum industria, & non diuina potius prouidentia, contigisse dicemus, vt temporum series tam pulchrè quàm vtiliter distributa tot seculis immota perduret? Habet suum annum Ecclesia, & in anno menses: in his porrò dies sacros & prophanos (vt vulgus loquitur) concinnè simul & iucundè distinguit. Quæ anni distributio, si rem æquè perpendimus, acuit iudicium sapientum, populares recreat animos, negligentes etiam ac otiosos magnis sæpe de rebus commonefacit, tùm ad meditanda Conditoris & Redemptoris Dei beneficia potenter excitat: neque permittit sanctorum laudem, vitam, mortem & felicitatem vetustatis iniuria obscurari prorsus, aut ex nostra & hominum memoria tolli. Hinc fides & religio in Christianis animis confirmatur & alitur, hinc affectus sæpe pii excitantur, & omnium hominum ordines ad bene beateq; viuendum statis anni temporibus ac diebus nullo ferè negotio, & haud sine publico commodo pelliciuntur.

Vbi

Vbi non attinet dicere, quàm variè quidem iam olim men-ses numerauerint, & ex his annos inæquales fecerint. Apud Romanos quidem Romulus in menses decem annum diuisit. Numa verò duos illos, Ianuarium & Februarium, adiecit. sed rectius adhuc Iulius Cæsar annum ad solis cursum accommodauit, vt annus esset trecentorum sexagintaquinque dierum cum quadrante, quo factum est, vt sublatis mensibus intercalaribus, dies vnus quarto quoque anno intercalaretur. quem diem idcirco bissextum voluit appellari, quia bis sexto Calendas tunc dicimus, vnum tantum diem computantes, quia biduum hoc pro vno duntaxat die censetur. Cæterũ quod ad menses anni pertinet, Greci & Hebræi in illorum distributione cum Latinis congruunt hactenus, quod duodecim menses ab omnibus numerantur. Latinorum verò menses ad solis motum quadrant, neque menses alios quàm solares Romanus annus agnoscit. At solaris annus lunarem excedit diebus decem, horis viginti & vna, momentis autem CCIIII. Vnde factum est, vt Hebræi anno quem vocant, embolismico vti debuerint. Iam vt à mensibus ad hebdomadas transeamus, è sacris literis obscurum non est, quòd Hebræi mensem in hebdomadas (ipsi vocant Sabbata) diuidant. Vnde primum hebdomadæ diem, qui apud nos est Dominicus, appellant illi primam sabbati, deinde secundam, tertiam, quartam, quintam, sextam sabbati, quæ & parasceue dicitur, ordine numerant. Displicet autem D. Hieronymo & plerisque piis, nec immerito sanè, quòd etiamnum Christiani appellemus hebdomadæ dies hoc modo, Dies Lunæ, Martis, Mercurii, Iouis,

Veneris, Saturni: qui mos Ethnicus est planè, et initium ducit à planeta, qui primæ diei horæ imperare dicitur: vt dies Lunæ vocetur (exempli gratia) quia Luna in primam diei Lunæ horam suum imperium tenet. Qua ratione Plinius asserit, primis horis singulorum ordine dierum cuiuslibet planetæ imperium aßignari, iuxta orbium cælestium volutationem. Quo magis laudandus est Imperator Constantinus magnus, si Eusebio credimus, vel, vt alii volunt, æqualis eius Siluester Pont. Max. quorum alter in causa fuit, vt ethnicas, quas diximus, voces, in appellatione dierum Christiani missas facerent, & exploso veteri hoc fermento, hebdomadæ in ferias partirentur. Quod autem dies ita feriæ dicuntur, inde factum putant nonnulli, quòd sicut feriis ethnicorum non fas erat populo seruilia opera exercere, sic modò Christianos vni Deo singulis diebus vacare oporteat. Hæc de anno, mensibus & hebdomadis breuiter: non enim repetemus quæ scripserunt alii porrò de Calendis, Nonis, Idibus & id genus plerisque aliis. Fatemur ea in Calendario vtiliter considerari, sicut & illa quæ ad diem naturalem & ciuilem pertinent, cùm varias diei obseruationes diuina etiam scriptura complectatur. Verùm hæc persequi, haudquaquam huius est instituti: Beda consulatur.

OBSERVATIO.

Loco veteris Calendarij iam abrogati, nouum Gregorianum substitutum est Calendarium.

AD LECTOREM.

IN hoc Kalendario Ecclesiastico habentur, beneuole Lector, omnia festa, quorum meminit Romanum Breuiarium ex decreto Sacrosancti Concilij Tridentini restitutum: alijs multis insuper additis: sed ab istis distinguuntur, quæ Romani Breuiarij sunt, literis rotundis. Auctores, qui sanctorum historias scripserunt, succinctè hic indicati, latius annotantur in Vsuardi Martyrologio Louanij impresso, Anno 1573. Et plerique eorum excuduntur in Tomis Historiarum D. Laurentij Surij. Tempus passionis, vel confessionis, annotatum est ex sententia, aut Onuphrij aut alterius docti scriptoris. Vale. Kalend. Aug. Anno 1573.

TABVLA TEMPORARIA.

Anni Domini	Literæ Dñicales.	Aureus numerus	Epactæ.	Septuagesima.	Dies Cinerum.	Pascha.
1582	c	6	xxvj			
1583	b	7	vij	6 Feb.	23.Fe.	10. Apr.
1584	A g	8	xviij	29 Ia.	15.Fe.	1. Apr.
1585	f	9	xxix	17 Fe.	6.mar.	21. Apr.
1586	e	10	x	2 Feb.	19.Fe.	6. Apr.
1587	d	11	xxj	25. Ia.	11.Fe.	29.Mar.
1588	c b	12	ij	14.Fe.	2 mar.	17. Apr.
1589	A	13	xiij	29. Ia.	15.Fe.	2. Apr.
1590	g	14	xiiij	18 Fe	7 mar.	22.Apr.
1591	f	15	v	10.Fe.	27 Fe.	14 Apr.
1592	e d	16	xvj	25 Ia.	12 Fe.	29. Mar.
1593	c	17	xxvij	14.Fe	3 mar.	18. Apr.
1594	b	18	viij	6 Feb.	23 Fe·	10. Apr.
1595	A	19	xix	22 Ia.	8.Feb·	26.Mar.
1596	g f	1	j	11.Fe.	28.Fe·	14. Apr.
1597	e	2	xij	2.Feb.	19.Fe·	6. Apr.
1598	d	3	xxiij	18. Ia	4 Feb·	22.Mar.
1599	c	4	iiij	7. Fe	24.Fe·	11. Apr.
1600	b A	5	xv	30. Ia·	16.Fe.	2. Apr.
1601	g	6	xxvj	18. [illegible]e	7.mar.	22.Apr.
1602	f	7	vij	3.Feb.	20.Fe.	7.Apr.
1603	e	8	xviij	26. Ia.	12.Fe.	30.Mar.
1604	d c	9	xxix	15 Fe.	3.mar.	18. Apr.
1605	b	10	x	6.Feb	23.Fe.	10. Apr.

Anni Domini.	Ascensio	Pentecostes.	Corpus Christi.	Dñicæ post Pẽtec.	Prima Dominica Aduentus.
1582				23	28. Nou.
1583	19. Maij	29. Maij	9. Iunij	25	27. Nou.
1584	10. Maij	20. Maij	31. Maij	27	2. Dec.
1585	30. Maij	9. Iunij	20. Iunij	24	1. Dec.
1586	15. Maij	25. Maij	5. Iunij	26	30. Nou.
1587	7. Maij	17. Maij	28. Maij	27	29. Nou.
1588	26. Maij	5. Iunij	16. Iunij	24	27. Nou.
1589	11. Maij	21. Maij	1. Iunij	27	3. Dec.
1590	31. Maij	10. Iunij	21. Iunij	24	2. Dec.
1591	23. Maij	2. Iunij	13. Iunij	25	1. Dec.
1592	7. Maij	17. Maij	28. Maij	27	29. Nou.
1593	27. Maij	6. Iunij	17 Iunij	24	28. Nou.
1594	19. Maij	29. Maij	9. Iunij	25	27. Nou.
1595	4. Maij	14. Ma j	25. Maij	28	3. Dec.
1596	23. Maij	2. Iunij	13. Iunij	25	1. Dec.
1597	15. Maij	25. Maij	5. Iunij	26	30. Nou.
1598	30. Apr.	10. Maij	21. Maij	28	29. Nou.
1599	20. Maij	30. Maij	10. Iunij	25	28. Nou.
1600	11. Maij	21. Maij	1. Iunij	27	3 Dec.
1601	31. Maij	10. Iunij	21. Iunij	24	2. Dec.
1602	16. Maij	26. Maij	6. Iunij	26	1. Dec.
1503	8 Maij	18. Maij	29. Maij	27	30. Nou.
1604	27. Maij	6. Iunij	17 Iunij	24	28. Nou.
1605	19. Maij	29. Maij	9. Iunij	25	27. Nou.

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	A	CIRCVNCISIONIS *Domini*
Non.4.	2	b	*Adalardi, abbatis in Corbeia*
Non.3.	3	c	*Genouefæ virginis, Parisiis*
Pridie.	4	d	*Titi Episcopi Cretensis*
			Pharaildis virginis, Gandaui
Nonis.	5	e	*Simeonis monachi, Antiochiæ*
Idus 8.	6	f	EPIPHANIAE *Domini*
Idus 7.	7	g	*Luciani presb. martyris*
Idus 6.	8	A	*Gudilæ virginis, Bruxellæ*
Idus 5.	9	b	*Iuliani & Basilißæ*
Idus 4.	10	c	*Nicanoris diaconi mart.*
Idus 3.	11	d	Higinij *papæ & mart.*
Pridie.	12	e	*Arcadii martyris*
Idibus.	13	f	*Remigii episcopi, Remis*
Cal.19.	14	g	Hilarij *episc. Pictauorum*
			Felicis *Nolani presbyteri*
			Pontiani Spoletani mart. Vltraiecti
Cal 18.	15	A	Pauli *primi Eremitæ Thebaidis*
			Mauri abbatis discip. S. Benedict.
			Nominis IESV
Cal.17.	16	b	Marcelli *papæ & mart.*
Cal.16.	17	c	ANTONII *abbatis Aegyptii*
Cal.15.	18	d	CATHEDRAE S. *Petri Romæ*
			Priscæ *virg. mart. Romæ*
Cal.14.	19	e	Marij *& sociorum ex Perside, Romæ*
Cal.13.	20	f	Fabiani *papæ martyris*

Anni Dñi.	Pafsionis tẽpus.	Aucto. q de his fcripferũt
1	1	*Sub Cæfare Augusto, Lucæ 2.*
2	828	*Sub Ludouico. Pafchafius.to.1. surii.*
3	512	*Sub Clodoueo Gr.Turo. surius ex Ms. & alii*
4	94	*Sub Traiano. Paulus in epist. Vfuardus*
	665	*Sub Constantio 3. Meierus*
5	430	*Sub Theodofio 2. Theodoretus. Euagrius*
6	1	*Sub Herode. Matth.2.*
7	307	*Sub Maximino. Eufeb.lib.9.Metaphraftes*
8	670	*Sub Constantino 4. surius ex Ms.*
9	281	*Sub Diocl. Metaphraftes*
10	45	*Sub Claudio. Act.6. Vfuardus*
11	142	*Sub Antonino Pio. Dama.pont. 10.*
12		*Tempus non exprimitur. Zeno Vero. to.1. surii*
13	545	*Sub Clodoueo. Hincmarus Epifc.Rem.*
14	337	*Sub Valente. Rufinus. Fortunatus.to.1. pag.264.*
	300	*Sub Diocletiano. Paulini natales. Beda*
	154	*Sub Antonino. Ado 19. Ianuarii. surius*
15	343	*Sub Constante. Hieronymus*
	582	*Sub Iustiniano 2. Faustus collega.to. 1. surii*
	1530	*Clemens fcpt.inftitut. Bernardus in cãt.fer.14. 15.*
16	310	*Sub Maximino. Dam.pont.31. Gefta to.1. surii.*
17	357	*Sub Conftantio Athanafius.*
18	44	*Sub Claudio* — *Eufeb.l.2.hift. Onuph.in Pau.4*
	45	*Sub Claudio* — *Notarii Rom. Eccl.*
19	45	*Sub Claudio* — *Iidem in geftis Valẽtini presb.*
20	251	*Sub Decio. Damafus cap.21. Cyprianus*

			SEBASTIANI *mar. Romæ*
Cal. 12	21	g	Agnetis *virg. mar. Romæ*
Cal. 11	22	A	Vincentij *martyris, Hispani*
			Anastasij *Persæ martyris*
Cal. 10	23	b	Emerentianæ *virg. & mart.*
Cal. 9.	24	c	Timothei *episcopi, Ephesi*
Cal. 8.	25	d	CONVERSIONIS *Pauli*
Cal. 7.	26	e	Polycarpi *episcopi, Smyrnæ*
Cal. 6.	27	f	IOANNIS *Chrysostomi*
Cal. 5.	28	g	*Caroli magni Imp. Aquisgrani*
			Agnetis *secundò*
Cal. 4.	29	A	*Papiæ & Mauri martyrum, Romæ*
Cal. 3.	30	b	*Aldegundis virginis, Malbodii*
Pridie.	31	c	*Methrani martyris, Alexandriæ*

FEBRVARIVS habet dies XXVIII.

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	d	Ignatij *episc. Antioch. mar.*
			Brigidæ virginis, Scotæ
Non. 4.	2	e	PVRIFICATIONIS *beatæ Mariæ*
Non. 3.	3	f	Blasij *episc. Sebastæ martyris*
Pridie.	4	g	*Phileæ episcopi, martyris*
Nonis.	5	A	Agathæ *virg. martyris, Siculæ*
Idus 8.	6	b	Dorotheæ *virg mar.* Cappad.
			Amandi episc. Leodiensis
			Vedasti episc. Atrebatum
Idus 7.	7	c	*Mosetis episc. Saracenorum*
Idus 6.	8	d	*Cointæ virg. & mart.*

	301		Gesta.to.1. Surii
21	304	Sub Diocl. & Maxim.	Ambrosius ser.90.
22	301		Metaph. August. Prud.
	635	Sub Heraclio. Metaphr. Septima synodus	
23	304	Sub Diocl. Ambr de Agnete	
24	104	Sub Traiano Act.16. Metaphrastes	
25	35	Sub Tiberio. Act.9 22.	
26	168	Sub Marco Antonino. Euseb lib.4. hist.	
27	407	Sub Arcadio Palladius. Caßiod Geor. Alex. Metaph.	
28	314	Sub Leone 3. Eginhartus	
	304	Sub Dioclet. Innoc.3. de Mißa.l.2.c.52.	
29	310	Sub Maximino. Gesta Marcelli papæ	
30	643	Sub Dagoberto. Martyrolog. Beda Hucbaldus	
31	247	Sub Decio. Eus.6. hist. cap.34.31. Rufini	

FEBRVARIVS habet dies XXVIII.

Anni Dñi.	Paßionis tẽpus.	Aucto.q de his scripsérũt.
1	110	Sub Traiano Euseb.l.3. Hist. Hier. Metaphr.
	526	Sub Iustino Vita per Laur. Dunelmensem
2	1	Sub Octauiano. Luc.2.
3	286	Sub Dioclet. Ado Metaphr.
4	304	Sub Maximino. Euseb lib.8. hist. cap.10.
5	253	Sub Decio. Martyr. ex gestis, to.1. Surii Fazellus.
6	286	Sub Dioclet. Beda in Martyrol Gesta apud Suriũ
	661	Sub Dagob. Baudemundus & Milo Elnonensis
	53	Sub Clodoueo. Alcuinus tomo 1. Surii
7	379	Sub Valente. Ruf.11. hist. cap.6. Sozomenus
8	252	

Idus 5.	9	e	Apolloniæ *virg mart.*
Idus 4.	10	f	*Scholasticæ sororis s. Benedicti*
			Guilelmi ducis Aquitaniæ
Idus 3.	11		*Seuerini abb. in Castro Nantonensi*
Pridie.	12	A	*Eulaliæ virginis, & mart. Barcinone*
Idibus.	13	b	*Tranquillini martyris presb.*
Cal.16.	14	c	Valentini *presbyteri mart. Romæ*
Cal.15.	15	d	Faustini & Iouitæ *mart. Brixiæ*
Cal.14.	16	e	*Iulianæ virg.martyris, Nicomediæ*
Cal.13.	17	f	*Polycronii episc. Babylonis, mart.*
Cal.12	18	g	Simeonis *episc.Hieros.mart.*
Cal.11.	19	A	*Gabini presb. mart. Romæ*
Cal.10.	20	b	*Eleutherii episc. Tornacensis*
Cal.9.	21	c	*Septuaginta nouem martyrum*
Cal.8.	22	d	CATHEDRAE *Petri. Antiochiæ*
Cal.7.	23	e	*Septuaginta duorum martyrum*
Cal.6.	24	f	MATTHIAE *Apostoli* *
Cal.5.	25	g	*Tarasii episc. Constantinopolis*
Cal.4.	26	A	*Alexandri episcopi, Alexandriæ*
Cal.3.	27	b	*Leandri episc.Hispal.Apost. Gothorum*
Pridie.	28	c	*Romani abbatis, in Gallia*

In bisexto addes diem geminando f & Calend.6.

9	252	*Sub Decio. Hist. Eccles. 6. cap. 34 Ruffini 31.*
10	535	*Sub Iustiniano. Greg. 2. dial. cap. 33. 34.*
	1160	*Sub Frederico. Theobaldus, hac die.*
11	530	*Sub Clodoueo. Faustus discipulus Seuerini.*
12	286	*Sub Daciano. Martyrologia, Tarapha.*
13	285	*Sub Dioclet. Gesta S. Sebastiani.*
14	45	*Sub Claudio. Gesta per Notarios R. E.*
15	120	*Sub Adriano. Ado Treuirensis, Surius.*
16	307	*Sub Maximino. Metaphrastes.*
17	253	*Sub Decio. Gesta S. Laurentii.*
18	109	*Sub Traiano. Euseb. lib. 3. hist.*
19	286	*Sub Diocl. Gesta Susannæ mar. Ms.*
20	484	*Sub Zenone. Meierus in Flandriæ annalibus.*
21	286	*Sub Dioclet. Martyrologium.*
22	37	*Sub Tiberio. Iuo Carnotensis serm. vlt.*
23	287	*Sub Max. & Diocl. Vsuardus.*
24	66	*Sub Nerone. Act. 1. Clemens Alexandr.*
25	806	*Sub Carolo mag. Egnatius, to. 1. Surii.*
26	318	*Sub Constantino. Rufinus 10. hist. eccles. Theod.*
27	610	*Sub Phoca. Gregor. in moral. & 3. dial.*
28	690	*Sub Chilperico. Turonensis de vita patrum. c. p.*

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	d	*Albini episcopi, Andegauis*
Non. 6.	2	e	*Ceaddæ episcopi in Britannia*
Non. 5.	3	f	*Kunegundis virginis, vxoris.*
Non. 4.	4	g	*Lucii papæ & mart.*
			Adriani mart. Nicomediæ
Non. 3.	5	A	*Adriani mart. Palæstini*
Pridie.	6	b	*Fridolini confessoris, Seconiæ*
Nonis.	7	c	THOMAE *Aquinatis*
			Perpetuæ & Felicitatis *mar in Afr.*
Idus 8.	8	d	*Hunfridi episc. Taruanensis, Ipris*
Idus 7.	9	e	Quadraginta *mar. Sebastæ*
Idus 6.	10	f	*Attalæ abbatis Luxouii*
Idus 5.	11	g	*Vindiciani episc. Atrebat.*
Idus 4.	12	A	GREGORII *Magni, Anglorũ Apostoli*
Idus 3.	13	b	*Nicephori patriarchæ Constant.*
Pridie.	14	c	*Quadragintaseptem mar. Romæ*
Idibus.	15	d	*Longini militis mart.*
Cal. 17.	16	e	*Heriberti episc. Coloniensis*
Cal. 16.	17	f	*Patritii Hibernorum Apostoli*
			Gertrudis virginis, Niuellæ
Cal. 15.	18	g	*Cyrilli episcopi Hierosolym.*
Cal. 14.	19	A	Ioseph *Nazareni, confessoris*
			Landoaldi archipresb. Gandaui
Cal. 13.	20	b	*Guthberti episcopi Lindisfarnensis*
			Vlfranni episc. Senonensis, Gandaui
Cal. 12.	21	c	BENEDICTI *abbatis. Caßini*

Anni	Dñi. Pasſionis tẽpus.	Aucto. q de his ſcripſerũt
1	810	*Sub Carolo magno. Fortunatus. Turonenſis.*
2	746	*Sub Conſtantino iconomaco. Beda in hiſt. Angl.*
3	1005	*Henrici primi Adelbodus epiſc. Vltraiect Suriu*
4	255	*Sub Valeriano Dama. pont. 23. Cypr. ep. 58. 67.*
	306	*Sub Maximiano. Ado in martyrologio ex geſtis*
5	300	*Sub Diocletiano. Euſeb. 8 hiſt eccleſ. cap. 21.*
6	500	*Sub Anaſtaſio. Nodgerus abbas. Ms.*
7	1274	*Sub Gregorio 10 Ioan Garzo Ioann. 22. Sur.*
	254	*Sub Valer. & Galieno. Auguſtinus in ſerm.*
8	869	*Sub Ludouico 2. Meierus in Flandriæ comm.*
9	313	*Sub Licinio. Baſilius ho. 20. Sozo. l. 9.*
10	600	*Sub Mauritio Ionas tom. 3. Bedæ. 2. Surii.*
11	670	*Sub filiis Clodouei. Indiculus Sanctorum Belgii*
12	604	*Sub Phoca. Ioannes diaconus & Paulus. Beda.*
13	815	*Sub Ludouico Pio. Theophanes, hac die.*
14	50	*Sub Nerone. Vſuardus ex paſſ. Proceſſi.*
15	45	*Sub Claudio. Ioan. 19 Geſta per Metaph.*
16	1021	*Sub Henrico 1. Rupertus et Lambertus Tuiciẽſ*
17	427	*Sub Theod. 2. Probus. tom. 3. Bedæ Iocelinus*
	664	*Sub Dagoberto. Geſta lib. 3. & lib. vnico*
18	362	*Sub Conſtantio & Iuliano. Grodecius*
19	1	*Sub Auguſto Matth. 1. Luc. 1. 2. Gerſon*
	646	*Sub Conſtantio 3. Nodgerus abbas. Meierus*
20	747	*Sub Conſtantino iconomaco. Beda*
	691	*Sub Pipino craſſo. Ionas abbas. Meierus.*
21	542	*Totila regnante. Gregorius 2. Dialog.*

*Cal.*11	22	d	*Harlindis virginis, apud Maeseike.*
*Cal.*10.	23	e	*Frumentii & sociorum, in Africa*
*Cal.*9.	24	f	*Pigmenii presb. mart. Romæ*
			Simonis pueri, Tridenti, mart.
*Cal.*8.	25	g	ANNVNCIATIONIS *beatæ Mariæ*
*Cal.*7.	26	A	*Ludgeri episc. Monasteriensis*
*Cal.*6.	27	b	*Ioannis eremitæ Aegyptii*
*Cal.*5.	28	c	*Guntranni regis, Cabilone*
*Cal.*4.	29	d	*Marci Arethusii episc. mart.*
*Cal.*3.	30	e	*Veroni confessoris, Lembecæ*
Pridie.	31	f	*Balbinæ virginis Romæ.*

APRILIS habet dies XXX.

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	g	*Hugonis episc. Gratianopoli.*
Non 4	2	A	*Mariæ Aegyptiacæ pœnitentis*
Non 3	3	b	*Agapes, Chioniæ, Irenes, virg. mart.*
Pridie.	4	c	AMBROSII *episc. Mediolani*
Nonis.	5	d	*Vincentii confess. ord. Prædic.*
Idus 8.	6	e	*Cælestini papæ*
Idus 7.	7	f	*Egesippi historici*
Idus 6.	8	g	*Dionysii episc. Corinthiorum*
Idus 5.	9	A	*Vvaldetrudis, Montibus Hannoniæ*
Idus 4.	10	b	*Martyrum submersorum*
Idus 3.	11	c	Leonis *primi papæ & confess.*
Pridie.	12	d	*Iulii primi, papæ & confessoris*
Idibus.	13	e	*Hermengildi martyris*
*Cal.*18	14	f	Tiburtij, Valeriani, & Maximi

22	718	*Sub Leone iconomacho Placentim.*
23	486	*Sub Hunerico. Victor lib. 3.*
24	362	*Sub Iuliano. Beda in martyr.*
	1475	*A Iudæis, sub Frederico 3. Matthias Tyberinm.*
25		*Sub Octauiano. Luc. 1. Iuuencus.*
26	762	*Sub Carolo mag. Cœnobium S. Ludgeri.*
27	380	*Sub Theodosio 1. Ruf. lib. 11. hist. cap. 19.*
28	688	*Filii Clotarii regis. Greg. Turonensis.*
29	362	*Sub Iuliano NaZianZ. Trip. lib. 6.*
30	855	*Sub Lothario. Olbertus abbas Gemblaci.*
31	116	*Sub Traiano. Beda ex gestis Alexandri.*

APRILIS habet dies XXX.

Anni	Dñi. Passionis tẽpus.	Aucto. q̃ de his scripserũ
1	1107	*Sub Henrico 4. Guigo ad Innocen. 2.*
2	526	*Sub Iustino. Sophron. episc. Niceph. l. 17. c. 5.*
3	285	*Sub Dioclet. & Max. Metaphrast. Gesta Ana*
4	364	*Sub Valent. & Thed. 1. Paulinus Costerius.*
5	1240	*Sub Freder. 2. Flaminius de illust. Pred. Pet. Rau*
6	432	*Sub Theodosio 2. Pontif. c. 46. Prosper.*
7	120	*Sub Hadriano. Euseb. l. 4 hist. eccles.*
8	178	*Sub Marco Antonino. Euseb. lib. 4.*
9	645	*Sub Dagoberto. Chronicon Hannoniæ*
10	117	*Sub Traiano. Gest. Alexandri Papæ*
11	461	*Sub Leone Augusto Pontif. c. 47. Canisius.*
12	353	*Sub Constantio Arriano. Damasus c. 36.*
13	608	*Sub patre rege Visigothorum. Greg. 3. dialog. 31.*
14	225	*Sub Alexandro. Gesta Cæciliæ.*

*Cal.*17.	15	g	*Olympiadis & maximi martyrum*
*Cal.*16	16	A	*Octodecim martyrum, Cæsaraugustæ*
*Cal.*15	17	b	Aniceti *papæ & martyris*
*Cal.*14	18	c	*Vrsmari Lobiensis, Binchii*
*Cal.*13	19	d	*Alphegi episc Cantuar. Mart.*
*Cal.*12	20	e	*Sulpitii &* Seruiliani *mart. Romæ*
*Cal.*11	21	f	*Anselmi episc. Cantuariæ*
*Cal.*10	22	g	Sotheris / Caij } *papæ & martyris*
*Cal.*9.	23	A	Georgij *martyris*
Cal 8.	24	b	*Melliti episcopi, Britanni*
*Cal.*7.	25	c	MARCI *Euangelistæ*
*Cal.*6.	26	d	Cleti *papæ & martyris*
			Marcellini *papæ & martyris*
*Cal.*5.	27	e	*Anthimi episc. & mart. Nicomediæ*
*Cal.*4	28	f	Vitalis *martyris, Rauennæ*
*Cal.*3.	29	g	*Petri inquisitoris mart. ord. Prædic.*
Pridie.	30	A	*Quirini martyris, Romæ*

MAIVS habet dies XXXI.

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	b	PHILIPPI *Apostoli in Scythia et Phry.*
			IACOBI *Apostoli Hierosolymis*
*Non.*6.	2	c	Athanasij *episc. Alexandriæ*
Non. 5.	3	d	INVENTIONIS S. *Crucis, per Helenam*
			Alexandri, Euentij, & Theodoli
			Iuuenalis *episc. & conf. Narniensis*
Non. 4.	4	e	Monicæ *matris* S. *Augustini*

15	259	*Sub Valeriano. Gesta Laurentii*
16	286	*Sub Daciano. Prudentius*
17	163	*Sub Marco Anton. & L. Aurelio Dam c.12.*
18	713	*Sub Pipino seniore Ratherius episcop.*
19	1006	*Sub S Henrico. Osbernus Cantuariensis.*
20	103	*Sub Traiano. Vsuardus ex gestis Nerei.*
21	1056	*Sub Henrico 2. Edinerus libris duobus*
22	171	*Sub Antonino Vero. Damasus pont. 13.*
	296	*Sub Dioclet. Damasus pont. 29.*
23	286	*Sub Dioclet. Metaph & alii.*
24	500	*Sub Gregorio 1. Beda in hist. Angl.*
25	63	*Sub Nerone Euseb Hier. Petrus Damiani.*
26	84	*Sub Domitiano. Damasus pont. 4.*
	304	*Sub Dioclet. Damasus pont. 30.*
27	290	*Sub Dioclet. Euseb. lib. 3 cap. 6. Metaph.*
28	51	*Sub Nerone. Ambros. Petrus Damiani*
29	1152	*Sub Henrico 6. Ioan. GarZo. Thomas Lentinus.*
30	116	*Sub Traiano. Gesta Alexandri papæ.*

MAIVS habet dies XXXI.

Anni	Dñi. Passionis tēpus.	Aucto. q de his scripserūt
1	53	*Sub Claudio Ioan. 1. 6. 12. 14 Euseb. lib 3.*
	63	*Sub Nerone Euseb. lib 2. Epiph. her. 78.*
2	371	*Sub Valente. Hist. Eccles. Lucifer episc. Metaph*
3	326	*Sub Constantino. Rufinus, Ambros.*
	117	*Sub Traiano Damasus pont. 7. Gesta.*
	..	*...., Greg. Homilia 27. Euang. Breuiar. Rom.*
4	379	*Sub Theodosio. August. lib. nono confess.*

Non 3.	5	f	*Hilarii episc. Arelatensis*
Pridie.	6	g	IOANNIS *ante portam Latinam*
Nonis.	7	A	*Flauiæ Domitillæ virg. & mart.*
Idus 8.	8	b	Apparitio s. *Michaelis Siponti*
Idus 7.	9	c	Gregorij *NaZianZeni episcopi*
Idus 6.	10	d	Gordiani & Epimachi *mar. Romæ*
Idus 5.	11	e	*Mamerti episc. Viennensis Galliæ*
Idus 4.	12	f	Nerei & Archilei *mart. Romæ*
			Pancratij *mart. Romæ*
Idus 3.	13	g	*Seruatii episc. Leodiensis*
Pridie.	14	A	Bonifacij *mart. Romæ*
Idibus.	15	b	*Dympnæ virg. & mart. Ghelæ*
Cal. 17.	16	c	*Peregrini mar. episc. primi Antisiod.*
Cal. 16.	17	d	*Torpetis martyris, Pisani*
Cal. 15.	18	e	*Erici Regis Suetiæ & martyris*
Cal. 14.	19	f	Potentianæ *virginis, Romæ*
			Iuonis aduocati pauperum, in Galliæ
Cal. 13.	20	g	*Bernardini Senensis, ord. Minorum*
Cal. 12.	21	A	*Hospitii inclusi & conf. in Galliæ*
Cal. 11.	22	b	*Casti & Aemilii mart. Afric.*
Cal 10.	23	c	*Guiberti confeßoris, Gemblaci*
Cal. 9.	24	d	*Ioannæ matronæ, vxoris Chusæ*
Cal 8.	25	e	Vrbani *papæ & martyris*
Cal. 7.	26	f	Eleutherij *papæ & martyris*
Cal 6.	27	g	Ioannis *papæ & martyris*
Cal. 5.	28	A	*Germani episc. Parisiis*
Cal. 4.	29	b	*Maximi episc. Treuiris*
Cal. 3.	30	c	Felicis *primi, papæ & mart.*
Pridie.	31	d	Petronillæ *virg. Romæ*

5	370	*Sub Valētiniano. Gennadius de vi. ill.*
6	940	*Sub Domitiano. Tertullianus de præscript.*
7	92	*Sub Domitiano. Euseb. Gesta Nerei.*
8	495	*Sub Gelasio* 1. *Homiliare Doctorum.*
9	372	*Sub Valente. Gregorius presb. Simeon. Hieronym.*
10	362	*Sub Iuliano. Beda ex gestis, pag.* 151. *Surii.*
11	457	*Sub Leone. Ado Viennensis episc.*
12	92	*Sub Domitiano. Gesta per Notarios.*
	286	*Sub Dioclet. Martyr. ex gestis.*
13	390	*Sub Theodosio* 1. *Turonensis* 2. *hist.* 5. *& de gl. cōf.*
14	286	*Sub Dioclet. Ado Nonis Iunii, & Metaphr.*
15	720	*Sub Car. Martello. Surius to.* 3.
16	130	*Sub Hadriano Vsuardus.*
17	50	*Sub Nerone. Vsuardus ex gestis.*
18	1160	*Sub Frederico. Magnus hist. Gothorum l.* 19.
19	140	*Sub Antonino Pio. Beda ex gestis.*
	1347	*Canonizat Clemens sextus. Bulla eiusdem.*
20	1443	*Sub Frederico* 3. *Bulla Nicolai quinti Anonymus*
21	564	*Sub Childeberto rege. Paulus Diacon. Gr. Turon*
22	241	*Sub Gordiano. Cyprianus de lapsis.*
23	962	*Sub Othone imp. Sigebertus Gemblac.*
24	34	*Sub Tyberio. Luc.* 8.24.
25	231	*Sub Alexandro. Damasus cap.* 18.
26	186	*Sub Commodo. Damas. c.* 14.
27	526	*Sub Iustino* 1. *Pontifi. c.* 55. *Greg.* 4. *dial.*
28	574	*Sub Iustino* 2. *Fortunatus episcopus.*
29	346	*Sub Constantio. Hier. in Chronicis.*
30	275	*Sub Aureliano. Damasus c.* 27.
31	35	*Sub Tyberio, Martyrolog. ex S. Marcello.*

			Sanctorum feriæ.
Calend.	1	e	*Pamphili presbyt. martyris Cæsareæ*
Non. 4.	2	f	Marcellini & Petri *mar. Romæ*
			Erasmi *episc. & mar. Campani*
Non. 3	3	g	*Crotildis vxoris Clodouci regis*
Pridie.	4	A	*Quirini episc. mar. Sciscia*
Nonis.	5	b	*Bonifacii episc. mar. in Frisia*
Idus 8.	6	c	*Guduali archiepisc. Gandaui*
Idus 7.	7	d	*Pauli episc* Constant. *mart.*
Idus 6.	8	e	*Medardi episcopi Nouiomi*
Idus 5.	9	f	Primi & Feliciani *martyrum Romæ*
Idus 4.	10	g	*Basilidis & socior. mar. Romæ*
Idus 3.	11	A	BARNABAE *Apostoli*
Pridie.	12	b	Basilidis, Cyrini *& duorum mart. Romæ*
			Odulphi presbyteri, Vltraiecti
			Cuneræ virg. & mar. opp. Rhenensi
Idibus.	13	c	*Antonii de Padua ord. Minorum*
Cal. 18	14	d	Basilij *episc.* Cæsar. Cappad.
Cal. 17.	15	e	Viti, Modesti, & Crescent. *mart.*
Cal. 16.	16	f	*Ferreoli & Ferrutii mar. Bisuntii*
Cal 15	17	g	*Vulmari confessoris*
Cal. 14	18	A	Marci & Marcelliani *mar. Romæ*
Cal. 13	19	b	Geruasij & Protasij *mar. Mediolani*
Cal. 12	20	c	Sylueri *papæ & martyris*
Cal. 11	21	d	*Albani episc. & mar Maguntiæ*
Cal. 10	22	e	Paulini *episc. & confess. Nolæ*
			Decem millium mart. Alexand.

ni Dñi.	Paſsionis tẽpus Aucto. q de his ſcripſerũ
287	Sub Maximiano. Euſ. l 8. c. 17. & 21. Simeon M
286	Sub Diocle. Ado ex geſtis, quæ Surius habet (tapl
286	Sub eodem. Beda. in Martyrologio
522	Sub Iuſtino Greg. Turon. in hiſt. Franc.
310	Sub Galerio Prudentius hym. 3 Lazius.
738	Sub Leone 3. Vuilibaldus, Ad Fuldenſes libri du
859	Transfertur ab Arnulpho Comite Surius
350	Sub Conſtantio. Tripartita. Metaphr.
537	Sub Iuſtiniano. Vita per Fortunatum
281	Sub Diocl. & Maxim. Beda. Ado. Surius.
273	Sub Aureliano Vſuardus
50	Sub Nerone. Act. 11. & ſeq. Sixtus in biblioth.
185	Sub Maximiano. Beda in Martyr.
862	Sub Ludouico 2. Hiſtoria pag. 602. Surii.
450	Sub Valẽtiniano Hiſt. to. 2. legẽdæ An. 1485. edit.
1231	Sub Ludouico 4. Anonymus eiuſdem Ordinis
369	Sub Valente, Amphilochius tom. 1. Surii
282	Sub Diocl. & Max. Surius ex antiquiſſ. Ms.
175	Sub Marco Anton. Vſuardus.
668	Sub filiis Clodouei. Meierus. Surius
301	Sub Diocl. Geſta S. Sebaſtiani
51	Sub Nerone. Ambroſ. epiſt. 85. ſerm. 91. Metaph
538	Sub Iuſtiniano. Pontif cap. 60.
285	Sub Dioclet Beda in Martyr. Rupertus
421	Sub Theodoſio 2. Greg. 3. dial Hier. Aug.
116	Sub Adriano. Anaſtaſius biblioth.

Cal. 9.	23	f	*Ediltrudis virg. in Anglia*
Cal. 8.	24	g	IOANNIS *Baptistæ*
Cal. 7.	25	A	*Eligii episc. Nouiomi, Apostoli Flandriæ*
			Adelberti archidiaconi, Egmondæ
Cal. 6.	26	b	Ioannis & Pauli *mart. Romæ*
Cal. 5.	27	c	*Septem dormientium, Ephesi*
Cal. 4.	28	d	Leonis *papæ & confess. secundi*
Cal. 3.	29	e	PETRI & PAVLI *Apostolorum*
Pridie.	30	f	COMMEMORATIO *sancti Pauli*

IVLIVS habet dies XXXI.

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	g	*Rumoldi archiepisc. mart. Mechliniæ*
			Theodorici abbatis, apud Remos
Non 6.	2	A	VISITATIONIS *beatæ Mariæ.*
			Processi & Martiniani
Non. 5.	3	b	*Thomæ Apostoli translatio, Edessæ*
Non. 4.	4	c	*Martini episc. translatio Turonis.*
Non 3.	5	d	*Zoæ martyris*
Pridie.	6	e	*Godoleuæ mart. Gestellæ in Flandria*
Nonis.	7	f	*Pantæni presbyt. Alexandr.*
Idus 8.	8	g	*Kiliani episc. Herbipolensis*
Idus 7.	9	A	*Ephræm diaconi, Edessæ*
Idus 6.	10	b	Septem *fratrum mart. Romæ*
			Rufinæ & Secundæ
			Amelbergæ virginis, Gandaui
Idus 5.	11	c	Pij *papæ & martyris*
Idus 4.	12	d	Naboris & Felicis

675	*Sub Constantino 5. Beda lib. 4. hist. c. 19. 20.*
	Sub Oct. Luc. 1. Mat. 3. 11. Mar. 1. 6. Io. 1. 3. 5. Cã.
630	*Sub Heraclio. S. Audoënus episc.*
736	*Sub Vvillibrordo episc. Cœnobitæ Medelocensis.*
354	*Sub Iuliano. Paßio per Terentianum.*
251	*Sub Decio. Turonensis de martyribus, cap. 95.*
683	*Sub Constantino 5. Pontificale, cap. 82.*
68	*Sub Nerone. Hier. in catal. Egesippus.*
68	*Gregorius 1. institut. Micrologus, cap. 42.*

IVLIVS habet dies XXXI.

ni Dñi.	Pasionis tẽpus. Aucto. q de his scripserũt.
760	*Sub Pipino Rege. Vsuardus auctus*
544	*Sub Clodoueo. surius tomo 4.*
1388	*Vrbanus 6. institut. Bulla Bonif. noni. Luc. 1.*
53	*Sub Nerone. Gesta. Gregorius papa*
378	*Sub Valentiniano. Ruffinus lib. 11. cap. 5.*
446	*Sub Chilperico. Gr Turonen. l. 2. hist. c. 14.*
301	*Sub Diocl. Vsuardus ex gestis s. Sebastiani*
1070	*Sub Henrico 3. Drogo sacerdos*
39	*Sub Caligula. Euseb. hist l. 5. & 6.*
630	*Sub Heraclio. Historiam habet surius.*
372	*Sub Valẽtiniano. Greg. Nißenus. Metaph. 1. Febr.*
136	*Sub Adriano. Gesta per Notarios R.E.*
262	*Sub Valeriano & Gal. Ado. Aldhelmus. Gesta*
772	*Sub Pipino Rege. Radbodus episcop. Vltraiect.*
153	*Sub Antonino Pio. Damasus pont. 11.*
287	*Sub Max. & Diocl. Paulinus in vita Ambr.*

Idus 3.	13	c	Anacleti, *papæ & martyris*
Pridie.	14	f	Bonauenturæ, *pontif. & confeſ.*
			Henrici imperat. Bambergæ
			Vincentii confeſſoris, Sonegiis
Idibus.	15	g	*Diuiſionis Apoſtolorum*
Cal. 17.	16	A	*Euſtatii epiſc & confeſſ. Antiochiæ*
Cal. 16.	17	b	Alexij *confeſſoris, Romæ*
Cal 15.	18	c	Symphoroſæ *cum ſeptem filiis*
			Frederici epiſc. mart. Vltraiecti
Cal 14.	19	d	*Arſenii eremitæ, in Thebaide*
Cal. 13.	20	e	Margaritæ *virg. & mar. Antioch.*
Cal. 12.	21	f	Praxedis *virginis, Romæ*
Cal. 11.	22	g	MARIAE *Magdalenæ Maſsiliæ*
Cal 10.	23	A	Apollinaris *epiſc. mar. Rauennæ*
Cal. 9.	24	b	Chriſtinæ *virg. & mar. in Tyro*
Cal. 8.	25	c	IACOBI *maioris, Apoſtoli*
			Chriſtophori *mar. in Lycia*
Cal. 7.	26	d	ANNAE *auiæ Domini*
Cal. 6.	27	e	Pantaleonis *mart. Nicomediæ*
Cal. 5.	28	f	Nazarij & Celſi *martyrum*
			Victoris *papæ martyris*
			Innocentij *papæ & confeſ.*
Cal. 4.	29	g	Marthæ *virginis, Tharaſci*
			Felicis *martyris*
			Simplicij, Fauſtini & Beatricis
Cal. 3.	30	A	Abdon & Sennen *mart. Romæ*
Pridie.	31	b	*Germani epiſcopi Autiſiodori*

96 *Sub Domitiano. Damasus pont.* 5.
1275 *Sub Gregorio* 10.*Sixtus* 4. *Franciscus de Pauinis*
1024 *Sub Benedicto* 8. *Adelbodus episcopus*
644 *Sub Dagoberto. Chronicon Hannonia*
44 *Sub Claudio. Vuicelius in Hagiolog.*
332 *Sub Constantino Theodor. Hist.tripart.*
398 *Sub Innoc primo. Metaphrastes*
136 *Sub Adriano. Gesta per R. E. Notarios*
838 *Sub Ludouico. Paßio tomo* 4. *Surii*
497 *Sub Arcadio & Hono. Simeon Metaphr.*
243 *Sub Decio & Olibrio. Metaph.de Marina.*
141 *Sub Antonino. Martyrologia*
84 *Sub Domitiano Luc.*7. *Greg.ho.*32. *Bern.*
74 *Sub Vespasiano. Surius pag.* 323.
285 *Sub Diocl.& Max.Aug.in Ps* 120.*Vincentius*
42 *Sub Herode Agrippa.Act.*12. *Euseb.*2. *hist.*
354 *Sub Iuliano. Vuicelius, Surius*
1 *Sub Octau. Fulbertus. Epiph. hæresi* 79.
301 *Sub Maximiano. Gesta apud Metaph.*
51 *Sub Nerone. Ambros. serm.*92.
195 *Sub Seuero Pertinace.* Dama *pont.*16.
416 *Sub Honorio. Pontificale cap* 42.
84 *Sub Domitiano.Luc.*10.*Robertus Gaguinæus*
365 *Sub Constantio Pontificale c.* 37.
286 *Sub Diocl. Martyrologium*
259 *Sub Valeriano, Gesta S. Laurentii*
449 *Sub Theodosio* 2, Constantius *episc. Hericm*

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	c	PETRI *ad vincula*
			Machabæorum *martyrum*
Non.4.	2	d	Stephani *papæ & mart.*
Non.3.	3	e	Inuentionis *sancti Stephani*
Pridie.	4	f	DOMINICI *conf.quibusdã die 5.huius*
Nonis.	5	g	DEDICATIONIS *S.Mariæ ad Niues*
Idus 8.	6	A	TRANSFIGVRATIONIS *Domini*
			Sixti *papæ*, Felicis s. *&* Agapiti *mart.*
Idus 7.	7	b	Donati *episc.& mart.Aretii.*
			Alberti Carmelitæ
Idus 6.	8	c	Cyriaci, Largi, *&* Smaragdi
Idus 5.	9	d	Romani *militis, martyris*
Idus 4.	10	e	LAVRENTII *Diaconi & mart.Romæ*
Idus 3.	11	f	Tyburtij *martyris*
			Susannæ *virg. mart. Romæ*
Pridie.	12	g	Claræ *virginis, Assisii*
Idibus.	13	A	Hippolyti *& sociorum.*
Cal 19.	14	b	Eusebij *presb. & confess. Romæ.*
Cal.18	15	c	ASSVMPTIONIS *B.Mariæ Virginis*
Cal.17.	16	d	*Arnulphi episcopi Metensis*
			Rochi confessoris
Cal.16.	17	e	*Ieronis presb. mart.in Hollandia*
Cal.15.	18	f	*Helenæ matris Constantini*
			Agapiti *martyris Prænestini*
Cal.14.	19	g	*Ludouici episc. Tholosani*
Cal.13.	20	A	Bernardi *abbatis, Clareuallis*

ni Dñi. Pasſionis tẽpus.	Auctores q de his ſcripſerũt.
43	*Sub Herode Agrippa. Actorum 12.*
	Sub Antiocho 2. Machab. 7. Ioſephus
257	*Sub Valeriano. Dama. Pont. 24. Metaphr.*
400	*Sub Honorio. Lucianus presb. Auguſtinus*
1223	*Sub Frederico 2. Ioãnes Garzo. Theod. de Appollo.*
360	*Sub Liberio papa. Romanum Breuiarium*
1456	*Caliſtus 3. inſtituit. Matt. 17. Marc. & Luc. 9.*
259	*Sub Valeriano. Dama. pont. 25.*
362	*Sub Iuliano. Greg. 1. dial 7. Vſuardus*
1292	*Sub Adolpho Surius hac die*
310	*Sub Maximino. Geſta Marcelli papæ. to. 1. Surij*
259	*Sub Valeriano. Martyrolog. ex geſtis Laurent.*
259	*Sub Valeriano. Geſta Ambr. 1. offic. cap. 41.*
301	*Sub Diocl. Geſta Sebaſtiani. 1. to. Surii*
290	*Sub Diocletiano Martyrologia & geſta Suſannæ*
1254	*Sub Alexandro 4. Vita, eiuſdem iuſſu ſcripta*
259	*Sub Valeriano. Geſta S. Laurentii*
347	*Sub Conſtantio Martyrologium*
47	*Sub Claudio. Athanaſius. Apud Surium diuerſi*
641	*Sub Heraclio. Paulus diaconus*
1322	*Sub Frederico 3. Franciſcus Diedus Venetus*
870	*Nortmannorum perſecutione. Chron. Holland.*
330	*Sub filio ſuo. Euſebius vita Conſtant. lib. 3.*
171	*Sub Aureliano. Ado Treuirenſis*
1294	*Canonizatur à Ioan. 22. Anon. eius Ord. & temp.*
1154	*Sub Frederico 1. Libri de vita eius*

Cal.12.	21	b	*Anastasii martyris, Salonæ*
Cal.11.	22	c	Timothei *martyris, Romæ*
			Hippolyti *presb.mart. Ostiæ.*
			Symphoriani *mart. Augustuduni*
Cal.10.	23	d	*Zachæi episc. Hierosolymis*
Cal.9.	24	e	BARTHOLOMAEI *Apostoli, Romæ*
Cal.8.	25	f	Ludouici *regis Franciæ*
Cal.7.	26	g	Zepherini *papæ, & martyris*
Cal.6.	27	A	*Rufi martyris, Capuæ*
Cal.5.	28	b	AVGVSTINI *Ecclesiæ Doctoris*
			Hermetis *martyris Romæ*
Cal.4.	29	c	DECOLLATIONIS *S. Ioannis Baptistæ*
			Sabinæ *virg.& mart. Romæ*
Cal.3.	30	d	Felicis & Adaucti *mart. Romæ*
Pridie.	31	e	*Paulini episcopi, Treuiris.*

SEPTEMBER habet dies XXX.

			Sanctorum feriæ.
Calend.	1	f	Egidij *abbatis, in Prouincia.*
			Duodecim *fratrum martyrum.*
Non.4.	2	g	*Iusti episc. Lugdunensis*
Non 3.	3	A	*Remacli episc. Leodiensis, Stabuleti*
Pridie.	4	b	*Moysis prophetæ*
Nonis	5	c	*Bertini abbatis, in opp. S. Audomari*
Idus 8.	6	d	*Donatiani & reliquorum in Africa*
Idus 7.	7	e	*Hildeuuardi episc. Tenremundæ in Fland.*
Idus 6.	8	f	NATIVITATIS *B. Mariæ*
			Adriani *martyris, Nicomediæ*

172	*Sub Aureliano. Vsuardus*
308	*Sub Maximino. Vsuardus ex gestis Siluestri*
240	*Sub Alexandro Breuiar. Rom. Gesta Ms.*
271	*Sub Aurel. Gregor. Turonensis.*
113	*Sub Traiano. Euseb. Epiphanius*
73	*Sub Vespasia. Areopagita. Euseb. Isid. Vuicelius*
1227	*Sub Innocentio 4. Bonif. 8. Clichtoueus*
218	*Sub Antonino Pio. Damasus cap. 16.*
80	*Sub Vespasiano. Martyrol. Vita Apollinaris*
432	*Sub Theod. 2. Poßidius episcopus*
116	*Sub Traiano. Actus Alexandri papæ*
32	*Ab Herode Tetrarcha. Matth. 14. Luc. 9.*
130	*Sub Adriano. Ado in Marty. Surius*
288	*Sub Diocl. & Max. Beda in Martyr.*
352	*Sub Cōstātio. Athan. & Hilar. contra Cōstant.*

SEPTEMBER habet dies XXX.

ni Dn̄i. Pasionis tēpus.	Aucto. q de his scripserūt.
720	*Sub Carolo Martello. Petrus de Natalibus*
258	*Sub Valeriano. Alphanus. tom 4. Aloisii*
379	*Sub Theodosio. Ado Vien. & Treu.*
652	*Sub Constantio 3. Thietmarus & Herigerus. Ms.*
	Succedente ei Iosue. Exodus. Deuteronom.
698	*Sub Lothario. Folchardus Bettiniensis. Ms.*
479	*Sub Hunerico. Victor lib. 2.*
750	*Sub Pipino rege. Meierus*
	Fulbertus Carnotensis
306	*Sub Maximiano. Martyrologia ex gestis*

Idus 5.	9	g	Gorgonij *Martyris, Nicomedia*
			Audomari episcopi Morinorum
Idus 4.	10	A	*Theodardi episc. & mart Leodien.*
Idus 3.	11	b	Proti & Hyacinthi *mart. Romæ,*
Pridie.	12	c	*Guidonis confess. iuxta Bruxellam*
Idibus.	13	d	*Amati episc. Senonensis, Duaci*
Cal 18.	14	e	Exaltationis s. *Crucis*
Cal. 17.	15	f	Nicomedis *martyris, Romæ*
Cal. 16.	16	g	Cornelij *papæ & martyris*
			Cypriani *episc. & mart. Carthag.*
			Euphemiæ *virg. & mart. Chalcedone*
			Luciæ & Geminiani *mart. Romæ*
Cal. 15.	17	A	Lamberti *episc. & mart. Leodiensis*
Cal. 14.	18	b	*Satyri confess. fratris s. Ambrosii*
Cal. 13.	19	c	*Ianuarii episc. & mart. Beneuenti*
Cal. 12.	20	d	Eustachij *& sociorum*
Cal. 11.	21	e	MATTHAEI *Apost. & Euang.*
Cal. 10.	22	f	Mauritij *& sociorum, Seduni*
Cal. 9.	23	g	Lini *papæ & martyris*
			Teclæ *primæ martyris, Iconii*
Cal. 8	24	A	*Andochii presbyteri martyris*
Cal. 7.	25	b	*Firmini episc. mart. Ambiani*
Cal 6.	26	c	Cypriani & Iustinæ, *martyris*
Cal. 5.	27	d	Cosmæ & Damiani *medicorum*
Cal. 4.	28	e	*Vuenceslai regis Bohemorum, mart.*
Cal 3.	29	f	DEDICATIO S. *Michaelis archãgeli*
Pridie.	30	g	HIERONYMI, *presb. & eccl. Doctoris.*

	238	*Sub Diocletiano.Euseb.lib.8.cap.6.*
	695	*Sub Lothario rege. Folchardus scripsit vitam*
	655	*Sub Childerico rege.Sigebertus Gembla.*
	263	*Sub Galieno. Martyrologia ex gestis Eugeniæ*
	1112	*Sub Henrico 4.Legẽdæ pars 2.An.1485. impreß.*
	690	*Sub Theodorico rege.Meierus*
	614	*Sub Heraclio.Ado in Martyrologio.*
	90	*Sub Domitiano Ado ex Marcello.*
	253	*Sub Volusiano. Damasus pont. 22.*
	259	*Sub Valeriano.Pontius.Pamelius.*
	286	*Sub Dioclet.Metaph. Zonaras.Euagrius*
	285	*Sub Dioclet.Beda & Ado.in Martyrolog.*
	700	*Sub Pipino.Stephanus episc. Sigebertus*
	380	*Sub Theodos.Ambros.de excessu. fratris*
	285	*Sub Dioclet. Martyrologium*
	116	*Sub Traiano. Metaph.7.syn.*
	90	*Sub Domitiani tempora. Metaph. Euseb.*
2	301	*Sub Dioclet.Eucherius Lugdunensis.*
3	68	*Sub Nerone. Damasus cap.2.*
	90	*Sub Domitiano.Multi veterum sparsim*
4	271	*Sub Aureliano.Vsuardus*
5	285	*Sub Rictiouaro.Martyrologia*
6	288	*Sub Dioclet.Metaph.2.Octobris.*
7	301	*Sub Dioclet.Ado.Nicetas apud Metaphr.*
8	938	*Sub Othone.Additio ad Vsuardum.Aeneas.*
9	495	*Sub Gelasio.i.Homiliare Doctorum*
0	395	*Sub Honorio. Victorius Marianus.Ado.*

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	A	Remigij *episc. Remensis*
			Bauonis confeßoris, Gandaui
			Piati, martyris Tornaci
Non.6.	2	b	*Leodegarii episc.mart. Augustuduni*
Non.5.	3	c	*Gerardi abbatis, Bronii*
Non.4.	4	d	FRANCISCI *confessoris, Aßisii*
Non 3.	5	e	*Meinulfi diaconi, Budicæ*
Pridie.	6	f	*Brunonis institutoris ord. Carthus.*
Nonis.	7	g	Marci *papæ confeßoris*
			Sergij & Bacchi
			Marcelli & Apulleij
Idus 8.	8	A	*Gerulphi mart. extra Gandauum.*
Idus 7.	9	b	DIONISII, *Rustici, Eleutherii mart.*
			Gißeni episc. ad s. Gislenum in Hann.
Idus 6.	10	c	*Gereonis, Victoris, & sociorum*
Idus 5.	11	d	*Cummari confeß. Lyræ*
Idus 4.	12	e	4976. *martyrum & confessorum*
			Maximiliani episc. & mart. Laureaci
Idus 3.	13	f	*Septem Minorum martyrum, Ceptæ*
Pridie.	14	g	Calixti *papæ & martyris*
			Donatiani episc. Remensis, Brugis.
Idibus.	15	A	*Haduuigis Ducissæ Poloniæ*
Cal. 17.	16	b	*Galli abbatis*
Cal. 16	17	c	*Andreæ in Crisi, martyris ob imagines*
Cal. 15.	18	d	LVCAE *Euangelistæ*
Cal. 14.	19	e	*Ptolomæi & Lucii, mart. Alexand.*

ni Dñi.	Pasſionis tẽpus. Aucto.q de his ſcripſerũt,
545	*Sub Clodoueo. Hincmarus episc. Remis.*
631	*Sub Iuſtiniano 2. Officium Gandeenſis eccleſia*
284	*Sub Dioclet. Vſuardus, Meierus*
685	*per Ebroinum maiorẽ domus. Vrſinus. Ms.*
953	*Sub Othone 3 Vita Gerardi ad Gonterũ. Meierus*
1226	*Sub Honorio 3. & Frederico 2. Bonauentura*
810	*Sub Carolo magno. Legenda tom. 2. impreſ. 1485.*
1101	*Sub Henrico 3. Vita eius per Franciſ. de Puteo*
336	*Sub Conſtantino. Damaſus pont. 35.*
306	*Sub Maximiano. Metaph. Euagrius l. 4. & 6.*
93	*Sub Domitiano. Martyrologia.*
915	*Sub Balduino Comite transfertur. Meierus.*
99	*Sub Traiano. Hilduinus. Mich. Syngelus*
640	*Sub Dagoberto Rounerus ad Radbodum*
305	*Sub Maximiano Martyrologia*
760	*Sub Pipino reg. Vita per Theobaldum.*
479	*Sub Hunerico Victor lib. 2. perſ. Vuand.*
289	*Sub Numeriano. Lazius de Auſtriaca geneal. l. 2*
1221	*Per Saracenos. Breuiarium Minorum*
223	*Sub Aurel. Antonino. Damaſ. pont. 17.*
380	*Sub Theodoſio. Meierus. An. 863.*
1400	*Sub Vuenceſlao. Cromerus de geſtis Polon. l. 15.*
590	*Sub Mauritio. Vualafridus ad Gosbertum*
760	*Sub Conſtantino iconomacho. Metaphr.*
90	*Sub Domitiano. Hieronymus, Iſidorus.*
144	*Sub Anton. Pio. Iuſtinus 4. hiſt. eccleſ.*

B 4

Cal. 13.	20	f	*Caprasii martyris, Agenni*
Cal. 12.	21	g	Hilarionis *abbatis*
			Vrsulæ *& sociarum, virg. & mart.*
Cal. 11.	22	A	*Seueri episcopi Rauennatis*
Cal. 10.	23	b	*Seuerini episcopi Coloniensis*
Cal. 9.	24	c	*Euergisli episc. Tungris martyrizati*
Cal. 8.	25	d	*Crispini, Crispiniani, mart.* Suess.
			Chrysanti *&* Dariæ *martyrum*
Cal. 7.	26	e	Euaristi *papæ & mart.*
Cal. 6.	27	f	*Vincentii martyris, Abulæ. Vigilia.*
Cal. 5.	28	g	SIMONIS & IVDAE *Apost. in Perside*
Cal. 4.	29	A	*Narcissi episc. Hierosolymis*
Cal. 3.	30	b	*Serapionis episc. Antioch.*
Pridie.	31	c	*Quintini martyris. opp. S. Quintini*
			Foillani episc. mart. Fossis

NOVEMBER habet dies XXX.

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	d	OMNIVM *Sanctorum*
Non. 4.	2	e	OMNIVM *fidelium defunctorum comme.*
Non. 3.	3	f	*Huberti episc. Leodiensis*
Pridie.	4	g	Vitalis *&* Agricolæ
Nonis.	5	A	*Malachiæ episc. Hyberniæ*
Idus 8.	6	b	*Leonardi confess. Aquitani*
Idus 7.	7	c	*Vuillibrordi episc. Vltraiectensis*
Idus 6.	8	d	Quatuor *coronatorum*
Idus 5.	9	e	Dedicatio Basilicæ Saluatoris
			Theodori *martyris*
Idus 4.	10	f	Tryphonis, Respicij *&* Nymphæ.

306	Sub *Maximiano. Beda & Vsuardus in mart.*
351	Sub *Constantio. Hieronymus.*
450	Sub *Valentiniano. Legenda Sanctorum Angliæ*
200	Sub *Caracalla. Petrus Damiani.*
384	Sub *Theodosio 1. Otho. Frising. Tritthem.*
625	Sub *Heraclio. Indiculus Sanctorum Belgii*
285	Sub *Dioclet. Martyrologium*
282	Sub *Numeriano. Beda & Metaph. ex gestis*
109	Sub *Traiano. Damasus pont. 6.*
285	Sub *Daciano. Vsuardus.*
64	Sub *Nerone. Hier Isid. Perionius*
194	Sub *Pertinace. Euseb. 6. hist. eccles.*
190	Sub *Commodo. Euseb. hist. lib. 5. & 6.*
285	Sub *Rictiouaro & Diocl. Martyrologia*
660	Sub *Constantio 3. Historia eius per Hillinum.*

NOVEMBER habet dies XXX.

ni Dñi. Passionis tẽpus.	Aucto. q de his scripserũt
841	*Gregorius 4. instituit. Martyrologia. Alcuinus 2. Machab. 7. Vita* S. *Odilonis.*
731	Sub *Carolo Martello. Ionas Vvaltando episc.*
290	Sub *Dioclet. Ambros. in exhort. ad virg.*
1143	Sub *Eugenio 1. Bernardus*
546	Sub *Clodoueo. Nauclerus.*
736	Sub *Leone 3. Beda l. 5. hist. cap. 12.*
285	Sub *Dioclet. Ado in Martyrolog.*
325	*Per Syluestrum. Pontificale cap. 34.*
307	Sub *Maximiano. Nyssenus. Metaph. Ado.*
252	Sub *Decio. Romanum Breuiarium.*

Idus 3.	11	g	MARTINI *epifc. Turonenfis*
			Mennæ *martyris*
Pridie.	12	A	Martini *papæ & martyris*
			Liuini archiepifc. mart. Gandaui
			Lebuini presb. confeß. Dauentriæ
Idibus.	13	b	*Brixii epifc. fucceßoris Martini*
Cal 18.	14	c	Serapionis *martyris, Alexandriæ*
Cal. 17.	15	d	*Machuti epifcopi, fiue Maclouii*
Cal. 16.	16	e	*Eucherii epifc. Lugdunenfis*
Cal. 15.	17	f	Gregorij *epifc. Neocæfareæ Thaumæ.*
Cal. 14	18	g	DEDICATIO *bafilicarum Petri & Pauli*
Cal. 13.	19	A	Pontiani *papæ & martyris*
			Elifabeth Landgrauiæ Heßiæ
Cal. 12.	20	b	*Bertualdi epifc. in Hildesheim*
Cal. 11.	21	c	*Præfentationis B. Mariæ*
			Columbani abbatis Bobii
Cal. 10.	22	d	Cæciliæ *virg. & mart. Romæ*
Cal. 9.	23	e	Clementis *papæ & mart.*
			Felicitatis *martyris*
			Trudonis confeß. in opp. S. Trudonis
Cal. 8.	24	f	Chryfogoni *martyris, Romæ*
Cal. 7.	25	g	CATHARINAE *virg. & mart. in Sina*
Cal. 6.	26	A	Petri *Alexandrini epifc.*
			Conradi epifcopi, Conftantiæ
Cal. 5.	27	b	*Bellini martyris epifc. Paduæ*
Cal. 4.	28	c	*Papinii & Manfueti epifcoporum*
Cal. 3.	29	d	Saturnini *martyris*
Pridie.	30	e	ANDREAE *Apoftoli, in Achaia.*

399	*Sub Honorio. Seuerus Sulpitius Gr. Turo.*
301	*Sub Dioclet. Metaphrast tom. 5. & 7.*
653	*Sub Heraclio. Pontificale cap. 76.*
633	*Sub Dagob. rege. Indiculus Sanctorum Belgii*
784	*Sub Constantino cũ Irene Hucbaldus Elenonen*
421	*Sub Theodosio 2. Gregorius Turo. l. 10 hist.*
251	*Sub* Decio 6. *hist. eccles. c. 34. 31. Ruf.*
553	*Sub Iustiniano. Sigebertus Gembl.*
421	*Sub Theod. 2. Ado Treu. Sixtus in Biblioth.*
267	*Sub Galieno. Nyssenus. Ruffinus l. 7.* Socrates
325	*Per Syluestrum Pontificale cap. 34.*
236	*Sub Alexandro Damasus cap. 19.*
1226	*Sub Frederico 2. Iacobus Montanus. Theod.*
990	*Sub Othone 3. Legendæ pars 2. habet historiam*
1464	*Pius 2. festum confirmauit. Metaphrastes.*
590	*Sub Mauricio. Ionas tom 3. Beda*
225	*Sub Alexandro. Gesta, & ex eis Beda.*
92	*Sub Traiano. Damasus cap. 4. Bernardus. Onu.*
173	*Sub Marco Antonino. Greg. in homil. 3.*
550	*Sub Constantio 3. Theodor. abbas Trudon.*
302	*Sub Dioclet. Martyrolog ex gestis S. Anastasia*
305	*Sub Maxentio. Metaphrastes.*
312	*Sub Maximino. Euseb lib. 9 hist.*
374	*Sub Othone 1. Nauclerus.*
149	*Sub Conrado 3. Scardeonius de Padua l. 3.*
430	*Sub Genserico. Victor libro 1.*
310	*Sub Maximino. Gesta Marcelli*
62	*Nerone regnante. Presb. & Diac. Achaia*

Sanctorum feriæ.

Calend.	1	f	*Eligii episc. Nouiomi*
Non. 6.	2	g	Bibianæ *virg. & mart. Romæ*
Non. 5.	3	A	*Claudii & sociorum, Romæ.*
Non. 4	4	b	Barbaræ *virg. & mart.*
Non. 3.	5	c	Sabbæ *abbatis*
Pridie.	6	d	Nicolai *episc & confess. Myræ.*
Nonis.	7	e	AMBROSII *eccl. doct. Mediolani*
Idus 8.	8	f	CONCEPTIONIS S. *Mariæ*
Idus 7.	9	g	*Leocadiæ virg. & mart. Toleti*
Idus 6.	10	A	Melchiadis *papæ & martyris*
Idus 5.	11	b	Damasi *papæ*
Idus 4.	12	c	*Pauli episc. Narbonensis*
Idus 3.	13	d	LVCIAE *virg. & mart.* Syracus.
			Iudoci confessoris
			Autberti episc. Cameracensis
Pridie.	14	e	*Nicasii episc. & mart. Remis*
Idibus.	15	f	*Valeriani episc. Africani exulis*
Cal. 17.	16	g	*Euerardi confess. apud Tornacum*
Cal. 16.	17	A	*Beggæ viduæ sororis S. Gertrudis*
Cal. 15.	18	b	*Gratiani episc Turonensis*
Cal. 14.	19	c	*Nemesii mart. Aegyptii*
Cal. 13.	20	d	*Philogonii episc. Antiochiæ*
Cal. 12.	21	e	THOMAE *Apostoli*
Cal. 11.	22	f	*Schiridionis mart. Alexandriæ.*
Cal 10.	23	g	*Seruuli paralytici, Romæ.*
Cal. 9.	24	A	*Gregorii Spoletani mart.* *Vigilia.*

Dñi. Pasſionis tēpus. Aucto. q de his ſcripſerūt.

Sub Heraclio. S. Audoënus epiſc.
Sub Iuliano. Martyrologia.
Sub Numeriano. Vſuardus.
Sub Dioclet. Metaph. Martyr. veterum 16. Dec.
Sub Theodoſ. & Iuſtin. Metaph. ex Cyril. mo.
Sub Conſtantino. Ioannes Diaconus
Sub Valent & Theodoſ. 1. Paulinus. Coſterius
Sub Sixto 4 In extrauagantibus
Sub Daciano. Martyrologia
Sub Conſtantino. Damaſus pont. 33.
Sub Theodoſ. ſeniore. Pontif. c. 39.
Sub Nerone. Vſuardus
Sub Dioclet. Geſta Sigebertus
Sub Dagob. Vita per Florentinum abbatem
Sub Dagob. Vita per Fulbertum.
Sub Heraclio. Nauclerus
Sub Genſerico. Victor l. 1. perſ. Vuand.
Sub Ludouico Pio. Meierus.
Pipino Auſtraſio patre. Indic. Sanct. Belgii
Sub Decio. Greg. Turon. lib. 10. hiſt.
Sub Decio 6. Hiſtor. eccleſ. c. 34. 31. Ruf.
Sub Conſtantino. Chryſoſtomus in Hom. tom. 3.
Sub Veſpaſiano. Ioan 20. 11. 14. 21. Ruffinus
Sub Decio. S. Dion. 6. hiſt. eccl. c. 34.
Sub Phoca Greg. 4 Dialog. c. 14.
Sub Dioclet. & Max. Martyrol.

Cal. 8.	25	b	NASCITVR CHRISTVS *in Bethlehē*
Cal. 7.	26	c	STEPHANI *primi martyris*
Cal. 6.	27	d	IOANNIS *Euangelistæ & Apostoli*
Cal. 5.	28	e	INNOCENTIVM *martyrum*
Cal. 4.	29	f	Thomæ *epifc. mart.* C*antuariæ*
Cal. 3.	30	g	S*abini epifc. & fociorum*, S*poleti*
Pridie.	31	A	SILVESTRI *papæ & confeß.*

25	1	*Sub Cæsare Augusto Lucæ 2.*
26	34	*Sub Tiberio. Act. 7. Lucianus. presb.*
27	101	*Sub Traiano. Euseb. l. 3. & 4 hist. eccles.*
28	1	*Sub Herode Ascalonita Matthæi 2.*
29	1171	*Sub Frederico 1. Ioannes Carnotēsis episc. & alii.*
30	305	*Sub Maximiano Beda & Ado.*
31	335	*Sub Constantino. Damasus pont. 34.*

IN SEQVENS OPVS PRÆFATIO.



XTANT passim Epistolares, & Euangelicæ lectiones, quemadmodum festis diebus proponi, ac in templis Catholicis publicè recitari consueuerunt. Vtinam verò quali iudicio & spiritu ex aureis diuinæ Scripturæ fontibus illæ primùm delectæ, & certis anni temporibus accommodatæ, nobisq; à sanctißimis Patribus, velut per manus traditæ & commendatæ sunt, easdem nos pari tùm obseruantiæ, tùm gratitudinis, tùm pietatis affectu exciperemus, et exceptas ad vsum legitimum conuerteremus. Ita fieret sanè, vt venerandæ vetustati plurimum tribueremus, et in eiuscemodi lectionibus non solùm Ecclesiam matrem fideliter admonentem, sed & Christum Dominum etiamnum loquentem, nosq; per suos Euangelistas ac Apostolos, vt grauißimè, sic & vtilißimè docentem religione maxima obseruaremus. Vnde porrò hic quoque fructus Euangelici seminis colligeretur, vt vocationem nostram Christianis hominibus dignam certius testaremur, & tempus ipsum diuino cultui, & pietatis officiis propriè destinatum, haudquaquam otio, luxu & vitiis dedecoraremus, sed multò quidem sanctius quàm nunc fit, sacros dies celebra-

remus. Est hic profectò diuinæ Scripturæ collectus quasi nucleus, est cælestis panis præcipua pars ex amplißimis Bibliorum horreis accuratè deprompta, & sic Dei filiis ad edendum proposita, vt abundè suppetat omnibus, si velint edere, alimonia spiritualis. Huc velut ad epulas Dei filiis dignas inuitamur: hinc famem & sitim diuini verbi facilè profligamus: hic animos verè solideq; pascimus ac sanctè deliciamur. Tanti refert diuinas & Apostolicas sententias, quæ tunc breuiter proponuntur, reuerenter amplecti, attentè uel audire vel legere, & quod nonnulli cum laude faciũt, ad verbum ediscere ac sæpius recitare. Ex quo sacro studio alii alios fructus colligunt, seq; multum iuuari sentiunt, vt huius operæ illos nequeat pœnitere, siue de Deo, diuinisq; rebus meditari, siue loqui, siue docere, siue discere cupiant.

Verùm enimuerò inter alias corruptelas, quæ Catholicam pietatem nobis hac ætate vitiant atque corrumpunt, illam quoque obseruare ac deuitare par est, quæ in nouis noui testamenti versionibus continetur. Hinc enim pestis non vulgaris, tùm ad scholas, tùm ad Ecclesias Catholicas magis magisq; serpit, & ad nouandam religionem via non obscurè munitur. Quocirca vetus & vulgata Bibliorum translatio, quæ tot seculis recepta, tantoq; Patrum, imò & synodorum ac doctorum hominum consensu comprobata durat, multis in locis cum illorum interpretatione commutatur,

qui

qui citra Ecclesiæ authoritatem in vulgus sua scripta spargunt, & arcanas literas Latinè pro suo arbitrio & sæpenumerò mala fide interpretantur. At perperam profectò sibi suisq; consulunt, qui recentes istas ac prophanas, multisq; modis inter se discrepantes, neq; paucis in locis hallucinantes sacrorum librorum versiones sectantur aliisq; commendant. Primùm enim illi non obseruant, quanti nobis valere debeat Apostolicus canon: FORMam *habe sanorum verborum, quæ didicisti in schola diuina, scilicet Ecclesia Catholica, quam assiduè docet ac gubernat vtique Spiritus sanctus. Neq; satis expendunt quod ab eodem Paulo præceptum est:* PROPHAN*a & vaniloquia deuita, multum enim proficiunt ad impietatem. At res ipsa declarat, nouos istiusmodi interpretes prophanis vocum nouitatibus plurimùm delectari, & ad suum prauum institutum, nec minus contra doctrinam orthodoxam nihil non rapere, magnamq; aperire fenestram vulgari licentiæ, & impiis sæpè opinionibus patrocinari. Deinde, certi & grauis periculi res est, nonnullas in sacris literis mutare voces, quas præsertim piorum & doctorum loquentium consuetudine tritas vsus iam emolliuit, & quæ peculiarem nullisque aliis verbis explicabilem vim, & proprietatem obtinent, ac religiosè quidem tot seculis in Ecclesia custodiuntur. Accidit quod Ecclesiastica interpretatio, vt verbis Hieronymianis vtamur, etiamsi habet eloquii venustatem, tamē dis-*

 simulare

ſimulare eam debet ac fugere, vt non otioſis philoſophorum ſcholis, paucíſque diſcipulis, ſed vniuerſo loquatur hominum generi. Fuit ſanè ſemper, & eſt proprium eloquium, dicendíque genus matri Eccleſiæ, illúdque non fucatum quidem, ſed maſculum, caſta ſimplicitate ac decenti grauitate venerandum, quod mirabili fœcunditate & latente ſpiritus virtute quā indè pii ſolent depromere, mirabiliter effloreſcit. Ad hæc diuinæ prouidentiæ ſic viſum eſt, vt Chriſtiana doctrina & ſapientia non ſine orationis ſimplicitate per Apoſtolos propagaretur, ſcriptóque conſignaretur: nimirùm vt prædicatio fidei non perſuaſibilibus humanæ ſapientiæ verbis, vt Apoſtolus dixit, ſed oſtenſione ſpiritus, & virtutis effectu conſtare videatur. Quamobrem licet Paulus vel præcipuus doctor eſſet gentium, tamen effugere non potuit multorum reprehenſionem, velut qui ſermone parùm eleganti vteretur, ſeque ipſe oratione imperitum agnoſcit, licet rerum inſcitiam deprecetur. Nec de ſe tantûm, ſed de Apoſtolis omnibus Dei *verbum annunciantibus, qui nihil minus quàm orationis curarunt ornatum, & ſimpliciſsimè omnia credentibus tradiderunt, illud pronūciat: REGNUM Dei non eſt in ſermone, ſed in virtute. Vt miſſum faciam quod ſapienter veteres monuerunt, ad maiorem tùm Dei gloriam, tùm Eccleſiæ vtilitatem facere, quod in rebus literíſque diuinis mirabilis appareat ſimplicitas, humani verò eloquii &*

arti-

artificii fumus ac fucus studio quodam euitentur.

Ex quibus consilii nostri ratio, quam in hac sumus editione secuti, facilè potest animaduerti. Confirmamus enim vsum veteris interpretationis, & desideramus in eo Christianam institui iuuentutem, ac suademus prætereà, quantum omnino possumus, vt vbiquè gentium veritatis Catholicæ doctrina ab hoc nouorum interpretum fermento seruetur immunis, vtq; non alio quam Ecclesiæ sanctæ materno quasi lacte, tenera illa & imbecillis, imò & proficiens & virilis ætas, indè ab incunabilis probè nutriatur atque corroboretur. Igitur quoniam natura sic cõparatum est, vt quæ primis annis percipimus, in omnem propemodum ætatem firmius hæreant, arcendi sunt prorsus adolescentes ab illorum auctorum versionibus, qui docent Dei verba secus sonare atquè citare, quàm in templis eadem publicè recitantur atque decantantur, nè alioquin quæ prius laboriosè didicerunt, eadem cum tædio dediscere, vel ea quæ posteà in Ecclesia docentur, si non tacitè reprehendere, at certè quidem mirari cogantur. Præcipuè autem pædagogos omnes hortamur, vt si tùm sibi, tùm discipulis velint esse consultum, ab illis quidem scriptoribus, velut Reipublicæ pestibus, maximè caueant, qui siue sacra, siue prophana tractent, nouis se sectis addixerunt, aut Ecclesiam Catholicam deseruerunt. Dici quippe non potest, quantoperè cùm aliis, tùm bonarũ artium studiosis noceat,

quod bonas horas in illorum lectione scriptorum, qui sunt de fide & religione suspecti, collocent, seq; illorum magistrorum quasi discipulos faciant. Quod nihil est sanè aliud, quàm communes Christi, & Ecclesiæ hostes, quibus nihil esse potest pernitiosius atque fraudulentius, ad clancularia colloquia, seu consilia, vel euocare, vel admittere.

Superest de commoditate, & vsu operis dicere. Habent hîc sanè tùm pueri, tùm præceptores, quæ sacris diebus, de sacris inter se tractent, ac conferant: quod studium est verè Christianum. Habent studiosi omnes, quæ domi, seu in templis legant: quæq; legendo de rebus diuinis, negotio salutis æternæ meditentur. Habent sacerdotes, heri, patresfamiliàs, quod ad mensam sibi & suis perlegendum curent, idq; non solùm Festis, sed etiam Quadragesimæ diebus omnibus, vt præter corporis edulia, non desit cibus animæ salutaris. Habent demùm qui psallere cupiunt, hymnos probatos, & cantica spiritualia, quibus iuxtà Paulinum consilium, mentem & vocem exerceant religiosè. Certè germanis Ecclesiæ filiis non potest non honestum ac salutiferum esse, cum Ecclesia matre credere, confiteri, precari consentienter, & siue priuatim, siue publicè, suos erga Deum & Sanctos eius affectus pios ita testari conceptis verbis, quemadmodum tot ætatum probati, docti, & sapientes, vereq; orthodoxi homines in solenni vsu habuerunt. Si quis autem vult

conten-

contentiosus esse (vt contentionum plena nunc sunt omnia) cum Paulo respondebimus, TALEM consuetudinem nobis & Ecclesiæ nullam esse.

Postremò ne sis inscius lector, in hac postrema editione illud accessit, quod moniti & rogati rationem habuimus Romanæ Ecclesiæ, vtpotè quam veteres aliarum Ecclesiarum caput, matrem & magistram citra omnem adulationem appellant, & summo semper in precio iubent haberi. Nec tamen prætermisimus, vt anteà etiam feceramus, ad Germanicas & Gallicanas Ecclesias nostram operam accommodare, & passim subindicamus varietatem, quæ in huiusmodi lectionibus incidere solet. Nihil autẽ officit, imò verò decorem domus Dei magnæ commendat, quod quibusdam in rebus & ritibus varient Ecclesiæ, in fidei autem doctrina vnum idemq; per omnia & vbiquè profiteantur, sicut & Gregorius Magnus Augustino respondit. Nec abs re fore visum est, si quædam in summariis, vel argumentis lectionum adiiceremus, partim vt obscura breuitas euitaretur, partim vt huiusmodi lectionum sensus, & matris Ecclesiæ consiliũ in lectoris gratiam maiore luce donaretur. Vide autem Christianæ lector, vt quod bono animo damus, non malè consulas, téque, si sapis, vnà cum tuis, diebus præsertim Festis, in vera pietate exerceas diligenter.

DOMINICAS OMNES IN DVO TEMPORA DISTINGVI.

IVVAT *sanè ac prodest crebrò meminisse, quàm sapienter ac piè faciat mater Ecclesia, quod anni curriculum, & in eo cultum diuinum constanter instituat, simul & quotannis absoluat. Totius anni Dominici dies inter duos veluti cardines versantur, hoc est, ad duo tempora referuntur, dominicæ scilicet dispensationis, & nostræ peregrinationis, vti veteres appellarunt. Illud prius ab Aduentu Domini ad Pentecosten vsquè procurrit: hoc posterius non multò post Pentecosten incipit, & in Aduentum desinit. Rectè autem dominicæ dispensationis congruunt mysteria, quæ indè ab Aduentu celebrantur de Christi incarnatione, natiuitate, circuncisione, apparitione, pueritia, doctrina, miraculis, paßione, resurrectione, ascensu, deq; aduentu Spiritus sancti, quoniam in illis dominicam dispensationem, quam verbum caro factum orbi demonstrauit, apertißimè cernimus. Igitur quæ intercurrunt Euangelia, ac omnis diuini cultus ratio tūc eò spectat, vt gratis recolamus animis, quid quantumq; gratiæ et veritatis Pater ille misericordiarum per Christum Dominum & redemptorem ad salutem nostram, cùm inimici essemus, in medio terræ sit operatus. Pro quo inenarrabili beneficio quam pulchrè gratias agimus, cùm*

hac prima velut Cathechismi parte absoluta, & honorato in Pentecoste Spiritu sancto, laudem & gloriam Trinitati sanctissimæ reddimus? At reliquæ post Pentecosten Dominicæ tempus illud absoluunt, quod nostræ peregrinationis proprium esse diximus, vt norint in Christo renati, ac vtcunque iam in fide instituti, quæ maximè vitia fugere, quasq; Christianas virtutes consectari debeant. Igitur ad hæc duo capita quæ indicauimus, accommodantur Euangelicæ & Apostolicæ lectiones, quæ ad Domini aduentum vsque in Ecclesia proponuntur, & in quibus renatorum fides, et pietas confirmatur atque prouehitur. Sic enim res ipsa postulat, vt non solùm circa fundamentum vnicum, quod est CHRISTVS IESVS, *versemur, sed etiã eidem superædificemus, & in desertum ingreßi, cum Israelitis secundùm acceptam Dei legem nos totos componamus, Christoq; velut altero Iosue duce, & superatis aduersariis, ad cœlestem patriam rectà contendamus, Id verò fiet, si Christi membra & imitatores effecti, præsentem huius temporis peregrinationem & vocationem nostram Christianæ vitæ moribus cohonestemus, certamq; faciamus.*

DOMINICA PRIMA ADVENTVS DOMINI.

SVMMARIVM. *Epistola sequens indicat quomodo sit hoc tempore nobis, id est, Catholicæ Eccle-*

ſiæ filiis viuendum: piè nimirum, ſi vnquam aliàs, ac dignè tanto Rege, cuius diem natalem ſanctiſsimum paulò pòſt celebraturi ſumus. Euangelium circa poſtremum Domini aduentum verſatur, & ſalutarem timorem ob venturum mundi iudicem credentibus incutit, omnesq́; peccantes hoc ſacro præſertim tempore, ad officium reuocat Chriſtianum. Verùm quibus in vſu eſt ſequens alterum Euangelium, illi ex hiſtoria die Palmarum geſta docentur, priorem Domini aduentum vt humilem & benignum, ſic etiam gratioſum & ſalutiferum eſſe iis, qui ceu veri Iſraëlitæ, ſuum Meſsiam confitentur, illumq́; præſentem gratis & obſequentibus excipiunt animis, ac ſimul rectà comitantur. Igitur nunc ſibi quiſque dictum putet illud: Eccè Rex tuus venit tibi, ad gratiam ſcilicet hoc tempore impartiendam, qui poſteà venturus eſt ad iuſtitiam exercendam, vt ſuum cuique vel præmium, vel ſupplicium, pro benè maleq́; factis rependat. Vnde Propheta dixit: PRAE parare in occurſum Dei tui Iſrael.

EPISTOLA AD ROMANOS XIII.


RATRES, Scientes quia hora eſt iam nos de ſomno ſurgere. Nunc enim propior eſt noſtra ſalus, quàm cùm credidimus. Nox præceſſit, dies autem appro-

propinquauit. ABIICiamus ergo opera tenebrarum, & induamur arma lucis. Sicut in die, honestè ambulemus: non in commessationibus & ebrietatibus, non in cubilibus & impudicitijs, non in contentione & æmulatione: sed induimini dominum IESVM Christum.

EVANGELIVM LVCAE XXI.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis. Erunt signa in sole & luna & stellis, & in terris pressura gentium præ cõfusione sonitus maris & fluctuum, arescentibus hominibus præ timore & expectatione, quæ superuenient vniuerso orbi. Nam virtutes cælorum mouebuntur. Et tunc videbunt Filium hominis, venientem in nube cum potestate magna & maiestate. His autem fieri incipientibus, respicite & leuate capita vestra, quoniam appropinquat redemptio vestra. Et dixit illis similitudinem: Videte ficulneam & omnes arbores: cùm producunt iam ex se fructum, scitis quoniã propè est æstas: ita & vos cùm videritis hæc fieri, scitote quoniam propè est regnum Dei. Amen dico vobis, quia non præteribit generatio hæc, donec omnia fiant. CAELum & terra transibunt: verba autem mea non transibunt.

OBSERVATIO DOGMATVM.

Bonorum operum ad salutem cõsequendam necessita-

ſitatem Epiſtola docet, quæ iis qui crediderunt abiicienda opera tenebrarum, et induenda arma lucis præſcribit, magis magisq́; ſemper appropinquante ſalute. Extremi autem iudicii ex Euangelio recordatio timorem incutit, ſapientiæ initium, nè vana ſecuritate deluſa Chriſtiana mens pereat.

EVANGELIVM MATH. XXI.

Iuxtà vſum aliarum Eccleſiarum.

IN illo tempore, Cùm appropinquaſſet IESVS Hieroſolymis, & veniſſet Betphage ad montem olieti, tunc miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contrà vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam & pullum cũ ea: SOLVITE & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite, quia Dominus his opus habet: & confeſtim dimittet eos. Hoc autẽ totum factum eſt, vt adimpleretur quod dictum eſt per prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion: ECCE Rex tuus venit tibi manſuetus, ſedens ſuper aſinam & pullum filium ſubiugalis. Euntes autem diſcipuli fecerunt ſicut præcepit illis IESVS. Et adduxerunt aſinam & pullum: & impoſuerunt ſuper eos veſtimenta ſua, & eum deſuper ſedere fecerunt. Plurima autem turba ſtrauerunt veſtimenta ſua in via: alij autem cędebant ramos de arboribus, & ſternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ ſequebantur,

bantur, clamabant, dicentes: O ſanna filio Dauid. BENEdictus qui venit in nomine Domini, Oſanna in excelſis.

OBSERVATIO.

Poteſtatem animas ligandi atque ſoluendi Apoſtolis à Chriſto tributam fuiſſe ex eo euang. loco, Soluite, &c. colligit B. Athanaſius.

Oratio Eccleſiæ.

Excita quæſumus Domine, potentiam tuam, & veni: vt ab imminentibus peccatorum noſtrorum periculis, te mereamur protegente eripi, te liberante ſaluari: Qui viuis & regnas cum Deo Patre in vnitate &c.

Hymnus de Aduentu.

VOx clara ecce intonat,
Obſcura quæq; increpat
Pellãtur eminus ſomnia,
Ab æthere Chriſtus promicat.
Mens iã reſurgat torpida
Quæ ſorde extat ſaucia:
Sydus refulget iã nouũ,
Vt tollat omne noxium.
De ſursũ agnus mittitur,
Laxare gratis debitum:
Omnes pro indulgentia
Vocem demus cũ lachrymis.
Secundò vt cum fulſerit,
Mũdumq; horror cinxerit,
Non pro reatu puniat,
Sed nos pius tũc ꝓtegat.
Laus, honor, virtus, gloria,
Deo Patri, & Filio,
Sancto ſimul paracleto,
In ſeculorum ſecula.
Amen.

DOMINICA II. ADVENTVS.

SVMMARIVM. *Epiſtola meminit prioris aduentus*

us Christi, quã vtilis fuerit non Iudæis modò, sed etiã gentibus ad benè beateq; viuendum: & ostendit Deũ simul & veracem Iudæis, & misericordem gentibus per Christi aduentum extitisse. In Euangelio depingitur Ioannes Baptista veluti probatißimus testis, & eiusdem aduentus certißimus præco. Qui discipulos, ac perinde Iudæos, omnes, mittit ad Christum, cuius aduentum ex ipsis eius operibus nisi omnino sint cæci, facilè ac certò deprehendent. Vt autem cuique nostrûm Christi prosit aduentus, & Euangelica contingat gratia, Ioannis primùm discipuli efficiamur, & hunc Domini præcursorem pœnitentiæq; magistrũ velut in sancto deserto cum ipso degentes, ob oculos sedulò retineamus. Alterum Euangelium, quo quidam vtuntur, ad posteriorem Domini aduentum, eiusq; signa proximè antecedentia pertinet: vt cogitemus quam sit terribilis expectatio venturi Iudicis, quantaq; seueritas iudicii extremi sequatur, si prioris Aduentus oblatam nunc gratiam repudiemus.

EPISTOLA AD ROM. XV.

FRatres, Quæcunque scripta sunt, ad nostrã doctrinam scripta sunt: vt per patientiam & consolationem scripturarum, spem habeamus, Deus autem patientiæ & solatij, det vobis idipsum sapere in alterutrum secundum Iesum Christum: vt vnanimes, vno ore honorificetis Deum & Patrem Domini nostri Iesu Christi.

Pro

Propter quod suscipite inuicem: sicut & Christus suscepit vos in honorem Dei. Dico enim Christum Iesum ministrum fuisse circuncisionis propter veritatem Dei, ad cófirmandas promissiones Patrum: Gentes autem super misericordia honorare Deum, sicut scriptum est: Propterea confitebor tibi in gentibus Domine, & nomini tuo cantabo. Et iterum dicit. Lætamini gentes cum plebe eius. Et iterum: Laudate omnes gentes Dominum, & magnificate eum omnes populi. Et rursus Esaias ait: Erit radix Iesse, & qui exurget regere gentes, in eum gentes sperabunt. Deus autem spei repleat vos omni gaudio & pace in credendo, vt abundetis in spe & virtute Spiritus sancti.

OBSERVATIO.

Vides non dixisse Apostolum, Omnia ad doctrinam necessaria, scripta esse, sed quæ scripta sunt ea ad nostram doctrinam literis consignata fuisse, quod non omnia scripta sint manifeste pronunciat.

EVANGELIVM MATH. XI. R.

IN illo tempore, Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi, mittens duos ex discipulis suis, ait illi: Tu es qui venturus es, an aliũ expectamus? Et respondens IESVS, ait illis: Euntes, renuntiate Ioanni quæ audistis & vidistis: cœci vident, claudi ambulant, leprosi mun-

dantur, surdi audiunt, mortui resurgũt, pauperes euangelizantur: & BEATVS est, qui non fuerit scandalizatus in me Illis autem abeuntibus, cœpit IESVS dicere ad turbas de Ioanne: Quid existis in desertum videre? arundinem vento agitatam? Sed quid existis videre? hominem mollibus vestitum? Ecce qui mollibus vestiuntur, in domibus Regum sunt. Sed quid existis videre? Prophetam? Etiam dico vobis, & plus quàm prophetam. Hic est enim de quo scriptũ est. Ecce ego mitto angelum meum antè faciẽ tuam, qui præparabit viam tuam antè te.

OBSERVATIO.

Illi sanè scandalizantur in Christo, qui aut eius diuinitatem ita suspiciunt, vt humanæ naturæ veritatem negent, & assumptæ humilitatis officia: aut ita hominem agnoscunt, vt diuinitatis potentiam non recognoscant. Tales hæretici in Eucharistiæ mysterio.

ALIVD EVANGELIVM LVC. XXI.

Iuxta vsum aliarum Ecclesiarum.

IN illo tempore, dixit IESVS discipulis suis: Erunt signa in sole, & luna, & stellis. *Cætera in Dominica superiore præcedunt.*

Oratio Ecclesiæ.

Excita domine corda nostra ad præparandas Vnigeniti tui vias: vt per eius aduentum purificatis tibi mentibus seruire mereamur: Qui tecum viuit & reg.

Can-

Canticum Ecclesiæ.

Ecce dominus veniet, & omnes sancti eius cum eo: & erit in die illa lux magna, Halleluia.

℣. Ecce apparebit dominus super nubem candidam. Et cum eo sanctorum millia. Oratio.

Conscientias nostras, quæsumus domine, visitando purifica, vt veniens Iesus Christus filius tuus dominus noster, cum omnibus sanctis, paratam sibi in nobis inueniat mansionem. Qui tecum viuit & regnat &c.

DOMINICA III. ADVENTVS.

SVMMARIVM. *Requirit epistola lætitiam spiritualem, animum curis vacuum, modestiam, precandiq; fiduciam, & sedulitatem singularem. Sic enim Dominicum Aduentum excipere et ornare debemus. In Euangelio testimonium Ioannis describitur, qui rogantibus Iudæis, palàm & certò suum officium profitetur, ac etiam Christo, eiusq; aduentui fidem & authoritatem ingentem conciliat. Vide summarium proximè secuturum, quomodo Epistola & Euangelium habeat hac ipsa Dominica secundùm morem quarundam Ecclesiarum. Humiliat se multùm Ioannes, ingentem honorem à magnis oblatum respuens: nec minus humiliat se Christus, ita plebeis non absimilis, vt etiam in medio positus non agnosceretur. Quid nos ad hæc tanta lumina comparati? Superbire dediscamus, humilitatem induamus, & salutarem Domini sentiemus aduentum.*

EPIST. AD PHILIP. IIII. R.

FRATRES, Gaudete in Domino semper: iterum dico, gaudete. MODEstia vestra nota sit omnibus hominibus. Dominus propè est: NIhil soliciti sitis: sed in omni oratione & obsecratione cum gratiarum actione petitiones vestræ innotescant apud Deum. Et pax Dei quæ exuperat omnem sensum, custodiat corda vestra & intelligentias vestras in Christo Iesu.

EPISTOLA I. CORINTH. IIII.

Iuxtà vsum aliarum Ecclesiarum.

FRATRES, Sic nos existimet homo. *Reliqua sequenti statim Dominica comperies.*

EVANGELIVM IOAN I. R.

IN illo tempore, Miserunt Iudæi ab Hierosolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem, vt interrogarent eum. Tu quis es? Et confessus est, & non negauit. Et confessus est, quia non sum ego Christus. Et interrogauerunt eum: Quid ergo? Helias es tu? Et dixit: Non sum. Propheta es tu? Et respondit: Non. Dixerunt ergo ei: Quis es, vt responsum demus iis qui miserunt nos? Quid dicis de te ipso? Ait: Ego vox clamantis in deserto, DIRIgite viam Domini, sicut dixit Isaias Propheta. Et qui missi fuerant, erant ex Pharisæis. Et interrogauerunt eum, & dixerunt ei: Quid ergo baptizas, si tu non es

Christus, nequè Helias, nequè Propheta? Respondit eis Ioannes, dicens: Ego baptizo in aqua: medius autem vestrûm stetit, quem vos nescitis: ipse est qui post me venturus est, qui antè me factus est, CVIVS ego non sum dignus, vt soluam eius corrigiam calciamenti. Hæc in Bethania facta sunt trans Iordanem, vbi erat Ioannes baptizans.

OBSERVATIO.

Nunquam cum Isaia dixisset Beatissimus Præcursor Dirigite, Parate, Facite, vt inf. pag. 55. si liberi arbitrii concursum cum Diuina gratia, hominisq; cooperationem cum Deo non cognouisset quam tamen impudenter negant hæretici. Rectè porrò ad Io. Sacerdotes, Leuitæq; mittuntur auctoritatem eius exploraturi. Nemo enim sibi assumit honorem &c. vtinam sic saperent nunc omnes, non tam facilè Nouatoribus aures accommodarentur.

ALIVD EVANG. MATH. XI.

Iuxtà vsum aliarum Ecclesiarum.

IN illo tempore, Cùm audisset Ioannes in vinculis opera Christi. *Vide reliqua Dominica præcedente.* Oratio Ecclesiæ.

Aurem tuam, quæsumus domine, precibus nostris accommoda, & mentis nostræ tenebras gratia tuæ visitationis illustra. Qui viuis & regnas Deus, per omnia secula seculorum, Amen.

Cantica ſeptem, quæ fidem votaq; Priſcorum Patrum in aduentu Chriſti expectando declarant, digna certè quæ ad natalem vſque Chriſti à piis quotidiè repetantur.

I. O Sapientia, quæ ex ore altiſsimi prodiiſti, attingens à fine vſque ad finem fortiter, ſuauiterq; diſponens omnia, veni ad docendum nos viam prudentiæ.

II. O Adonai & dux domus Iſraël, qui Moyſi in igne flammæ rubi apparuiſti, & ei in Syna legem dediſti, veni ad redimendum nos in brachio extento.

III. O Radix Ieſſe, qui ſtas in ſignum populorum, ſuper quem continebunt reges os ſuum, quẽ gentes deprecabuntur, veni ad liberandum nos, iã noli tardare.

IIII. O Clauis Dauid, & ſceptrum domus Iſraël, qui aperis, & nemo claudit; claudis & nemo aperit; veni & educ vinctum de domo carceris, ſedentem in tenebris & vmbra mortis.

V. O Oriens ſplendor lucis æternæ, & ſol iuſtitiæ veni, & illumina ſedentes in tenebris & vmbra mortis.

VI. O Rex gentium, & deſideratus earum, lapisq; angularis, qui facis vtraque vnum, veni, ſalua hominem, quem de limo formaſti.

VII. O Emanuel rex, & legifer noſter, expectatio gentium & ſaluator earum, veni ad ſaluandum nos Domine Deus noſter.

DOMINICA IIII. ADVENTVS.

SVMMARIVM. *Hac Epistola monemur posterioris aduentus, in quo res actionesq; omnes mortalium, quantumuis occultæ, à Deo iudicabuntur. Parùm ergo refert, quales mundus nos iudicet, modò idem sit nobis quod Paulo conscientiæ bonæ testimonium, & futurus ille iudex faueat, qui debitum cuiusque factis vel præmium, vel supplicium reddet. In Euangelio rursus Ioannes Baptista prodit, qui bonus præcursor mortales omnes ad veri Meßiæ aduentum præparat, eo quidem tempore olim in deserto prædicans, quo Iudæorum regio afflicta, & in varios exterosq; gubernatores distracta iacebat. En properat ad nos Emanuel è summo cælo missus, vt se visendùm, imò & complectendũ præbeat omnibus. Quid ergò cunctamur viæ saxosæ, spinosæ, asperæ impedimenta tollere, taliq; hospiti venienti domum etiam internam concinnare? In quibusdam Ecclesiis præcedens mox epistola, quæ scribitur Philippensibus, hoc die retinetur: variatur et Euangelium, & huc transfertur illud, quod in eadem Dominica tertia positum fuit.*

EPISTOLA I. CORINTH. IIII. R.

FRatres, Sic nos existimet homo, vt ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei. Hîc iam quæritur inter dispensatores, vt fidelis quis inueniatur. Mihi autem pro minimo est, vt à vobis iudicer, aut ab humano

die: ſed neque me ipſum iudico. NIHIL enim mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Qui autem iudicat me, Dominus eſt. Itaq; nolite antè tempus iudicare, quoaduſquè veniat Dominus, qui & illuminabit abſcondita tenebrarum, & manifeſtabit conſilia cordium: & tunc laus erit vnicuique à Deo.

OBSERVATIO.

Si nullius peccati D. Paulus ſibi conſcius, iuſtum tamen ſe affirmare non audet, quomodo ſecuritatẽ iuſtitiæ certitudinemq́; gratiæ inaniter iactat hæreticus?

ALIA EPIST. AD PHILIP. IIII.

Iuxtà vſum aliarum Eccleſiarum.

FRatres, Gaudete in Domino ſemper: iterum dico, gaudete. *Accipiantur cætera ex Dominica præcedente.*

EVANGELIVM LVCAE III. R.

ANno quintodecimo imperij Tiberij Cæſaris, procurante Pontio Pilato Iudæam, tetrarcha autem Galilææ Herode, Philippo autem fratre eius tetrarcha Ituræx & trachonitidis regionis, & Lyſania Abilinæ tetrarcha, ſub principibus ſacerdotum Anna & Caipha: Factum eſt verbum Domini ſuper Ioannem Zachariæ filium, in deſerto. Et venit in omnem regionem Iordanis, prædicans baptiſmum pœnitentiæ in remiſſionem peccatorum: ſicut ſcri-

ptum eſt in libro Sermonum Iſaiæ Prophetæ: Vox clamantis in deſerto, PARATE viam DOMINI, rectas facite ſemitas eius. OMNIS vallis implebitur: & omnis mons & collis humiliabitur: & erunt praua, in directa: & aſpera, in vias planas: & videbit omnis caro Salutare Dei.

OBSERVATIO.

Ne erres Baptiſmum Ioan. Bap. eundem eſſe qui Chriſti ſit arbitratus, Signum ille fuit tantùm præparans animos ad pœnitentiam, hoc remiſsionis peccatorum gratiam confert: quare iterari hoc nequit, illo vero baptizati, rurſus baptiſmo Chriſti tingi iubentur a Paulo Act. 19.

ALIVD EVANGELIVM IOAN. I.

IN illo tempore, Miſerunt Iudæi ab Hieroſolymis Sacerdotes & Leuitas ad Ioannem. *Petantur reliqua ex Dominica præcedente.*

Oratio Eccleſiæ.

Excita Domine potentiam tuam & veni, & magna nobis virtute ſuccurre: vt per auxilium gratiæ tuæ, quod noſtra peccata præpediunt, indulgentia tuæ propitiationis acceleret: Qui viuis & regnas &c.

Hymnus B. Ambroſij.

VEni redemptor gentiū, Non ex virili ſemine,
Oſtende partū Virginis, Sed myſtico ſpiramine,
Miretur omne ſeculum, Verbū Dei factū eſt caro,
Talis decet partus Deū. Fructuſq; ventris floruit.

Aluus tumescit Virginis, Excursus usq; ad inferos,
Claustrũ pudoris pmanet, Recursus ad sedem Dei.
Vexilla virtutum micãt, Aequalis æterno patri,
Versatur in templo Deus: Carnis tropheo accĩgere,
Procedens de thalamo suo Infirma nostri corporis
Pudoris aula regia, Virtute firmans perpeti.
Geminæ gigas substãtiæ, Deo Patri sit gloria,
Alacris vt currat viam. Eiusq; soli Filio,
Egressus eius à patre, Cum Spiritu Paracleto,
Regressus eius ad patrem, Et nũc et ĩ ppetuũ, Am.

ISAIÆ IX.

PARVVLVS *natus est nobis, et* FILIVS *datus est nobis.*

PSALMO CX. ET CXI.

Redemptionem misit Dominus populo suo, mandauit in æternum testamentum suum. Exortum est in tenebris lumen rectis, misericos & miserator, & iustus.

NATIVITAS IESV CHRISTI DOMINI NOSTRI.

AD PRIMAM MISSAM,

quæ nocte seu in gallicantu celebratur.

Qua nocte Christus est natus, vt oriens nos visitaret ex alto, & verum mundi lumen in tenebris exoriretur, eadem nocte duæ Missæ celebrantur, in memoriam scilicet ac honorem singularem geminæ Christi na-

natiuitatis,diuinæ & humanæ,æternæ,et temporariæ. Est & spiritualis Christi natiuitas, quæ quotidiæ in credentium mentibus renouatur. Accedit igitur maior seu summa Missa post plenum solis exortum, vt agnoscatur & celebretur manifestè magnum hoc pietatis sacramentum, quod manifestatum est in carne, & mundo apparuit. Quod summum beneficium tùm Propheticis, tùm Apostolicis literis commendatum, vt immensam erga nos Dei charitatem declarat, sic etiã id requirit ab omnibus, vt Deo gratias, ac bonam voluntatem reddant, piè ac deuotè semper illi seruiant, sibi verò sobriè, & proximo iustè viuant. Sic fiet, vt veram æternamq; pacem, nato iam pacis authore, consequantur.

LECTIO ISAIAE PROPH. CAP. IX.

HÆC dicit Dominus: Populus qui ambulabat in tenebris, vidit lucem magnã. habitantibus in regione vmbræ mortis, lux orta est eis. PARVULUS enim natus est nobis, & Filius datus est nobis. Et factus est principatus super humerum eius: & vocabitur nomen eius admirabilis, consiliarius, Deus fortis, pater futuri seculi, princeps pacis. Multiplicabitur eius imperium, & pacis eius non erit finis. Super solium Dauid, & super regnum eius sedebit, vt confirmet illud, & corroboret in iudicio, & iustitia amodò & vsque in sempiternum.

EPISTOLA PAVLI AD TITVM II. R.

CHarissime, Apparuit gratia Dei saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, VT ABnegantes impietatem & secularia deside ria, sobriè & iustè piè viuamus in hoc seculo, expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri IESV Christi. Qui dedit semetipsum pro nobis, vt nos redimeret ab omni iniquitate, & mundaret sibi populum acceptabilem sectatorem bonorum ope rum. Hæc loquere & exhortare in Christo Iesu Domino nostro.

OBSERVATIO.

Si mundatū a Christo acceptabilem populum dicit Paulus, sectator vt sit bonorum operum, abnegataq; impietate sobriè, iustè, & piè viuat, beatam gloriam expectans: falsò igitur solæ fidei iustitiam, salutemq; tribuunt hæretici. ita inf.

EVANGELIVM LVC. II.

IN illo tempore, Exijt edictum à Cæsare Augusto, vt describeretur vniuersus orbis. Hæc descriptio primò facta est à Præside Syriæ Cyrino. Et ibant omnes vt profiterentur, singuli in suam ciuitatem. Ascendit autem & Ioseph à Galilæa de ciuitate Nazareth in Iudæam, in ciuitatem Dauid quę vocatur Bethlehem, vt profiteretur cum Maria desponsata sibi vxore prægnan-

gnante. Factum est autem cùm essent ibi, impleti sunt dies vt pareret, & peperit filium suum PRIMOgenitum, & pannis eum inuoluit,& reclinauit eum in præsepio, quia non erat ei locus in diuersorio. Et pastores erant in regione eadẽ vigilantes, & custodientes vigilias noctis super gregem suum.Et eccè angelus Domini stetit iuxtà illos, & claritas Dei circumfulsit illos,& timuerunt timore magno. Et dixit illis angelus: Nolite timere. ECCE enim euangelizo vobis gaudium magnum,quod erit omni populo:quia NATVS est vobis hodiè Saluator, qui est Christus Dominus,in ciuitate Dauid. Et hoc vobis signum: INVEnietis infantem pãnis inuolutũ, & positum in præsepio: Et subitò facta est cum Angelo multitudo militiæ cælestis laudantium Deum,& dicentium: GLOria in Altissimis Deo, & in terra pax hominibus bonæ voluntatis.

OBSERVATIO.

Primogenitum qui dicit non post genitũ designat, sed antè quem non est genitus alius, siue sit is vnigenitus, vt Christus Mariæ, siue non vt Ruben Iacob.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui hanc sacratißimam noctem veri luminis fecisti illustratione clarescere, da quæsumus, vt cuius lucis mysteria in terra cognouimus, eius quoq; gaudiis in cælo præfruamur. Qui tecum viuit & regnat.

Can-

Canticum solenine.

Grates nunc omnes reddamus Domino Deo, qui sua natiuitate nos liberauit de diabolica poteſtate. Huic oportet vt canamus cum Angelis ſemper, Gloria in excelſis.

AD SECVNDAM MISSAM, QVAE IN AVRORA.

SVMMARIVM. *Epiſtola rurſus nobis commendat Dei gratiam, quæ circa Chriſti natiuitatem ſacroſanctam laudanda & redamanda eſt. De quo ſummo beneficio vtrunque conſiderabimus, quid ſine illo ſimus, & quid per illud in Chriſto ſi volumus eſſe poßimus. Admonent autem in Euangelio Paſtores, quàm non ſit nobis otiandum, aut ſtertendum oblata ſemel gratia Dei, quam & requirunt illi ſedulò, & grati recognoſcunt, & læti prædicant diuulgantq;. Tales paruulos Chriſtus paruulus amat, quibus primum & ſe, & myſteria regni ſui reuelat.*

EPIST. AD TIT. III.

CHariſsime, Apparuit benignitas & humanitas Saluatoris noſtri Dei: non ex operibus iuſtitiæ, quæ fecimus nos, ſed ſecundũ ſuam miſericordiam ſaluos nos fecit, per lauacrum regenerationis & renouationis Spiritus ſancti, quẽ effudit in nos abundè per IESVM Chriſtũ ſaluatorem noſtrum: vt iuſtificati gratia ipſius,

hæredes

hæredes ſimus ſecundum ſpem vitæ æternæ, in Chriſto IESV Domino noſtro.

OBSERVATIO.

Vide ut gratia Dei in nos per lauacrum regenerationis & renouationis abundè effuſa iuſtificatos apertè doceat Apoſtolus, non commentitia illa imputata iuſtitia.

EVANGELIVM LVC. II.

IN illo tempore, Paſtores loquebantur ad inuicem: Tranſeamus vſque Bethlehem, & videamus hoc verbum quod factum eſt, quod fecit Dominus & oſtendit nobis. Et venerũt feſtinantes, & inuenerunt Mariam, & Ioſeph, & infantem poſitum in præſepio. Videntes autẽ cognouerunt de verbo quod dictum erat illis de puero hoc. Et omnes qui audierunt mirati ſunt, & de ijs quæ dicta erant à paſtoribus ad ipſos. MARIA autem conſeruabat omnia verba hæc, conferens in corde ſuo. Et reuerſi ſunt paſtores glorificantes & laudantes Deum in omnibus quæ audierant & viderant: ſicut dictũ eſt ad illos.

Oratio Eccleſiæ.

Da nobis quæſumus omnipotens Deus, vt qui noua incarnati Verbi tui luce perfundimur, hoc in noſtro reſplendeat opere, quod per fidem fulget in mente Per eundem dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

Can-

Canticum Natalitium.

Verè dignum & iuſtum eſt, æquũ & ſalutare, nos tibi ſemper & vbique gratias agere Domine ſancte, Pater omnipotens, æterne Deus: quia per incarnati Verbi myſterium noua mentis noſtræ oculis lux tuæ claritatis infulſit: vt dum viſibiliter Deum cognoſcimus, per hunc in inuiſibilium amorem rapiamur.

AD SVMMAM MISSAM.

SVMMARIVM. *Epiſtola, quemadmodum & Euangelium hoc ſequens, cæleſtis illius Aquilæ proprium, de magnitudine filii Dei admirabiliter & ſublimiter diſſerit: hunc ſcilicet, quem natum hodiè paruulum, & in præſepio poſitum nobis tantoperè gloriamur, eundem eſſe & Prophetis, & Angelis omnibus ſuperiorem: qui vel nutu ſuo ſuſtentat, regit & adminiſtrat omnia: nec filium adoptionis exiſtere, ſed naturalem, coæternum, coæqualem filiũ Patris, adeoq; vnum cum Patre Deum eſſe ac regnare in ſempiternum. Quo magis nos deuincit ſibi tantus Dominus tanta dignatione, quando exinaniuit ſemeptipſum, formam ſerui accipiens. O quæ gratia, qualis humilitas, quanta charitas* VERBVM CARO *factum eſt: Aduerte homo quia limus es, & non ſis ſuperbus: quia Deo iunctus es, & non ſis ingratus. Natus & faſciis inuolutus infans iacet in præſepio, alget, plorat, eget apud matrem pauperculam, ſolis notus paſtoribus. Hæc auſpicia, hæ primitiæ noſtri regis, de quo rectè di-*

xeris,

aceris, Non dimittam illum, nisi benedixerit mihi: osculetur me osculo oris sui.

EPISTOLA AD HAEBREOS I.

FRatres, Multifariàm multisq; modis olim Deus loquens Patribus in Prophetis: nouissimè diebus istis locutus est nobis in Filio, quem constituit hęredem vniuersorum, per quē fecit & secula. Qui cùm sit splendor gloriæ, & figura substantię eius, portansque omnia verbo virtutis suæ, purgationem peccatorum faciens, sedet ad dexteram maiestatis in excelsis: tantò melior Angelis effectus, quantò differentius præ illis nomen hæreditauit. Cui enim dixit aliquandò Angelorum, Filius meus es tu, ego hodiè genui te? Et rursum, Ego ero illi in Patrē: & ipse erit mihi in Filium? Et cùm iterum intro ducit primogenitum in orbem terræ, dicit: Et adorent eum omnes Angeli Dei. Et ad Angelos quidem dicit: Qui facit Angelos suos spiritus: & ministros suos, flammam ignis. Ad filium autem: Thronus tuus Deus in seculum seculi: virga æquitatis virga regni tui. Dilexisti iustitiam, & odisti iniquitatem: propterea vnxit te Deus, Deus tuus oleo exultationis præ participibus tuis. Et, Tu in principio Domine, terram fundasti: & opera manuum tuarum sunt cœli. Ipsi peribunt, tu autem permanebis: & omnes

vt ve-

vt veſtimentum veteraſcent. Et velut amictum mutabis eos, & mutabuntur: tu autem idem ipſe es, & anni tui non deficient.

INITIVM EVANGELII SECVNDVM IOANNEM.

IN principio erat verbum, & verbum erat apud Deum, & Deus erat verbum. Hoc erat in principio apud Deum Omnia per ipſum facta ſunt, & ſine ipſo factum eſt nihil, quod factum eſt. In ipſo vita erat, & vita erat lux hominum: & lux in tenebris lucet, & tenebræ eam non comprehenderunt. Fuit homo miſſus à Deo, cui nomen erat Ioannes. Hic venit in teſtimonium, vt teſtimonium perhiberet de lumine, vt omnes crederent per illum: non erat ille lux, ſed vt teſtimonium perhiberet de lumine. Erat lux vera, quæ illuminat omnem hominem veniētem in hunc mundum. In mundo erat, & mundus per ipſum factus eſt, & mundus eum non cognouit. In propria venit, & ſui eũ non receperunt. Quotquot autem receperunt eum, dedit eis POTES tatem filios Dei fieri, iis qui credunt in nomine eius: Qui non ex ſanguinibus, neque ex voluntate carnis, neque ex voluntate viri, ſed ex Deo nati ſunt. ET VERBVM CARO factum eſt: & habitauit in nobis, & vidimus gloriam eius, gloriam quaſi vnigeniti

à Pa-

à Patre plenum gratiæ & veritatis.

OBSERVATIO.

Si fide recipientibus Christum, datur potestas vt filii Dei fiant Io. testimonio: profectò sola fides quempiam filiũ Dei non facit, sed & Charitas qua ex Deo nascimur, Nati, diuinaq; generatione conseruati non peccamus. Quod non ex sanguinibus &c.

Oratio Ecclesiæ.

Concede quæsumus omnipotens Deus, vt nos vnigeniti tui noua per carnem natiuitas liberet, quos sub peccati iugo vetusta seruitus tenet. Per eundem &c.

Canticum.

Halleluia. Dies sanctificatus illuxit nobis: venite gentes, & adorate Dominũ: quia hodiè descendit lux magna super terram. Halleluia.

Aliud. *Hodiè Christus natus est: hodiè Saluator apparuit: hodiè in terra canunt Angeli, lætantur Archangeli: hodiè exultant iusti, dicentes: Gloria in excelsis Deo, Halleluia, Halleluia.*

Hymnus Sedulij de Christi natiuitate.

A *Solis ortus cardine,*
Ad vsq; terræ limitẽ,
Christũ canam' principẽ,
Natum Maria virgine.
Beatus author seculi,
Seruile corpus induit,
Vt carne carnem liberãs,
Ne perderet quos cõdidit.
Clausæ parentis viscera
Cælestis intrat gratia:
Venter puellæ baiulat
Secreta, quæ nõ nouerat.
Domus pudici pectoris
Templũ repentè fit Dei:

Intacta nesciens virum,
Verbo concepit filium.
Enixa est puerpera,
Quē Gabriel prædixerat,
Quē matris aluo gestiens,
Clausus Ioannes senserat.
Fœno iacere pertulit,
Præsepe non abhorruit,
Paruoq; lacte pastus est,
Per quem nec ales esurit.
Gaudet chorus cælestium,
Et angeli canunt Deo:
Palamq; fit pastoribus,
Pastor, creator omnium,
Gloria tibi domine
Qui natus es de virgine,
Cū patre et sācto spiritu,
In sēpiterna secula, Am.

SACRO DIE S. STEPHANI PROTOMARTYRIS.

SVMMARIVM. *Ex Epistola quæ pars est historiæ nobis à Luca descriptæ, constat, quàm præclarè vixerit, quàm sanctè pugnarit, quàm sincerè amarit etiam inimicos, quamq; fortiter occubuerit primus hic Martyr Christi & Diaconus Ecclesiæ. Martyrii eius causam Euangelium prodit, inuincibilem scilicet Iudæorum peruicaciam atque crudelitatem in eos, qui (vt Stephanus) diuinitus missi ad corrigendā gentem illam, tyrannicè prorsus ab eadem excepti & miserè trucidati sunt. Quæ Iudæorum sæuitia & ingratitudo nos admonet, vt eam detestemur, ni cum illis quoq; perditum iri velimus: sicut rursus inuicta Martyris patientia instruit, vt si cum illo coronari optemus in cælis, fide & fortitudine, charitatis feruore, & patientia ipsum imitemur, sed & pro iustitia ad mortem vsque certemus. O quantum est scelus de seruis Dei ad*

nos missis malè mereri: quam verò securum, nos humiles Christi esse pullos, & sub alis eius colligi, foueri ac protegi.

EPISTOLA IN ACTIS, CAP. VI. ET VII.

IN diebus illis Stephanus plenus gratia & fortitudine, faciebat prodigia & signa magna in populo. Surrexerunt autem quidam de synagoga, quæ appellatur Libertinorum, & Cyrenensium, & Alexandrinorum, & eorũ qui erant à Cilicia & Asia, disputantes cùm Stephano. Et non poterant resistere sapientiæ & spiritui qui loquebatur. Audientes autem hæc, dissecabantur cordibus suis, & stridebant dentibus in eum. Cùm autem esset Stephanus plenus spiritu sancto, intendens in cælum, vidit gloriam Dei, & IESVM stantem à dextris virtutis Dei, & ait: ECCE video cælos apertos, & filium hominis stantem à dextris virtutis Dei. Exclamantes autem voce magna, continuerunt aures suas, & impetum fecerunt vnanimiter in eum. Et eiicientes eum extra ciuitatem, lapidabant. Et testes deposuerunt vestimenta sua secus pedes adolescentis, qui vocabatur Saulus. Et lapidabant Stephanum, inuocantem & dicentem: Domine IESV suscipe spiritum meum. Positis autem genibus, clamauit voce magna, dicens: DOMINE ne statuas illis hoc peccatum. Et cùm hoc

dixiſſet, obdormiuit in Domino.

EVANGELIVM MATH. XXIII.

IN illo tempore, Dicebat IESVS turbis Iudæorum & principibus ſacerdotum: Eccè ego mitto ad vos Prophetas, & ſapientes, & ſcribas: & ex illis occidetis, & crucifigetis, & ex eis flagellabitis in ſynagogis veſtris, & perſequemini de ciuitate in ciuitatem, vt veniat ſuper vos omnis ſanguis iuſtus qui effuſus eſt ſuper terram, à ſanguine Abel iuſti, vſque ad ſanguinem Zachariæ filij Barachiæ, quem occidiſtis inter templum & altare. Amen dico vobis, venient hæc omnia ſuper generationem iſtam. HIERVSALEM, Hieruſalem, quæ occidis Prophetas, & lapidas eos qui ad te miſſi ſunt, quoties VOLVI congregare filios tuos, quemadmodum gallina congregat pullos ſuos ſub alas, & NOLuiſti. ECCE relinquetur vobis domus veſtra deſerta. Dico enim vobis, non me videbitis amodò, donec dicatis: Benedictus qui venit in nomine Domini.

OBSERVATIO.

Annè potuit quicquam apertius ad arbitrii noſtri libertatem aſſerendam, neceſſariumq; cum diuina gratia concurſum dici à Chriſto, quam fuerit his verbis pronuntiatum Volui, & Noluiſti. Pudeat hæreticos apertæ veritati repugnare.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Da nobis, quæsumus Domine, imitari quod colimus: vt discamus & inimicos diligere, quia eius natalitia celebramus, qui nouit etiam pro persecutoribus exorare Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Canticum.

Elegerunt Apostoli Stephanum Leuitam plenum fide & Spiritu sancto: quem lapidauerunt Iudæi orantem & dicentem: Domine Iesu accipe spiritum meum, Halleluia.

Hymnus.

DEus tuorum militum
Sors, et corona, præmiũ,
Laudes canẽtes martyris,
Absolue nexu criminis.
Hic nempe mũdi gaudia,
Et blandimenta noxia,
Caduca ritè deputans,
Peruenit ad cælestia.
Pœnas cucurrit fortiter,
Et sustulit viriliter,
Pro te effundẽs sanguinẽ
Aeterna dona possidet.
Ob hoc precatu supplici
Te poscimus piissime,
In hoc triũpho martyris,
Dimitte noxam seruulis.
Laus & perennis gloria
Deo patri & filio,
Sancto simul paracleto,
In sẽpiterna secula. Am.

DE S. IOANNE APOSTOLO ET EVANGELISTA.

Ex lib. S. Hieron. de script. Eccles. & ex com. in Ep. ad Gal. in c. 6.

IOannes Apostolus, quem Iesus amauit plurimum, filius Zebedæi, frater Iacobi Apo-

ſtoli, quem Herodes poſt paſſionem Domini decollauit, nouiſſimus omnium ſcripſit Euangelium, rogatus ab Aſiæ Epiſcopis, aduerſus Cerinthum aliosque hæreticos, & maximè tunc Ebionitarum dogma conſurgens, qui aſſerunt Chriſtum antè Mariam non fuiſſe: vndè & compulſus eſt diuinam eius natiuitatem edicere. Quarto decimo autem anno, ſecundam poſt Neronem perſecutionem mouente Domitiano, in Pathmos inſulam relegatus, ſcripſit Apocalypſim, quam interpretatur Iuſtinus martyr, & Irenæus. Interfecto autem Domitiano, & actis ob nimiam crudelitatem reſciſſis, ſub Nerua principe rediјt Epheſum: ibiq; vſquè ad Traianum Principem perſeuerans totas Aſiæ fundauit, rexitque Eccleſias.

Beatus Ioannes Euangeliſta, cum Epheſi moraretur vſque ad vltimam ſenectutem, & vix inter diſcipulorum manus, ad Eccleſiam deferretur, nec poſſet in plura vocem verba contexere, nihil aliud per ſingulas ſolebat proferre collectas, niſi hoc: Filioli, diligite alterutrum. Tandem diſcipuli, & fratres, qui aderant, tædio affecti, quod eadem ſemper audirent, dixerunt: Magiſter, quare hoc ſemper loqueris? Qui reſpondit, dignam Ioanne ſententiam: QVIA præceptum Domini eſt; & ſi ſolum fiat, ſufficit.

OBSERVATIO.

Vides Catholice. Euangelium non diuino aliquo mandato, sed rogatu Asianorum Episcoporum aduersus insurgentes hæreses scriptum à D. Io. Christiana siquidem lex in visceribus, fœdere nouo, & corde Ecclesiæ spiritu Dei est exarata. De D. Io. plura qui cupis, lege D. Hieron. ep. ad Princip. Virg. Epithaph. Marcellæ. 1. cont. Iouin. Dyonis. Areop. ep. Ambr. de Virg. Euseb. Cæsar. lib. 3. Hist. Eccl. c. 22. 23. 24. Simeonem Metaph. & Oecum. post expos. Apocal. Isid. de Patrib noui testamenti. Greg. Turonens. vitam D. Io. conscripsit.

SVMMARIVM. *Quæ præstantia dona Spiritus electis Dei organis tribuuntur, vt monet lectio epistolaris, eadem verò Ioannes vbertim accepit, ornatissimus nimirum Apostolus, Euangelista, Propheta, Virgo, non immeritò cælestis Aquila nuncupatus. Ex Euangelio perspicitur, quàm Christo dilectus fuerit & familiaris, cùm super pectus Domini recumbens, ex illo proditorem solus didicerit. Nimirum dilecti est proprium, amantem Christum suauiter redamare, & flagrantem amorẽ verbis moribusq; testari, & his, quæ ad augendum amorem faciunt, præsertim diuinæ sapientiæ, casto, simplici & ardenti pectore operã dare.*

ECCLESIASTICI XV.

QVI timet Deum, faciet bona: & qui continens est iustitiæ, apprehendet illam: &

obuiabit illi quasi mater honorificata. Cibabit illum pane vitæ & intellectus, & aqua sapientiæ salutaris potabit illũ: & firmabitur in illo, & nõ flectetur: & continebit illum, & non confundetur: & exaltabit illum apud proximos suos. In medio Ecclesiæ aperiet os eius, & implebit illum spiritu sapientiæ & intellectus, & stola gloriæ vestiet eum. Iucunditatem & exultationem thesaurizabit super eum, & nomine æterno hæreditabit illum Dominus Deus noster.

OBSERVATIO.

Quam necessarius Dei timor, à quo est bonorum operum exordium.

EVANGELIVM IOAN. XXI.

IN illo tempore, dixit IESVS Petro: Sequere me. Conuersus Petrus vidit illum discipulum, quem diligebat IESVS sequentem, qui & recubuit in cœna super pectus eius, & dixit: Domine, quis est qui tradet te? Hunc ergo cùm vidisset Petrus, dixit IESV: Domine hic autem quid? Dicit ei IESVS: Sic eum volo manere donec veniam, quid ad te? Tu me sequere. Exiit ergo sermo iste inter fratres, quòd discipulus ille non moritur: Et non dixit ei IESVS non moritur: sed, Sic eum volo manere donec veniã, quid ad te? Hic est discipulus ille, qui testimonium perhibet de his, & scripsit hęc. Et scimus

mus quia verum eſt teſtimonium eius.

Oratio Eccleſiæ.

Eccleſiam tuam Domine benignus illuſtra: vt beati Ioannis Apoſtoli & Euangeliſtæ illuminata doctrinis, ad dona perueniat ſempiterna, Per dominum, &c.

Canticum.

Iſte eſt Ioannes, qui ſupra pectus Domini in Cœna recubuit: beatus Apoſtolus, cui reuelata ſunt ſecreta cæleſtia.

Hymnus.

EXultet cælum laudibus,
Reſultet terra gaudiis,
Apoſtolorum gloriam
Sacra canunt ſolemnia.
Vos ſecli iuſti iudices,
Et vera mundi lumina,
Votis precamur cordium,
Audite preces ſupplicum.
Qui cælum verbo clauditis,
Seraſq; eius ſoluitis,
Nos à peccatis omnibus
Soluite iuſſu quæſumus.
Quorum præcepto ſubditur
Salus & languor omniū:
Sanate ægros moribus,
Nos reddētes virtutibus.
Vt, cùm iudex aduenerit
Chriſtus in fine ſeculi,
Nos ſempiterni gaudii
Faciat eſſe compotes.
Deo patri ſit gloria,
Eiuſq; ſoli filio,
Cum ſpiritu paracleto,
Et nūc et ī ppetuū. Amē.

SACRO DIE SANCTORVM INNOCENTIVM.

SVMMARIVM. *Quomodo Herodes immanis Infanticida feſto huic anſam dederit, Chriſto in Aegyptum fugiente, ſatis Euangelium declarat. Additur ex Apocalypſi lectio, qua Martyrum horum, licet*

puellorum, & virtutem in terris, & gloriam in cælis singularem commendat. Vide autē obsecro, Puer Christus vna cum parentibus fugit Herodianos. qui non fugiunt pueri, pereunt, quamuis innocentes. Et nos siue pueri, siue viri imbecilles, nec timemus, nec fugimus, cùm domus ardet intus, cùm apparet scorpius, cum fidei hostis oblatrat, cùm lingua pestilens venenum instillat, aut vicina lues per oculos & aures irrepit.

EPISTOLA APOCAL. XIIII.

IN diebus illis, vidi supra montem Sion agnū stantem, & cum eo centum quadraginta quatuor millia, habentes nomen eius & nomen patris eius scriptum in frontibus suis. Et audiui vocem de cælo, tanquam vocem aquarum multarum, & tanquam vocem tonitrui magni. Et vocem quam audiui, sicut citharædorum citharizantium in citharis suis. Et cantabant quasi canticum nouum antè sedem Dei, & antè quatuor animalia, & seniores. ET NEMO poterat dicere canticum, nisi illa centum quadraginta quatuor millia, qui empti sunt de terra. HI SVNT qui cum mulieribus non sunt coinquinati: virgines enim sunt. HI SEQVVNTVR agnum quocunque ierit. Hi empti sunt ex hominibus, primitiæ Deo & agno: & in ore eorum non est inuentum mendacium. Sinè macula enim sunt ante thronum Dei.

OBSERVATIO.

Quis nisi impurus Iouinianista Matrimonium æquabit Virginitati, qui Priuilegio Cantici, & perpetuæ sequellæ Agni Virgines præ cæteris donari legat à Deo?

EVANGELIVM MATTH. II.

IN illo tempore, Angelus Domini apparuit in somnis Ioseph, dicens: Surge, & accipe puerum & matrem eius, & fuge in Aegyptum: & esto ibi, vsquedum dicam tibi. Futurum est enim, vt Herodes quærat puerum ad perdendum eum. Qui consurgēs, accepit puerum & matrem eius nocte, & secessit in Aegyptum. Et erat ibi vsque ad obitum Herodis: vt adimpleretur quod dictum est à Domino per Prophetam, dicentem: Ex Aegypto vocaui filium meum. Tunc Herodes videns quoniam illusus esset à Magis, iratus est valdè: & mittens, occidit omnes pueros qui erant in Bethlehem, & in omnibus finibus eius, à bimatu & infrà, secundum tempus quod exquisierat à Magis. Tunc adimpletum est quod dictum est per Hieremiam Prophetam, dicentem: Vox in rama audita est, ploratus & vlulatus multus: Rachel plorans filios suos, & noluit consolari, quia non sunt.

Oratio Ecclesiæ.

Deus cuius hodierna die præconium innocentes mar-

tyres

tyres non loquendo, sed moriendo confeßi sunt, omnia in nobis vitiorum mala mortifica, vt fidem tuam quam lingua nostra loquitur etiam moribus vita fateatur, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Canticum.

Innocentes pro Christo infantes occisi sunt, ab iniquo rege lactentes interfecti sunt: ipsum sequuntur agnum sine macula, & dicunt semper, Gloria tibi Domine.

Hymnus.

SAluete flores martyrũ, Grex immolatorũ tener,
Quos lucis ipso ĩ limine Arã ante ipsam simplices
Christi insecutor sustulit, Palma & coronis luditis.
Ceu turbo nascẽtes rosas, Gloria tibi domine,
Vos prima Christi victima: Qui natus es &c.

DE SANCTO SYLVESTRO CONF. PONTIF.

Ex Pontificali & gestis præcipuè.

SYluester Romanus, patre Ruffino, à prima ætate operam dedit Cyrino præsbytero: cuius doctrinam, & mores egregiè imitatus, trigesimum annum agens, Diaconus sanctæ Romanæ Ecclesiæ, à Melchiade Pontifice creatur. Quo in munere, cùm omni laude clericis alijs antecelleret, in eius posteà locum successit imperatore Constantino. Cui imperatori, cum lepræ curandæ causa, sibi ex infantium sanguine, medi-

medicorum consilio balneum parari iussisset, sancti Apostoli Petrus & Paulus, in quiete apparuerunt, præcipientes ei, vt si ex lepra liberari vellet, omissa impij balnei immanitate, Syluestrum in Soracte monte latitātem accerseret: à quo salutari lauacro recreatus, in omni ditione Romani Imperij, templa Christiano more ędificari imperaret, sublatisque inanium deorum simulacris, vero Deo, cultum adhiberet. Constantinus igitur cælestibus monitis obtemperans, Syluestrum diligentissimè cōquisitum vocat, à quo APOSTOLORŪ imagines recognoscens, baptismo sanatur, & ad tuendā propagandamq; Christi religionem inflammatur. Itaque auctore Syluestro, multas basilicas ædificauit, quas sacris imaginibus, donisq; ac muneribus magnificentissimis exornauit, facultate etiā data Christianis quod anteà negatum erat, publicè templa extruendi. Hoc pontifice habita sunt duo concilia: Nicænum, vbi præsidentibus eius legatis, præsenteq; Constantino, & trecentis decem & octo Episcopis, sancta & Catholica fides explicata est, Ario, Photino, & Sabellio, eorumq; Sectatoribus cōdemnatis: quam etiam Synodū CONFIRMAVIT, petentibus concilij patribus vniuersis: & Romanum, in quo interfuère ducēti octoginta quatuor Episcopi, vbi iterum
Arius

Arius, Photinus, Sabellius damnati sunt. Multa item decreta fecit Ecclesiæ Dei vtilia: In his, vt ab episcopo Chrisma conficeretur: vt presbyter, Chrismate, baptizati summum liniret verticem: vt Diaconi Dalmaticis in Ecclesia, & palla linostima, ad læuam vterentur: vt in lineo velo, sacrificium altaris conficeretur. Præscripsit tempus omnibus, qui ordinibus initiati essent, exercendi singulos ordines in ecclesia, antequam quisque ad altiorem gradum ascenderet. Vt Laicus clerico non inferret crimen. Ne clericus apud prophanum iudicem causam diceret. Sabbati, & Dominici diei nomine retento, reliquos hebdomadę dies, feriarum nomine distinctos, appellari voluit; quò significaretur, quotidiè clericos, abiecta cæterorum cura, vni Deo prorsus vacare debere. Huic cœlesti prudentiæ, qua Ecclesiam administrabat, insignis vitæ sanctitas, & benignitas in pauperes perpetuò respondit: quo in genere prouidit, vt clericis copiosis egentes coniungeret, & sacris virginibus, quæ ad victum necessaria essent, suppeditarentur, ne fortè cogerentur egredi septa monasterij. Vixit in Pontific. annos 23. menses decem, dies vndecim. Sepultus est in cœmeterio Priscillæ, via Salaria, fecit ordinationes sex mense Decembri, quibus creauit episcopos sexaginta

quin-

quinque, presbyteros 62. Diaconos 26.

OBSERVATIO.

Vide antiquißimum imaginum vsum. Petri enim & Pauli Apostolorum imagines habebat Syluester, quas ex apparitione dormienti sibi eorundem facta Constantinus Imperator recognouit. Vide Basilicarum constructionem, ornatum, imagines sanctorum. Romani Pontificis in Conciliis confirmandis auctoritatem, Chrismatis vsum, altaris sacrificium, sacras vestes ministrantium, aliaq; permulta ad decorem domus Dei pertinentia. Hæc Nicæni concilii tempore & vigentis Ecclesiæ tranquillitatis. Quid ad hæc hæreticus? De S. Syluestro vide plura apud Symeonē Metaphrasten.

SVMMARIVM. *Perniciosißima tempora Epistola prædicit quibus homines aurium pruritu delectati veritatem ab Apostolis Apostolicisq; viris prædicatam respuent, & Nouatorum fabulis ac commentis aures accommodabunt, qualia certè, heu, hæc nostra fuerunt: simul nos sub persona sua Paulus tanquā milites esse debere describit boni certaminis coronam gloriæ reportaturos Deo Iudice iusto. Euangelium castimoniam prædicat, operum bonorū lucernam in manibus gestandam, vigilantiumq; & Dominum expectantium seruorum cum timore mercedem, qualem D. Syluestrum fuisse, eius vita declarat.*

EPISTOLA.

CHarissime. Testificor corã Deo & Christo Iesu qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius, prædica verbum, insta opportunè, importunè, argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & a veritate quidem auditum auertent, ad fabulas autẽ conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple, sobrius esto. Ego enim iam delibor, & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui: In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex: non solum autem mihi, sed & iis qui diligunt aduentum eius.

EVANGELIVM LVC. XII.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Sint lumbi vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus expectantibus dominum suum, quando reuertatur à nuptiis: vt, cum venerit, & pulsauerit, confestim aperiant ei. Beati serui illi, quos cũ venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen

dico

dico vobis, quod pręcinget se, & faciet illos discumbere, & transiens ministrabit illis. Et, si venerit in secunda vigilia: &, si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit: beati sunt serui illi. Hoc autem scitote: quoniam si sciret paterfamilias, qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. Et vos estote parati: quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

Oratio Ecclesiæ.

Da, quæsumus omnipotens Deus: vt beati Syluestri confeßoris tui atque pontificis veneranda solemnitas, & deuotionem nobis augeat, & salutem. Per do.

Hymnus.

Iste confessor domini sacratus,
Festa plebs cuius celebrat per orbem,
Hodiè lætus meruit secreta
Scandere cæli.

Qui pius, prudens, humilis, pudicus,
Sobrius, castus fuit; & quietus,
Vita dum præsens vegetauit eius
Corporis artus.

Ad sacrum cuius tumulum frequenter
Membra languentum modo sanitati,
Quolibet morbo fuerint grauatà
Restituuntur.

Vnde nunc noster Chorus in honorem

Ipsius hymnum canit hunc libenter,
Vt piis eius meritis iuuemur.
Omne per æuum.
Sit salus illi, decus, atque virtus
Qui supra cæli residens cacumen,
Totius mundi machinam gubernat,
Trinus, & vnus. Amen.

DOMINICA PRIMA POST NATIVITATEM DOMINI.

SVMMARIVM. *Dominicæ incarnationis ac natiuitatis fructum vides in Epistola quia non modò liberamur ab onere legis & seruitute peccati: sed etiam veri filii Dei & hæredes, Christíque cohæredes efficimur. Curemus tantùm, vti Euangelium addit, exemplo pueri Iesu succrescere, & spiritu confortari, augeríque virtutibus & operibus bonis, quæ Anna casta & religiosa vidua ieiunando & orando, nobis commendat. Simeon verò & eadem Anna de vero nato Meßia testimonium firmum adferunt, fidémque nostram confirmant, ac docent benedicere, confiteri & laudare Christum priuatim & publicè. Pertranseat animas quoque nostras gladius, quia Simeonis vaticinium hodiè videmus impleri, vt hinc meritò mater lugeat Ecclesia. Clàm, palàm sæuitur in Christi corpus, quod plurimis in ruinam & offendiculum vertitur. Christi verbo, exemplo, Ecclesiæ sacramentis,*

institutis

instirutis paßim contradicitur, idémque à paucis testibus verè honoratur.

EPISTOLA AD GALAT. IIII.

FRatres, Quanto tempore hęres paruulus est, nihil differt à seruo, cùm sit dominus omnium, sed sub tutoribus & actoribus est vsque ad præfinitum tempus à patre. Ita & nos cùm essemus paruuli, sub elementis mundi huius eramus seruientes. At vbi venit plenitudo temporis, misit Deus filium suum natum ex muliere, factum sub lege, vt eos qui sub lege erant redimeret; vt adoptionem filiorum reciperemus. Quoniam autem estis filij Dei, misit Deus spiritum filij sui in corda vestra clamantem Abba, pater. Itaque iam non est seruus, sed filius: quòd si filius, & hæres per Deum.

EVANGELIVM LVC. II.

IN illo tempore, Erant Ioseph & Maria mater IESV mirantes super his, quæ dicebantur de illo. Et benedixit illis Simeon, & dixit ad Mariam matrem eius: ECCE positus est hic in ruinam, & in resurrectionem multorum in Israël, & in signum cui contradicetur. Et tuam ipsius animam pertransibit gladius, vt reuelentur ex multis cordibus cogitationes. Et erat Anna prophetissa filia Phanuel, de tribu Aser: hęc processerat in diebus multis, & vixerat cum viro suo

ro ſuo annis ſeptem à virginitate ſua. Et hæc vidua vſque ad annos octoginta quatuor. Quæ non diſcedebat de templo, ieiuniis & obſecrationibus ſeruiens nocte ac die. Et hæc ipſa hora ſuperueniens confitebatur Domino, & loquebatur de illo omnibus qui expectabant redemptionem Iſraël. Et vt perfecerunt omnia ſecundum legem Domini, reuerſi ſunt in Galilæam in ciuitatem ſuã Nazareth. PVER autem creſcebat, & confortabatur, plenus ſapientia: & gratia Dei erat in illo.

OBSERVATIO.

Diſpari ratione in ruinam reſurrectionemq; intentator malorum Ieſus poſitus eſt, huius ſiquidem effectrix eſt cauſa, illius occaſio acceptumq; ſcandalum. Viduitatis porrò dignitatem ac bonum in Anna verè anu vidua Lucas prædicat, quam a templi aſſiduo famulitio, ieiuniis, diurnis nocturniſq; obſecrationibus commendat; quibus tamen piis operibus impiè in Religioſis detrahit hæreticus.

Oratio Eccleſiæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, dirige actus noſtros in beneplacito tuo, vt in nomine dilecti filii tui mereamur bonis operibus abundare Per Dominum noſtrum.

DIE FESTO CIRCVNCISIONIS DOMINI.

SVMMARIVM. *Cùm breuiter agat Euange-*

lium

tium de Christi circuncisione, Paulus per Epistolam ostendit, post aduentum Christi abrogatæ circuncisioni baptismum successisse, per quem Christiani omnes, cuiuscunque sint illi ordinis & conditionis, vnum in Christo efficiuntur, & ab vno etiam spiritu sanctificantur atque diriguntur. Sed ô ingens meritum, pretium, exemplum pueri tenelli fundentis sanguinem, seq; tam duræ legi subiicientis. Quid nobis igitur incircuncisis facto est opus? quid? nisi vt per omnes animi corporisq; partes sancta ducatur circuncisio, & fomentum olei adhibeatur. Oleum effusum nomen Iesu sacrosanctum, quo laborem, dolorem ac molestiam omnem facilè aut depellimus, aut mitigamus: cuius demùm auspiciis nouus annus, & quicquid rectè precamur, felix homini & salutare contingit. Quod si Epistolam sequimur cum Ecclesia Romana, renouatur nobis memoria Dominicæ natiuitatis, & quis tanti beneficii vsus ac fructus apud nos constare debeat, à Paulo demonstratur.

EPISTOLA PAVLI AD TIT. II. R.

CHarissime, Apparuit gratia Dei Saluatoris nostri omnibus hominibus, erudiens nos, VT ABNEGANTES impietatem & secularia desideria, sobriè, & iustè, & piè viuamus in hoc seculo: expectantes beatam spem & aduentum gloriæ magni Dei, & Saluatoris nostri Iesu Christi. Qui dedit semetipsum pro nobis,

VT NOS redimeret ab omni iniquitate,& mundaret ſibi populum acceptabilem, ſectatorem bonorum operum. Hæc loquere, & exhortare in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

ALIA EPIST. AD GALAT. III.

Iuxta vſum aliarum Eccleſiarum.

FRatres, Priuſquam veniret fides, ſub lege cuſtodiebamur, concluſi in eam fidem quæ reuelanda erat. Itaque lex pædagogus noſter fuit in Chriſto,vt ex fide iuſtificemur. At vbi venit fides, iam non ſumus ſub pædagogo. Omnes enim filij Dei eſtis per fidem quæ eſt in Chriſto IESV. Quicunque enim in Chriſto baptizati eſtis,Chriſtum induiſtis. Non eſt Iudæus neque Græcus, non eſt ſeruus,neque liber, non eſt maſculus,neq; fœmina. OMNES enim vos vnum eſtis in Chriſto IESV. Si autem vos Chriſti, ergo Abrahæ ſemen eſtis, ſecundum promisſionem hæredes.

OBSERVATIO.

Ne Paulum Euangeliſtæ Io. aduerſari putes, vt ſupra eſt adnotatum. Nam fidem hic pro Chriſtiana lege vſurpat, non pro illo peculiari dono fidei quod à caritate diſtinguitur,vt patet ex verbis illis,lex Pædagogus,vbi venit fides, Agar ſiquidem in ſeruitutẽ generat,Sara in libertatem filiorum Dei.

EVANGELIVM LVC. II.

POstquam consumati sunt dies octo, vt circuncideretur puer, vocatum est nomen eius IESVS. Quod vocatum est ab Angelo, priusquàm in vtero conciperetur.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui salutis æternæ beatæ Mariæ virginitate fæcunda humano generi præmia præstitisti, tribue quæsumus, vt ipsam pro nobis intercedere sentiamus, per quam meruimus auctorem vitæ suscipere Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Canticum.

O admirabile commercium: Creator generis humani animatum corpus sumens, de virgine nasci dignatus, est & procedens homo sine semine, largitus est nobis suam deitatem.

SANCTO DIE EPIPHANIÆ DOMINI.

SVMMARIVM. *Verè Epiphania, id est, apparitio seu manifestatio dicitur, quo die sol iustitiæ principibus gentium est visus, vt non solùm gloriam suam haberet Israël, sed etiam lumen gentibus quæ sedebant in tenebris, appareret. Ita fore vaticinatur Esaias sequenti lectione, atque ita factum esse testatur Matthæus, dùm ostendit Magos, quos Chrysostomus Reges Persarum vocat, primùm in Hierusalē, deinde in Bethlehem ad Christum confitendum accessisse*

fisse. De horum numeribus pulchrè canit Sedulius:

Aurea nascenti fuderunt munera Regi,
Thura dedere Deo, myrrhā tribuere sepulto.

Cur autem hodiè Christus ita nobis quemadmodum Magis non apparet? Vocantem æquè non audimus, vocationis indicia non obseruamus, vocati difficilem fugimus viam, & commodam quærimus. Cedimus & Herodianis meticulosi, nobísque relicti iacemus, & facilè frangimus animos: tum si ad Christum rectà pergimus, parùm sapit ille nobis in stabulo, fasciis, præsepi repertus: Regi non regia, sed vulgaria, sæpè & sordida præbemus munera, nec verè procidentes totíque supplices adoramus.

EPISTOLA ESAIAE IX.

SVrge, illuminare Hierusalem, quia venit lumen tuum, & gloria Domini super te orta est. Quia eccè tenebræ operient terram, & caligo populos: super te autem orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Et ambulabunt gentes in lumine tuo, & reges in splendore ortus tui. Leua in circuitu oculos tuos, & vide: omnes isti congregati sunt, venerunt tibi. Filij tui de longè venient, & filiæ tuæ de latere surgent. Tunc videbis & afflues, & mirabitur, & dilatabitur cor tuum, quando conuersa fuerit ad te multitudo maris, fortitudo gentium venerit tibi. Inundatio camelorum operiet te,

drome-

dromedarij Madian & Epha. Omnes de Saba venient, aurum & thus deferentes, & laudem Domino annunciantes.

EVANGELIVM MATTH. II.

CVm natus esset IESVS in Bethlehem Iudæ, in diebus Herodis regis, eccè Magi ab Oriente venerunt Hierosolymam, dicentes: Vbi est qui natus est Rex Iudæorum? Vidimus enim stellam eius in Oriente, & venimus adorare eum. Audiens autem Herodes Rex, turbatus est, & omnis Hierosolyma cum illo. Et congregans omnes principes sacerdotum & scribas populi, sciscitabatur ab eis, vbi Christus nasceretur. At illi dixerunt ei: In Bethlehem Iudæ. Sic enim scriptum est per Prophetam: Et tu Bethlehem terra Iuda, nequaquam minima es in principibus Iuda. Ex te enim exiet Dux, qui regat populũ meum Israël. Tunc Herodes clàm vocatis Magis, diligenter didicit ab eis tempus stellæ quæ apparuit eis. Et mittens illos in Bethlehem, dixit: Ite, & interrogate diligenter de puero: & cùm inueneritis, renuntiate mihi, vt & ego veniens, adorem eum. Qui cùm audissent Regem, abierunt. Et eccè stella quam viderant in Oriente, antecedebat eos, vsquedum veniens staret suprà vbi erat puer. Videntes autem stellam, gauisi sunt gaudio magno valdè. Et intrantes

trantes domum, inuenerunt puerum cum Maria matre eius: & procidentes adorauerunt eum: & apertis thesauris suis, obtulerunt ei munera, aurum, thus,& myrrham. Et responso accepto in somnis, ne redirent ad Herodem, per aliam viam reuersi sunt in regionem suam.

OBSERVATIO.

Rectè Herodes, si mens non læua fuisset, sacerdotes & scribas cogit: labia enim sacerdotis custodiunt scientiā &c. Hunc tu hac in re imitare Christiane, Ne Cerdones, Pharmacopolas, Apostatas consulas. ni velis Christum in domo panis Ecclesia scilicet manentem ignorare.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui hodierna die Vnigenitum tuum gentibus Stella duce reuelasti: concede prnpitius, vt qui iam te ex fide cognouimus, vsque ad contemplandam speciē tuæ celsitudinis perducamur, Per eundem dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Canticum.

Tribus miraculis ornatum diem sanctū colimus. Hodiè Stella Magos duxit ad præsepium. Hodiè vinū ex aqua factū est ad nuptias. Hodiè à Ioāne in Iorda*ne Christus baptizari voluit, vt saluaret nos. Hallelu.*

Hymnus Sedulii.

H*Erodes hostis impie,*
Christum venire quid times?

Non

Non eripit mortalia,
Qui regna dat cælestia.
Ibant Magi quam viderant,
Stellam sequentes præuiam:
Lumen requirunt lumine,
Deum fatentur munere.
Lauacra puri gurgitis
Cælestis agnus attigit:
Peccata quæ non detulit,
Nos abluendo, sustulit.
Nouum genus potentiæ,
Aquæ rubescunt hydriæ,
Vinumq́; iussa fundere
Mutauit vnda originem.
Gloria tibi domine,
Qui apparuisti hodiè,
Cum patre & sancto spiritu,
In sempiterna secula. Amen.

Hymnus D. Hilarij in Epiphania Domini.

IEsus refulsit omnium
Pius redemptor gentium:
Totum genus fidelium
Laudes celebret Dramatum.
Quem stella natum fulgida
Monstrat micans per æthera,
Magosq́; duxit præuia
Ipsius ad cunabula.

Illi cadentes, paruulum
Pannis adorant obsitum:
Verum fatentur & Deum
Munus ferendo mysticum.
Denis ter annorum cyclis
Iam parte viuens temporis,
Lymphas petit baptismatis,
Cunctis carens contagiis.
Felix Ioannes mergere
Illum tremiscit flumine,
Potest suo qui sanguine
Peccata mundi tergere.
Nos Christe subnixa prece
Omnes precamur protege,
Qui præcipis rubescere
Aquæ potenter hydriæ.

DOMINICA INFRA OCTAVAM EPIPHANIAE.

SVMMARIVM. *Quoniam nati Saluatoris recens & solennis adhuc est memoria, pulchrè ad spiritualem natiuitatem nobis in Christo parandam traducimur. Ostendit igitur Epistola, totam Christiani hominis vitam talem esse debere, vt pura sit seruitus Dei, quam innocentia, modestia, charitas & concordia fraterna commendet ac ornet. Euangelium similiter exemplo pueri Iesu nos docet sanctè repuerascere: & est prætereà velut absolutum exemplar*

plar pueritiæ ad pietatem informandæ, ſanctéque ad Dei gloriam in timore, probitate, prudentia, ſubiectione & obedientia educandæ. Summa hiſtoriæ hæc eſt, Chriſtum adhuc puerum tribus diebus amiſſum, & in templo inter doctores Iudæorum inuentum, prudenti reſponſo facti ſui rationem reddidiſſe, ac parentibus obediuiſſe.

EPISTOLA AD ROMANOS XII.

FRatres, Obſecro vos per miſericordiam Dei, vt exhibeatis CORPORA veſtra hoſtiam viuentem, ſanctam, Deo placentem, rationabile obſequium veſtrum. ET NOLITE conformari huic ſeculo, ſed reformamini in nouitate ſenſus veſtri, vt probetis quæ ſit voluntas Dei bona & beneplacens, & perfecta. Dico enim per gratiam quæ data eſt mihi, omnibus qui ſunt inter vos: NON plus ſapere quàm oportet ſapere, ſed ſapere ad ſobrietatem: & vnicuique ſicut Deus diuiſit menſuram fidei. Sicut enim in vno corpore multa membra habemus, omnia autem membra non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto, ſinguli autem alter alterius membra, in Chriſto IESV Domino noſtro.

OBSERVATIO.

Quid corporum noſtrorum placentes Deo hoſtias Paule exigis, ſi fidem ſolam animorũ requirit Deus,

vt

vt somniant Nouatores? Quanto tu rectius, & opera requiris membrorum, & horum disparia munia describis, petulantiam vt hæreticorũ retundas, qui omnes Tertull. teste tument, omnes scientiam pollicẽtur. &c. lib. de Præscript.

EVANGELIVM LVC. II.

CVm factus esset IESVS annorum duodecim ascendentibus illis Hierosolymam, secundum consuetudinem DIEI FESTI, consumatisque diebus cùm redirent, remansit puer IESVS in Hierusalem: & non cognouerunt parentes eius. Existimantes autem illum esse in comitatu, venerunt iter diei, & requirebant eum inter cognatos & notos. Et non inuenientes, regressi sunt in Hierusalem, requirentes eum. Et factum est post triduum, inuenerunt illum in templo sedentem in medio Doctorum, audientem illos, & interrogantem. Stupebant autem omnes, qui eum audiebant, super prudentia & responsis eius. Et videntes, admirati sunt. Et dixit mater eius ad illum: Fili, quid fecisti nobis sic? Eccè pater tuus & ego dolentes quærebamus te. Et ait ad illos: Quid est quod me quærebatis? Nesciebatis quia in his quæ Patris mei sunt, oportet me esse? Et ipsi non intellexerunt verbum quod locutus est ad eos. Et descendit cum eis, & venit Nazareth: & ERAT subditus illis.

illis. Et mater eius conseruabat omnia verba hęc in corde suo. Et IESVS proficiebat sapientia, & ætate, & gratia apud Deum & homines.

OBSERVATIO.

Si Iudaica festa tam religiosè semper obseruauit Christus, cur Christiana Christianus sceleste cum hereticis contemnet? Oratio Ecclesiæ.

Vota, quæsumus Domine, supplicantis populi cælesti pietate prosequere: vt & quæ agenda sunt videāt, & ad implenda quæ viderint, conualescant; Per do.

DOMINICA II. POST EPIPHANIAM.

SVMMARIVM. Ad alendam concordiam & vnanimitatem, quæ præcipuum & necessarium est in Ecclesia Dei donum, sequens instruit Epistola. Vult vt suam quisque vocationem agnoscat & sequatur, eandémque omnium virtutum, præsertim charitatis studio comprobet. Euangelium describit primum Christi miraculum, de aqua scilicet in vinum conuersa, vt Matrimonii sacramentum confirmaretur, & pauperibus coniugibus ex Christi gratia solatium tribueretur, demùm & Meßiæ diuinitas propalaretur. Benè habet coniugium, vbi vocatus et beneficus adest IESVS, *fauetq; ac intercedit Maria: quæ & ipsa coniunx Ioseph, sed salua virginitate. Huius exemplum in Christo & vtroque Ioanne sic elucet, vt cælibatus coniugio non sit posthabendus. Per-*

spicuè

ſpicuè dixit Auguſtinus: Continentiam coniugio præponamus: ſanctam verò virginitatem etiam continentiæ viduali.

EPISTOLA AD ROMANOS XII.

FRatres, Habentes donationes ſecundum gratiam, quæ data eſt nobis differentes: ſiue prophetiam ſecundum rationem fidei: ſiue miniſterium, in miniſtrando: ſiue qui docet, in doctrina: qui exhortatur, in exhortando: qui tribuit, in ſimplicitate: qui præeſt, in ſolicitudine: qui miſeretur, in hilaritate. Dilectio ſine ſimulatione. Odientes malum, adhærentes bono. Charitatem fraternitatis inuicem diligentes, honore inuicem præuenientes, ſolicitudine non pigri, ſpiritu feruentes, Domino ſeruientes, ſpe gaudentes, in tribulatione patientes, orationi inſtantes, neceſsitatibus ſanctorum communicantes, hoſpitalitatem ſectantes. Benedicite perſequentibus vos, benedicite & nolite maledicere. Gaudete cum gaudentibus, & flete cum flentibus. Idipſum inuicem ſentientes. Non alta ſapientes, ſed humilibus conſentientes.

OBSERVATIO.

Vides et hic non omnibus omnia dona dediſſe Deũ, at apud Nouatores omnes Sacerdotes aſſeruntur, omnes docent, etiam & garrulæ, vt Hieron. inquit anus, verboſiq; ſenes, ne quid dicam grauius. omnia confundit

undit confusus error. Vide & operum necessitatem.

EVANGELIVM IOAN. II.

IN illo tempore, Nuptiæ factæ sunt in Cana Galileæ, & erat mater IESV ibi. Vocatus est autem & IESVS & discipuli eius ad nuptias. Et deficiente vino, dicit mater IESV ad eum: Vinum non habent. Et dicit ei IESVS: Quid mihi & tibi est mulier? Nondum venit hora mea. Dicit mater eius ministris: QVODCVNQVE dixerit vobis, facite. Erant autem ibi lapideæ hydriæ sex positę secundum purificationem Iudæorum, capientes singulæ metretas binas vel ternas. Dicit eis IESVS: Implete hydrias aqua. Et impleuerunt eas vsque ad summum. Et dicit eis IESVS: Haurite nunc, & ferte Architriclino. Et tulerunt. Vt autem gustauit Architriclinus aquam vinum FACTAM, & non sciebat vnde esset, ministri autem sciebant qui hauserant aquam, vocat sponsum Architriclinus, & dicit ei: Omnis homo primùm bonum vinum ponit: & cùm inebriati fuerint, tunc id quod deterius est. Tu autem seruasti bonum vinum vsque adhùc. Hoc fecit initium signorum IESVS in Cana Galileæ, & manifestauit gloriam suam: & crediderunt in eum discipuli eius.

OBSERVATIO.

Non omnibus omnia data esse ad Ecclesiastica mu

nia obeunda docet Epiſtola. Tranſubſtantiationis aquæ in vinum Euangelium meminit mirandum vt iam ſit credendumq́; I E S V M qui ſola voluntate aquam mutauit in vinum in nuptiis, conceptis verbis, Diuina poteſtate, vinum in ſanguinem, cœna legali expleta, tranſubſtantiaſſe.

Oratio Eccleſiæ.

Omnipotens ſempiterne Deus, qui cœleſtia ſimul & terrena moderaris, ſupplicationes populi tui clementer exaudi, & pacem tuam noſtris concede temporibus, Per Dominum noſtrum I E S V M Chriſtum filium tuum.

DOMINICA III. POST EPIPHANIAM.

S V M M A R I V M. *Chriſtiana vacatio vacare debet iactantia, oſtentatione, aliorúmque contemptu Phariſaico: requirit autem modeſtiam, manſuetudinem, patientiam, beneficentiam, ac de omnibus, etiã inimicis noſtris, bene merendi ſtudium indefeſſum. Hoc Epiſtola docet, hoc & Chriſti bonitas in Euangelio magis magísque declarat, tùm erga leproſum tùm erga centurionem, in quo fides, humilitas & prudentia mirabilis comperitur. Cæterùm ad confirmandam in nobis fidem, obedientiam, & humilitatem duo ſunt Domini miracula, de curato leproſo & paralytico, præcipuè accommodanda.*

EPISTOLA AD ROMANOS XII.

FRatres, Nolite eſſe prudentes apud voſmetipſos. Nulli malum pro malo reddentes, PROVIdentes bona non tantùm coràm Deo, ſed etiam coràm omnibus hominibus. Si fieri poteſt, quod ex vobis eſt, cum omnibus hominibus pacem habentes. Non voſmetipſos defendentes, chariſſimi, ſed date locum irę. Scriptum eſt enim: MIHI vindictam, & ego retribuam, dicit Dominus. Sed ſi eſurierit inimicus tuus, ciba illũ: ſi ſitit, potum da illi. Hoc enim faciens, carbones ignis congeres ſuper caput eius. NOLI vinci à malo, ſed vince in bono malũ.

EVANGELIVM MATH. VIII.

IN illo tempore, Cùm deſcendiſſet IESVS de monte ſecutę ſunt eum turbę multę: & eccè leproſus veniens, adorabat eum, dicens: Domine ſi vis, potes me mundare. Et extendens IESVS manum, tetigit eum, dicens: Volo, Mundare. Et confeſtim mundata eſt lepra eius. Et ait illi IESVS: Vide, nemini dixeris: ſed vade OSTENDE te Sacerdoti, & offer munus quòd pręcepit Moyſes, in teſtimonium illis. Cùm autem introiſſet Capernaum, acceſſit ad eum Centurio, rogans eum, & dicens: Domine, puer meus iacet in domo paraliticus, & malè torquetur. Et ait illi IESVS: Ego veniam, & curabo

eum. Et respondens Centurio, ait: DOMINE, non sum dignus, vt intres sub tectum meum: sed tantum dic verbo, & sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic: vade, & vadit: & alio, veni, & venit: & seruo meo, fac hoc; & facit. Audiens autem IESVS, miratus est: & sequentibus se dixit: Amen dico vobis, non inueni tantam fidem in Israel. Dico autem vobis, quòd multi ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cęlorum: Filij autem regni eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor gentium Et dixit IESVS Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi. Et sanatus est puer ex illa hora.

OBSERVATIO.

Bona opera quã necessaria sint docet Epistola. Ex eo autem Euangelii loco, ostende te Sacerdoti Auricularem Confeßionem D. Aug. colligit lib. 2. de visit. infir. c. 4. 5. Humilitatis porrò Christianæ in Eucharistiæ sumptione profeßionem ex hoc Euangelio desumptam vides Domine non sum dignus &c. Vanam denique securitatem salutis tollit illud Filii regni eiicientur, &c.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus infirmitatem nostram

stram propitius respice: atque ad protegendum nos dexteram tuæ maiestatis extende, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA IIII. POST EPIPHANIAM.

SVMMARIVM. *Epistola nobis charitatem multis modis commendat, quòd hæc fideles ad legis perfectionem adducat, & exercitium in illis habeat proprium, deuitare malum & enixè bonum operari. Euangelium versatur in miraculo tranquillati maris à Christo, quo dormiente discipuli turbantur, & probantur in graui tempestate, docentq; nos ritè vti periculis & tentationibus, nimirum tùm ad nos ipsos agnoscendos, quàm simus imbecilles, tùm ad Deum requirendum, vt qui suis fidelis aßistit, ac facit etiam cum tentatione prouentum. Præcipuè verò hic typus ostendit prouidentiam & curam Domini erga nauiculam Ecclesiæ suæ, Sinit hanc ad tempus fluctuare & grauißimis concuti tempestatibus: potenter tamen inter vndas & procellas eandem regit, defendit atque conseruat, quia non dormitat qui custodit Israel.*

EPISTOLA AD ROM. XIII.

FRatres, Nemini quicquam debeatis, nisi vt inuicem diligatis. QVI enim diligit proximum, legem impleuit. Nam, Non adulterabis, Non occides, Non furaberis, Non falsum testimonium dices, Non concupisces, & si quod est

aliud mandatum, in hoc verbo instauratur: DILIGES proximum tuum sicut te ipsum. Dilectio proximi, malum non operatur. PLENITUDO ergo legis, est dilectio.

OBSERVATIO.

Si omnia in verbo diliges instaurantur, plenitudoq; legis est Dilectio, quomodo sola Fides plenè iustificat hæretice?

EVANGELIVM MATH. VIII.

IN illo tempore, Ascendente IESV in nauiculam, secuti sunt eum discipuli eius. Et eccè motus magnus factus est in mari, ita vt nauicula operiretur fluctibus. Ipse verò dormiebat. Et accesserunt discipuli eius, & suscitauerunt eum dicentes: DOMINE salua nos, perimus. Et dicit eis IESVS: Quid timidi estis modicę fidei? Tunc surgens, imperauit ventis & mari, & facta est tranquillitas magna. Porrò homines mirati sunt, dicentes: Qualis est hic, quia venti & mare obediunt ei? Oratio Ecclesiæ.

Deus qui nos in tantis periculis constitutos pro humana scis fragilitate non posse subsistere, da nobis salutem mentis & corporis: vt ea quæ pro peccatis nostris patimur, te adiuuante vincamus, Per dominum.

DOMINICA V. POST EPIPHANIAM.

SVMMARIVM. *Christianorum est, vt Epistola*

la præscribit, charitatis curam imprimis habere, tùm erga Deum; ad cuius gloriam spiritales exercitationes & nostra omnia sedulo sunt referenda, tùm erga proximum, de quo etiam immerente iuxta Christi exemplum benè merendum est. Euangelium in parabola versatur de bono semine tritici, quod inimicus inspersis noctu Zizaniis corrupit. Habet Ecclesia diuinitus traditam sibi salutarem doctrinam. Sed hanc Satan per suos vsque vitiare conatur, omnia nempè pertentans, vt pereat nobis fructus boni seminis, & seminator optato successu fraudetur.

EPISTOLA AD COLOSS. III.

FRatres, Induite vos sicut electi Dei sancti & dilecti, viscera misericordiæ, benignitatem, humilitatem, modestiam, patientiam, supportantes inuicem & donantes vobismetipsis, si quis aduersus aliquem habet querelam, sicut & Dominus donauit vobis, ita & vos. SVPER omnia autem hæc charitatem habete, quod est vinculum perfectionis. Et pax Christi exultet in cordibus vestris, in qua & vocati estis in vno corpore, & grati estote. Verbum Christi habitet in vobis abundanter in omni sapientia, docentes & commonentes vosmetipsos in psalmis, & hymnis, & canticis spiritualibus, in gratia cantantes in cordibus vestris Domino. OMNE quodcunque facitis in verbo & opere, omnia in

nomine Domini nostri IESV Christi facite: gratias agentes Deo & patri PER IESVM Christum Dominum nostrum.

EVANGELIVM MATH. XIII.

IN illo tempore dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc. Simile factum est regnum cælorum homini, qui seminauit bonum semen in agro suo. CVM AVTEM dormirent homines, venit inimicus eius, & superseminauit zizania in medio tritici, & abiit. Cùm autem creuisset herba, & fructum fecisset, tunc apparuerunt & zizania. Accedentes autem serui patrisfamilias, dixerunt ei: Domine nonnè bonum semen seminasti in agro tuo: vnde ergo habet zizania? Et ait illis. Inimicus homo hoc fecit. Serui autem dixerunt ei: Vis imus & colligimus ea? Et ait, Non: ne fortè colligentes zizania eradicetis simul cum eis & triticum. Sinite vtraq; crescere vsque ad messem, & in tempore messis dicam messoribus: COLLIGITE primùm zizania, & alligate ea in fasciculos ad comburendum: triticum autem congregate in horreum meum.

OBSERVATIO.

Eccè et hic caritatem super omnia habendam, quæ est vinculum perfectionis. q. d. sine ea perfectum esse nihil vide extremis Epistolæ verbis vnde desumptus

sit

ſit omnium eccleſiaſticarum orationum finis Per dominum &c. Porrò iam firmatis fidei ſeminibus cum eorum euellendorum iam nullum ſit periculum, Zizania hæreticũ colligant Meſſores Dei vt habet Euãgel.

Oratio Eccleſiæ.

Familiam tuam, quæſumus, domine continua pietate cuſtodi, vt quæ in ſola ſpe gratiæ cæleſtis innititur, tua ſemper protectione muniatur, Per dominum.

DOMINICA VI. POST EPIPHANIAM.

SVMMARIVM. *Laudantur in Epiſtola Theſſalonicenſes, quorum exemplum vt olim aliis credentibus prælucebat, ſic etiam nobis ad Apoſtolicam fidem & virtutem ſectandam magnum debet eſſe incitamentum. In illis clarè cernimus, quàm verè dicat in Euangelio Chriſtus, Euangelicam fidem & doctrinam, aut etiam Eccleſiam primitiuam, non eſſe diſsimilem tùm grano ſinapis, cuius inſignem virtutẽ exponit Plinius, & quod ſeminatum ex paruis incrementis in altum aſſurgit, tùm fermento vim ſuam in farina mirabiliter exerenti. Atque hic parabolicus docendi modus noſtra cauſa Chriſto fuit familiaris. Fœlix anima, quæ cùm Dei verbum pro ſinapis efficaci grano ſuſcepit, ſuſceptum fouet, atque ad ſuam maturitatem prouehit, vt fructus optatus conſequatur. Fœlix conſcientia, quæ verbum Dei velut fermẽtum, in lege, prophetjs & Euangelio; perinde ac in tribus*

farina

farinæ mensuris coopertum, ita commiscet atque contemperat, vt verbi virtute tres animæ potentiæ reformentur, totusq; homo spiritualis reddatur.

EPISTOLA I. AD THESSAL. I. R.

FRatres, Gratias agimus Deo semper pro omnibus vobis: memoriam vestri facientes in orationibus nostris sine intermissione, memores operis fidei vestræ, & laboris, & charitatis, & sustinentiæ spei Domini nostri IESV Christi, ante Deum & Patrem nostrum: scientes fratres dilecti à Deo, electionem vestram: quia Euangelium nostrum non fuit ad vos in sermone tantùm, sed & in virtute, & in Spiritu sancto, & in plenitudine multa, sicut scitis, quales fuerimus in vobis propter vos. Et vos imitatores nostri facti estis, & Domini: excipientes verbum in tribulatione multa, cum gaudio Spiritus sancti: ita vt facti sitis forma omnibus credentibus in Macedonia & in Achaia. A vobis enim diffamatus est sermo Domini: non solum in Macedonia & in Achaia, sed in omni loco, fides vestra quæ est ad Deum, profecta est, ita vt non sit nobis necesse quicquam loqui. Ipsi enim de vobis annuntiant qualẽ introitũ habuerimus ad vos: & quomodo conuersi estis ad Deum à simulachris, seruire Deo viuo & vero, & expectare Filium eius de cęlis (quẽ suscitauit

ex mortuis) Iesũ, qui eripuit nos ab ira ventura.

EVANGELIVM MATH. XIII. R.

IN illo tempore dixit IESVS turbis parabolam hanc: Simile est regnũ cælorum grano sinâpis, quod accipiens homo seminauit in agro suo: quod minimum quidem est omnibus seminibus, cùm autem creuerit, maius est omnibus oleribus, & fit arbor, ita vt volucres cæli veniãt, & habitent in ramis eius. Aliam parabolam locutus est eis. Simile est regnum cælorum fermento, quod acceptum mulier abscondit in farinæ satis tribus, donec fermentatum est totum. Hæc omnia locutus est IESVS in parabolis ad turbas, & sine parabolis non loquebatur eis, vt impleretur quod dictum erat per Prophetam, dicentem: Aperiam in parabolis os meum, eructabo abscondita à constitutione mundi.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt semper rationabilia meditantes, quæ tibi sunt placita, & dictis exequamur, & factis, Per dominum nostrum &c.

DOMINICA IN SEPTVAGESIMA.

SVMMARIVM. *Septem Dominicas continuè sequentes, magnis ac mysticis officiis insignes, Septuagesimam nominamus, quæ & septem ætates mundi significant: quarum in prima clamat homo à Paradisi*

feli-

fœlicitate & à Creatoris sui facie proiectus, Circundederunt me gemitus mortis. In septima, redeunti de peregrinatione hac & de conualle lachrymarum, dicitur voce Prophetica: Lætare Hierusalem, & diem festum agite omnes qui diligitis eam. Hæc Rupertus Tuiciensis. Nihil ergo mirum, si tempore tam sancto Apostolica illa tuba insonet, omnésque grauiter in Epistola cohortetur ad profligandam segnitiem, & ad studium pietatis adaugendum. Hinc cursores & luctatores & athletas, adeóque seipsum Paulus profert, vt & illos imitemur, & Apostolicis vestigiis in castiganda carne, & spiritu, omníque cursu religionis promouendo, fortiter insistamus: sic quippè post cursum, luctam, & pugnam brauium illud siuè coronam iustitia nobis obtingere. Sed & Euangelium, ne cessemus in officio, mittit nos in Ecclesiæ vineam laboratum, ac promittit operariis pro mercede denarium à procuratore & iudice Christo reddendum, qui reddet vnicuique secundum opera eius Notauit Augustinus, vitam æternam hîc denarii nomine significari, & omnibus in cælo beatis communem esse, qui fuerint in Ecclesiæ vinea operati: nihilo secius vti merita operantium, sic præmia etiam inæqualia, & diuersas meritorum dignitates in vna vita æterna contineri. Vnde Paulus, Vnusquisque propriam mercedem accipiet secundum suum laborem.

I. CORINTH. IX. X.

FRatres, Nescitis quòd hi qui in stadio currunt, omnes quidem currunt, sed vnus accipit brauium? SIC currite, vt comprehendatis. Omnis autem qui in agone contendit, ab omnibus se abstinet. Et illi quidem, vt corruptibilem coronam accipiant, nos autem incorruptam. Ego igitur sic curro, non quasi in incertum: sic pugno, non quasi aërem verberans: sed CASTIGO corpus meum, & in seruitutem redigo: ne fortè cùm aliis prædicauerim, ipse reprobus efficiar. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari: & omnes eandem spiritalem escam manducauerunt, & omnes eundem potum spiritalem biberunt. Bibebant autem de spiritali consequente eos petra. PETRA autem erat Christus, sed non in pluribus eorum beneplacitum est Deo.

EVANGELIVM MATTH. XX.

IN illo tempore, dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cęlorum homini patri familias, qui exiit primo mane conducere operarios in vineam suam. Conuentione autem facta cum operariis ex denario diurno, misit eos in vineam suam. Et egressus cir

ca horam tertiam, vidit alios ſtantes in foro ocioſos, & dixit illis. Ite & vos in vineam meam: & quòd iuſtum fuerit, dabo vobis. Illi autem abierunt. Iterum abiit circa ſextam & nonam horam, & fecit ſimiliter. Circa vndecimam verò exiit, & inuenit alios ſtantes, & dicit illis: QVID HIC ſtatis tota die otioſi? Dicunt ei: Quia nemo nos conduxit. Dicit illis: Ite & vos in vineam meam. Cùm ſerò autem factum eſſet, dixit Dominus vineæ procuratori ſuo: VOCA operarios, & redde illis mercedem, incipiens à nouiſſimis vſq; ad primos. Cùm veniſſent ergo qui circa vndecimam horam venerant, acceperunt ſingulos denarios. Venientes autem & primi, arbitrati ſunt quòd plus eſſent accepturi. Acceperunt autem & ipſi ſingulos denarios. Et accipientes murmurabant aduerſus patrem familias, dicentes: Hi nouiſſimi vna hora fecerũt, & pares illos nobis feciſti, qui portauimus pondus diei & æſtus? At ille reſpondens vni eorum, dixit: Amice, non facio tibi iniuriam. Nónne ex denario conueniſti mecum? Tolle quod tuum eſt, & vade. Volo autem & huic nouiſſimo dare, ſicut & tibi. Aut non licet mihi, quod volo, facere? An oculus tuus nequam eſt, quia ego bonus ſum? Sic erunt nouiſſimi primi, & primi nouiſſimi. MVLTI

enim

enim ſunt vocati: pauci verò electi.

OBSERVATIO.

Quid currere nos Paule iubes ſi non eſt currentis? At prædeſtinatio ex meritis quidem non pendet, quare non eſt currentis, vitæ autem æternæ brauium operum bonorum curſu paratur, vnde ſic currite, ait Paulus &c. Quam benè autem ſalutis ſecuritatem tollit Apoſtolus illis verbis caſtigo, ne forte reprobus efficiar. Neque verò eſt quod abutantur hæretici hoc Pauli teſtimonio, Petra autem erat Chriſtus, ad negandam corporis Chriſti in Euchariſtia veritatem. nam manifeſte ſpiritaliter intelligenda hæc præcedentia verba declarant. Bibebant &c. at de Chriſti corpore nihil tale dictum ab vllo qui de tremendi myſterii inſtitutione meminerit. Denique vitam æternam operum mercedem eſſe Chriſtus in Euangelio pronunciat. Si autem merces, ergo meritum.

Oratio Eccleſiæ.

Preces populi tui, quæſumus Domine, clementer exaudi: vt qui iuſtè pro peccatis noſtris affligimur, pro tui nominis gloria miſericorditer liberemur; Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

DOMINICA IN SEXAGESIMA.

SVMMARIVM. *Apoſtolus ſuam vindicans auctoritatem, reprehēdit Corinthios, quòd Pſeudoapoſtolos recepiſſent, eóque coactus in ſuas ipſe laudes delabi-*

labitur, qui Apostolis aliis tùm in prædicando Euangelio, tùm in ferendis afflictionibus, inferior non sit. Sic autem calcar nobis addit Ecclesia, vt libenter & ipsi feramus ærumnas & qualemcunq; crucem, vtq; studiosius in operibus pietatis ac pœnitentiæ nos exerceamus. Eodem referemus Euangelium de semine, quòd tùm demùm terræ bonæ demandatum censetur & fit frugiferũ, cùm verbũ Domini & libenter audimus, et cum gaudio suscipimus, & magna diligentia conseruamus, amplósque vitæ sanctæ fructus Christo, nobis, & proximo indè reportamus; sed vt non desit virtutũ omniũ custos patientia, quæ in Apostolo quidẽ eluxit.

EPISTOLA II. CORIN. XI. ET XII.

FRatres, Libenter suffertis insipientes cum sitis ipsi sapientes. Sustinetis enim, si quis vos in seruitutem redigit, si quis deuorat, si quis accipit, si quis extollitur, si quis in faciem vos cædit. Secundum ignobilitatem dico, quasi nos infirmi fuerimus in hac parte. In quo quis audet, (in insipientia dico) audeo & ego: Hebræi sunt, & ego: Israëlitæ sunt, & ego: Semen Abrahæ sunt, & ego: Ministri Christi sunt, & ego, vt minùs sapiens dico, plùs ego: in laboribus plurimis, in carceribus abundantius, in plagis supra modum, in mortibus frequenter. A Iudæis quinquies quadragenas vna minus accepi, ter virgis cæsus sum, semel lapidatus sum,

ter

ter naufragium feci: nocte & die in profundo maris fui: in itineribus sæpè, periculis fluminum, periculis latronum, periculis ex genere, periculis ex gentibus, periculis in ciuitate, periculis in solitudine, periculis in mari, periculis in falsis fratribus. In labore & in ærumna, in vigiliis multis, in fame & siti, in ieiuniis multis, in frigore & nuditate. Præter illa quæ extrinsecus sunt, instantia mea quotidiana, solicitudo omnium Ecclesiarum. QVIS infirmatur, & ego non infirmor? quis scandalizatur, & ego non vror? Si gloriari oportet, quæ infirmitatis meæ sunt, gloriabor. Deus & pater Domini nostri IESV Christi, qui est benedictus in secula, scit quòd non mentior. Damasci præpositus gentis Aretæ regis, custodiebat ciuitatem Damascenorum, vt me comprehenderet, & per fenestram in sporta demissus sum per murum, & sic effugi manus eius. Si gloriari oportet (non expedit quidem) veniam autem ad visiones & reuelationes Domini. Scio hominem in Christo ante annos quatuordecim (siue in corpore, siue extrà corpus, nescio, Deus scit) raptum huiusmodi vsque ad tertium cælum. Et scio huiusmodi hominem (siue in corpore, siue extrà corpus, nescio, Deus scit) quoniam raptus est in paradisum, & audiuit arcana verba, quę non licet

homini loqui. Pro huiusmodi gloriabor, pro me autem nihil gloriabor, nisi in infirmitatibus meis. Nam etsi voluero gloriari, non ero insipiens. Veritatem enim dicam. Parco autem, ne quis me existimet supra id quod videt in me, aut audiuit aliquid ex me. Et ne magnitudo reuelationum extollat me, DATVS est mihi stimulus carnis meæ angelus satanæ, qui me colaphizet. Propter quod ter Dominum rogaui, vt discederet à me, & dixit mihi: Sufficit tibi gratia mea. Nam VIRTVS in infirmitate perficitur. Libenter igitur gloriabor in infirmitatibus meis, vt inhabitet in me virtus Christi.

EVANGELIVM LVC. VIII.

IN illo tempore, Cùm turba plurima conueniret, & de ciuitatibus properarent ad IESVM, dixit per similitudinem: Exiit qui seminat, seminare semen suum. Et dum seminat, aliud cecidit secus viam: & conculcatum est, & volucres cæli comederunt illud. Et aliud cecidit supra petram: & natum aruit; quia non habebat humorem. Et aliud cecidit inter spinas, & simul exortæ spinæ, suffocauerunt illud. Et aliud cecidit in terram bonam: & ortum fecit fructum centuplum. Hæc dicens, clamabat: QVI HABET aures audiendi, audiat. Interrogabant autem eum discipuli eius, quæ esset

hæc

hæc parabola. Quibus ipse dixit: Vobis DATVM est nosse mysterium regni Dei: cæteris autem in parabolis, vt videntes, non videant; & audientes, non intelligant. Est autem hæc parabola: Semen est verbum Dei. Quod autem secus viam, hi sunt qui audiunt: deinde venit diabolus, & tollit verbum de corde eorum, ne credentes salui fiant. Nam quod supra petram, hi sunt, qui cùm audierint, cum gaudio suscipiunt verbum: & hi radices non habent, quia AD TEMPVS credunt, & in tempore tentationis recedunt. Quod autem in spinas cecidit, hi sunt, qui audierunt, & à solicitudinibus & diuitiis & voluptatibus vitæ euntes suffocantur, & non referunt fructum. Quod autem in terram bonam, hi sunt, qui in corde bono & optimo audientes verbum retinent, & fructum adferunt in patientia.

OBSERVATIO.

Ne erres. Non idcirco in parabolis loquebatur, quia eos audire nolet aut videre, immissa duritia, sed aut non impertita gratia vt Aug. explicat, aut quia ipsi nolent, venit enim Christus loquuturus vt peccatum non haberent, sed illi non modo audire noluerunt, sed oderunt & Christum & patrem eius.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui conspicis, quia ex nulla nostra actione

confidimus, concede propitius, vt contra aduersa omnia doctoris gentium protectione muniamur, Per dom.

DOMINICA IN QVINQVAGESSIMA.

SVMMARIVM. *Epistola illustris est commẽdatio charitatis, vt sciamus hanc reliquis Spiritus sancti donis esse præstantiorem. Describuntur porrò proprietates & species charitatis, quæ sola si homini desit, reliqua prodesse non poßunt. In Euangelio prædicit Christus paßionem suam, & illuminat cæcum. Vtrunque fuit opus diuinæ charitatis, pati velle tam immania pro iniquis, & erga mendicum tam humaniter agere. Mundus hodiè magis cæcus quã ille Bartimæus, verbum crucis audire non sustinet, Christum non amat, sed iterum potius crucifigit. Nos illuminati sequamur & redamemus & glorificemus* IESVM, *qui proposito sibi gaudio sustinuit crucem, sequamur, inquam, cum Bartimæo, contempta mundi turba, qui tantum non insanit, abiectisq; omnibus impedimentis, quæ à veræ pietatis studiis Christi seruos remorantur.*

EPIST. I. CORINTH. XIII.

FRatres, Si linguis hominum loquar, & angelorum, charitatem autem non habeam, factus sum velut æs sonans, aut cymbalum tinniens. Et si habuero prophetiam, & nouerim

mysteria omnia, & omnem scientiam, & si habuero OMNEM fidẽ, ita vt montes transferam, charitatem autem non habuero, nihil sum. Et si distribuero in cibos pauperum omnes facultates meas, & si tradidero corpus meum, ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest. CHARITAS patiens est, benigna est: charitas non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quærit quę sua sunt, non irritatur, non cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati. OMNIA suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet. Charitas nunquam excidit, siue prophetiæ euacuabuntur, siue linguæ cessabunt, siue scientia destruetur. Ex parte enim cognoscimus, & ex parte prophetamus. Cùm autem venerit quod perfectum est, euacuabitur quod ex parte est. Cùm essem paruulus, loquebar vt paruulus: sapiebam, vt paruulus: cogitabam, vt paruulus. Quando autem factus sum vir, euacuaui quæ erant paruuli. Videmus nunc per speculum in ænigmate: tunc autem facie ad faciem. Nunc cognosco ex parte: tunc autem cognoscam, sicut & cognitus sum. Nunc autem manent fides, spes, charitas, tria hæc: MAIOR autem horum est charitas.

EVANGELIVM LVC. XVIII.

IN illo tempore, Aſſumpſit IESVS duodecim, & ait illis: Ecce aſcendimus Hieroſolymam, & conſummabuntur omnia quæ ſcripta ſunt per Prophetas de Filio hominis. Tradetur enim gentibus, & illudetur, & flagellabitur, & conſpuetur: & poſtquam flagellauerint, occident eum: & tertia die reſurget. Et ipſi nihil horum intellexerunt. Erat autem verbum iſtud abſconditum ab eis: & non intelligebant quæ dicebantur. Factum eſt autem cùm appropinquaret Hiericho, cæcus quidam ſedebat ſecus viam mendicans. Et cùm audiret turbam prætereuntem, interrogabat quid hoc eſſet. Dixerunt autem ei, quòd IESVS Nazarenus tranſiret. Et clamauit, dicens: IESV FILI Dauid, miſerere mei. Et qui præibant, increpabant eum vt taceret. Ipſe verò multò magis clamabat: FILI Dauid miſerere mei. Stans, autem IESVS iuſſit illum adduci ad ſe. Et cùm appropinquaſſet, interrogauit illum, dicens: Quid tibi vis faciam? At ille dixit: Domine, vt videam. Et IESVS dicit ei: Reſpice, fides tua te ſaluum fecit. Et confeſtim vidit: & ſequebatur illum, magnificans Deum. Et omnis plebs, vt vidit, dedit laudem Deo.

OBSERVATIO.

Omnem fidem qui dixit, quod genus fidei prætermisit? Valeat igitur impudens hæresis solæ fidei iustitiã, salutemq; ascribens, quam sine charitate esse posse, prodesse non posse luce clarius docet Apostolus. Hinc disce intelligere quæ extremis Euangelii sequentis verbis dicuntur Fides tua te saluum fecit. Saluti fides aditum aperuit, charitas compleuit vnde sequebatur eum magnificans &c.

Oratio Ecclesiæ.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: atque à peccatorum vinculis absolutos, ab omni nos aduersitate custodi, Per dominum nostrum Iesum.

IN DIE CINERVM.

SVMMARIVM. *Si lectionem vtramque sequentem spectes, commodum est exordium, quo ad rectè ieiunandum in hoc Quadragesimæ exordio, & vti vocant, capite, Christianus formatur affectus. Per Ioëlem enim docemur, integro ad Deum corde conuerti, ac seriam pœnitentiam tùm internam, tùm externam meditari, quocunque in statu vel conditione vitæ versemur. Sic autem ieiunantibus, ipsumq; ieiunium vera pœnitentia & humili oratione sanctificantibus gratia promittitur. Euangelium tollit eas pestes, quæ vitiant ieiunantium merita, ac idcircò vetat fastum, ambitionem, hypocrisim: requirit autem casta, simplicia & syncera ieiunia, quæ certam à Deo mer-*

cedem accipere mereantur. Hortatur itidem ad parandas opes in cælo, vtque fluxa & incerta mundi bona contemnamus, ac demum vt per abstinentiam, charitatem, obedientiam, humilitatem thesauros nobis non perituros in cælo recondamus.

LECTIO IOELIS II.

HÆc dicit Dominus: CONVERTIMINI ad me in toto corde vestro, in ieiunio & in fletu, & in planctu; & scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Et conuertimini ad Dominum Deum vestrum: quia benignus & misericors est, patiens & multæ misericordiæ, & præstabilis super malitia. Quis scit si conuertatur, & ignoscat Deus, & relinquat post se benedictionem? Sacrificium & libamen Domino Deo nostro, Canite tuba in Sion, sanctificate ieiunium, vocate cœtum, congregate populum, sanctificate Ecclesiam, coadunate senes, congregate paruulos & suggentes vbera. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Inter vestibulum & altare plorabunt sacerdotes ministri Domini, & dicent: Parce Domine, parce populo tuo, & ne des hæreditatem tuam in opprobrium, vt dominentur eis nationes. Quare dicunt in populis, vbi est Deus eorum? Zelatus est Dominus terram suam, & pepercit populo suo. Ecce ego mittam vobis fru-

frumentum, & vinum, & oleum, & replebimini in eis, & non dabo vos vltrà opprobrium in gentibus, dicit Dominus omnipotens.

EVANGELIVM MATH. VI.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Cùm ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ, tristes: exterminant enim facies suas, vt appareant hominibus ieiunantes. Amen dico vobis, quia receperunt mercedem suam. Tu autem cùm ieiunas, vnge caput tuum, & faciem tuam laua, ne videaris hominibus ieiunans, sed patri tuo qui est in absconso: & pater tuus qui videt in absconso, reddet tibi. Nolite thesaurizare vobis thesauros in terra, vbi ærugo & tinea demolitur, & vbi fures effodiunt & furantur. THEsaurizate autem vobis thesauros in cælo, vbi neque ærugo neq; tinea demolitur, vbi fures non effodiunt neque furantur: VBI enim est thesaurus tuus, ibi est & cor tuum.

OBSERVATIO.

Ieiunii fructus, necessitatemq; pœnitentiæ operum epistola, euangeliumq; docent. Liberi arbitrii cooperationem. quod aūt premiū pro benefactis feramus Christus exprimit dicens Pater reddet tibi. Hoc pondera contra Nouatores istos.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta domine fidelibus tuis, vt ieiuniorum veneranda

randa

randa ſolennia & congrua pietate ſuſcipiant, & ſecura deuotione percurrant. Per dominum noſtrum.

Hymnus ieiunantium in Quadrageſima, D. Ambroſio authore.

EX more docti myſtico,
Seruemus hoc ieiuniũ,
Deno dierum circulo
Ducto quater notiſſimo.

Lex & propheta primitus
Hoc ꝓtulerunt: poſtmodũ
Chriſtus ſacrauit, omniũ
Rex atq; factor temporũ.

Vtamur ergo parcius
Verbis, cibis, & potibus,
Somno, iocis: & arctius
Perſtemus in cuſtodia.

Vitemus autem peſſima
Quæ ſubruũt mẽtes vagas:
Nullumq; demus callido
Hoſti locum tyrannidis.

Dicamus omnes cernui,
Clamamus atq; ſinguli,
Ploremus antè Iudicem,
Flectamus irã vindicem.

Noſtris malis offendimus
Tuam Deus clemẽtiam,
Effunde nobis deſuper
Remiſſor indulgentiam.

Memẽto quod ſumus tui,
Licet caduci plaſmatis:
Ne des honorem nominis
Tui (precamur) alteri.

Laxa malũ quod geſſimꝰ,
Auge bonũ quod poſcimꝰ:
Placere quô tandem tibi
Poſſimꝰ hîc et ꝑpetĩ, Am.

FERIA V. POST DIEM CINERVM.

SVMMARIVM. *Virtutem orationis, quæ gratius Deo ieiunium facit, commendat nobis Rex pius Ezechias. Is grauiſſimo morbo laborans, quindecim annorum vitam et mirandam in curſu cæleſtium corporum mutationem orando impetrat. Accedit Centu-*

rionis

rionis oratio, qui pro famulo intercedens, facilè quod petit, obtinet. Vterque suo exemplo admonet, quæ ad ritè orandum Deum spectent, vtpotè fides, humilitas, pœnitentia, iustitia, pietas, ac vitæ in melius commutandæ propositum. Hæc Deum etiam iratum placant, & quasi cogunt latam contra nos mutare sententiam.

LECTIO ESAIAE XXVIII.

IN diebus illis, Ægrotauit Ezechias vsque ad mortem. Et introiuit ad eum Esaias filius Amos Propheta, & dixit ei: Hæc dicit Dominus: Dispone domui tuæ, quia morieris tu, & non viues. Et conuertit Ezechias faciem suam ad parietem, & orauit ad Dominum, & dixit: Obsecro Domine memento quæso, quomodò ambulauerim coràm te in veritate & in corde perfecto, & quod bonum est in oculis tuis fecerim. Et fleuit Ezechias fletu magno. Et factum est verbum Domini ad Esaiam, dicens: Vade, & dic Ezechiæ: Hæc dicit Dominus Deus Dauid patris tui: Audiui orationem tuam, & VIDI lachrymas tuas. Ecce ego adiiciam super dies tuos, quindecim annos, & de manu regis Assyriorum eruam te & ciuitatem istam, & protegam eam, ait Dominus omnipotens.

EVANGELIVM MATH. VIII.

IN illo tempore, Cùm introisset IESVS Capernaum, accessit ad eum Centurio rogans

eum,& dicens: Domine,puer meus iacet in domo paralyticus, & malè torquetur. Et ait illi IESVS: Ego veniam, & curabo eum. Et respondens Centurio, ait: DOMINE, non sum dignus,vt intres sub tectum meum,sed tantùm dic verbo,& sanabitur puer meus. Nam & ego homo sum sub potestate constitutus, habens sub me milites: & dico huic, Vade,& vadit: & alio, Veni, & venit: & seruo meo, Fac hoc, & facit. Audiens autem IESVS, miratus est: & sequentibus se dixit: Amen dico vobis,non inueni tantam fidem in Israël. Dico autem vobis, quòd MVLTI ab Oriente & Occidente venient, & recumbent cum Abraham & Isaac & Iacob in regno cælorum: filij autem regni, eiicientur in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. Et dixit IESVS Centurioni: Vade, & sicut credidisti, fiat tibi.Et sanatus est puer eius ex illa hora.

OBSERVATIO.

Vide annot. pag. 100.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui culpa offenderis, pœnitentia placaris, preces populi tui supplicantis propitius respice: & flagella tuæ iracundiæ,quæ pro peccatis nostris meremur, auerte, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

FE-

FERIA VI. POST CINERVM.

SVMMARIVM. *Neque ſine charitate integra ieiunio laus & virtus conſtat. Ieiunandum eſt, ſed non à cibis tantùm quibuſdam abſtinendo, ſicut Iudæi & Phariſæi facere conſueuerunt, verùm etiam vitiis, præſertim quæ cum charitate pugnant, finem & frænum imponendo. Quare non perfectè, & vtiliter ieiunant Tyranni, oppreſſores & vexatores ſubditorum, rapaces, percuſſores, impoſtores, & quotquot malis artibus proximum circumueniunt, quos Propheta iure ſugillat. Ieiunium vt homini ſalutiferum ac Deo gratum ſit, requirit imprimis omnem humanitatem, facilitatem ac beneficentiam non ſolùm erga noſtros, familiaréſue, ſed etiam peregrinos, vagos, egenos, mendicos, atque adeò ſi Euangelio auſcultamus, erga inimicos: ita tamen, vt non hominum, ſed Dei gloriam in benefactis omnibus purè ſpectemus.*

LECTIO ESAIAE LVIII.

HAEC dicit Dominus Deus: Clama ne ceſſes, quaſi tuba exalta vocem tuam, & annuncia populo meo ſcelera eorum, & domui Iacob peccata eorum. Me etenim de die in diem quærunt, & ſcire vias meas volunt, quaſi gens quæ iuſtitiam fecerit, & quæ iudicium Dei ſui non dereliquerit. Rogant me iudicia iuſtitiæ, & appropinquare Deo volunt. Quare ieiunauimus, & non aſpexiſti? humiliauimus animas

noſtras, & neſciſti? Eccè in die ieiunij veſtri inuenitur voluntas veſtra, & omnes debitores veſtros repetitis. Eccè ad lites & ad contentiones ieiunatis, & percutitis pugno impiè. Nolite ieiunare ſicut vſque ad hanc diem, vt audiatur in excelſo clamor veſter. Nunquid tale eſt ieiunium quod elegi, per diem affligere hominem animam ſuam? Nunquid contorquere quaſi circulum caput ſuum, & ſaccum & cinerem ſternere? Nunquid iſtud vocabis ieiunium, & diem acceptabilem Domino? nonnè hoc eſt magis ieiunium quod elegi? DISSolue colligationes impietatis, ſolue faſciculos deprimentes. Dimitte eos, qui confracti ſunt, liberos, & omne onus dirumpe. Frange eſurienti panem tuum, & egenos vagosq; induc in domũ tuam. Cum videris nudum, operi eum, & carnem tuam ne deſpexeris. Tunc erumpet quaſi manè lumen tuum, & ſanitas tua citiùs orietur. Et anteibit faciem tuam iuſtitia tua, & gloria Domini colliget te. Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet: clamabis, & dicet, eccè adſum quia miſericors ſum, Dominus Deus tuus.

EVANGELIVM MATH. V. ET VI.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Audiſtis quia dictum eſt, Diliges proximum tuum, & odio habebis inimicum tuum. Ego autem

tem dico vobis, DILIGITE inimicos vestros, benefacite his qui oderunt vos, & orate pro persequentibus & calumniantibus vos, vt sitis filij patris vestri qui in cęlis est, qui solem suum oriri facit super bonos & malos, & pluit super iustos & iniustos. Si enim diligitis eos qui vos diligũt, quã mercedẽ habetis? nónne & publicani hoc faciunt? Et si salutaueritis fratres vestros tantùm, quid amplius facitis? Nonnè & ethnici hoc faciunt? Estote ergo vos perfecti, sicut & pater vester cælestis perfectus est. Attendite, ne iustitiam vestram faciatis coràm hominibus, vt videamini ab eis: alioquin mercedem non habebitis apud Patrem vestrum qui in cęlis est. Cùm ergo facis eleemosynam, noli tuba canere antè te, sicut hypocritę faciunt in synagogis & in vicis, vt honorificentur ab hominibus: Amen dico vobis, receperunt mercedem suam. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua: vt sit eleemosyna tua in abscondito, & pater tuus qui videt in abscondito, reddet tibi. *OBSERVATIO.*

Veram pœnitentiam duabus partibus contineri notat in epistola abiectione malorum susceptione bonorum operum. Quorum meritum merces toties in Euangelio repetita demonstrat, vt est paulò superius etiam annotatum.

Ora-

Oratio Ecclesiæ.

Inchoata ieiunia, quæsumus Domine, benigno fauore prosequere: vt obseruantiam, quam corporaliter exhibemus, mentibus etiam synceris exercere valeamus, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

SABBATO POST CI NERVM.

SVMMARIVM. *Vide quæso pulchram docendi methodum in præcedentis tridui lectionibus. Nam vt integra sit homini ad Deum offensum conuersio, die Cinerum, sicut etiam apud Niniuitas, initium à ieiunio sumptum est. Postridie sequitur Ezechias, orationem nobis commendans, qua vitam ille suam prorogauit, & qua Centurionis puero sanitas recuperata est. Post hæc clamat Esaias, eleemosynam & charitatis fraternæ iura requirens. Idem Propheta nunc docet horum omnium, ac totius demùm conuersionis ad Deum nostræ fructus amplißimos, vtpote intellectus ad veram sapientiam illustrationem, animi cum Deo reconciliati pacem, iugem in cultu Dei exercitationem, in opere itidem ac sermone proximi ædificationem, ac æternam denique pro benefactis remunerationem. Nec refert, si varia incidant discrimina ac terriculamenta, quibus ne Apostoli quidem carere potuerunt, vt Euangelium aptè subiungit. Sed in mediis procellis adest ex insperato Christus, & consolatur mæstos, & confirmat imbecilles,*

&

& varios curat ægrotos. Vtrunque miraculum diuinam in Domino virtutem adstruit, & alit in nobis fiduciam: quod videlicet supra tempestuosum mare inoffenso pede ambulat, suæq; vestis contactu morbos omnes profligat. Habes hîc etiam orationis vtilitatem comprobatam.

LECTIO ESAIAE LVIII.

HAEC dicit Dominus Deus. Si abstuleris de medio tui catenam, & desieris extendere digitum, & loqui quod non prodest, cùm effuderis esurienti animam tuam, & animam afflictam repleueris: tunc orietur in tenebris lux tua, & tenebræ tuæ erunt sicut meridies. Et requiem dabit tibi Dominus Deus tuus semper, & implebit splendoribus animam tuã, & ossa tua liberabit. Et eris quasi hortus irriguus, & sicut fons aquarum cuius non deficient aquæ. Et ædificabũtur in die deserta seculorum: fundamenta generationis, & generationis suscitabis. Et vocaberis ædificator sepium, conuertens semitas in quietem. Si auerteris à Sabbato pedem tuum, facere voluntatem tuam in die sancto meo, & vocaueris Sabbatum delicatum, & sanctum Domini gloriosum, & glorificaueris eum dum non facias vias tuas, & non inueniatur voluntas tua, vt loquaris sermonem: tunc delectaberis super Domino, & sustollam te super altitudines terræ,

& cibabo te hæreditate Iacob patris tui. Os enim Domini locutum eſt.

OBSERVATIO.

Bona opera tantoperè inculcantur, quia ſine illis æterna fœlicitas minimè comparatur, bonis operibus repromiſſa.

EVANGELIVM MARC. VI.

IN illo tempore, Cum ſerò eſſet, erat nauis in medio mari, & ipſe ſolus in terra: & vidit eos laborantes in remigando, erat enim ventus contrarius eis. Et circa quartam vigiliam noctis, venit ad eos, ambulans ſuprà mare, & volebat præterire eos. At illi vt viderunt eum ambulantem ſuprà mare, putauerunt phantaſma eſſe, & exclamauerunt. Omnes enim viderunt eum, & conturbati ſunt. Et ſtatim locutus eſt cum eis, & dixit eis: Confidite, ego ſum, nolite timere. Et aſcendit ad illos in nauim, & ceſſauit ventus. Et plus magis intrà ſe ſtupebant: non enim intellexerant de panibus, erat enim cor eorũ obcęcatum. Et cùm transfretaſſent, venerunt in terrã Genezareth, & applicuerunt. Cumque egreſſi eſſent de naui, continuò cognouerunt eum: & percurrentes vniuerſam regionem illam, cœperunt in grabbatis eos, qui ſe malè habebant circumferre, vbi audiebant eum eſſe. Et quocunq; introibat in vicos, vel in villas, aut ciuitates, in

plateis ponebant infirmos, & deprecabantur eum, vt vel fimbriam vestimenti eius tangerent: & quotquot tangebant eum, salui fiebant.

Oratio Ecclesiæ.

Adesto domine supplicationibus nostris: & concede vt hoc solenne ieiunium, quod animabus corporibusq; curandis salubriter institutum est, deuoto seruitio celebremus, Per dominum nostrum Iesum Christum &c.

DOMINICA QVADRAGESIMAE. I.

SVMMARIVM. *Vis nosse, quid sit Ecclesiæ filiis Quadragesima? Eccè tempus acceptabile, eccè dies salutis, commendemus nos in multa patientia. Quarè, vt Paulus monet, non desimus oblatæ tantæ gratiæ, sedulò exerceamur in pietate, crucem vndiq; paratam feramus patienter, spiritualibus armis instructi, omni virtutum genere nos, dum tempus est, ornemus, & aliis in Domino præluceamus. Quid verò Christus in Euangelio? Speculum præbet Christianæ disciplinæ, præsertim in Quadragesima exercendæ. Baptizatus secedit, orat, ieiunat, tentatur, pugnat gladio spiritus, dat gloriam Deo, contemnit & vincit infestum Satanam. Huc spectemus Christi milites, qui per mundi huius desertum ad cæleste brauium contendimus. Si cum Christo legitimè certemus, coronabimur, & Quadragesimalis tùm pœnitentiæ, tùm victoriæ fructus referemus. Verum de nomine Quadrage-*

dragesimæ non indignum est scitu, quod scribit Rupertus Tuitiensis: Non solùm Dominica hæc, inquit, Quadragesima dicitur, quemadmodum illæ, quæ præcesserunt, Quinquagesima, Sexagesima atque Septuagesima, sed & omne tempus, quod ab hac die vsq; ad sacratißimam Paschæ solennitatem tenditur, Quadragesima nuncupatur, videlicet propter imitationem Dominici ieiunii, quam per hos dies extendimus. Certè Ignatius Ioannis Apostoli percelebris discipulus ita scribit ad Philippenses, Quadragesimam nolite pro nihilo habere: imitationem enim continet Dei conuersationis. Tùm Hieronymus ac Theophilus palàm testantur, Quadragesimam à sacris Apostolis institutam, traditam et ordinatam esse in Ecclesia Dei.

EPISTOLA II. CORINTH. VI.

FRatres, Hortamur vos, NE IN vacuum gratiam Dei recipiatis. Ait enim: Tempore accepto exaudiui te, & in die salutis adiuui te. Eccè nunc tempus acceptabile, eccè nunc dies salutis. Nemini dantes vllam offensionem, vt non vituperetur ministerium nostrum, sed in omnibus exhibeamus nosmetipsos sicut Dei ministros, in multa patientia, in tribulationibus, in necessitatibus, in augustiis, in plagis, in carceribus, in seditionibus, in laboribus, in vigilijs multis, in ieiunijs, in castitate, in scientia, in longanimitate, in suauitate, in Spiritu sancto

cto, in charitate non ficta, in verbo veritatis, in virtute Dei. Per arma iustitiæ à dextris & à sinistris, per gloriam & ignobilitatem, per infamiam & bonam famam. Vt seductores, & veraces: sicut qui ignoti, & cogniti: quasi morientes, & ecce viuimus: vt castigati, & non mortificati: quasi tristes, semper autem gaudentes: sicut egentes, multos autem locupletantes: tanquam nihil habentes, & omnia possidentes.

EVANGELIVM MATH. IIII.

IN illo tempore, Ductus est IESVS in desertum à spiritu, vt tentaretur à Diabolo. Et cũ ieiunasset quadraginta diebus, & quadraginta noctibus, postea esuriit. Et accedens tentator, dixit ei: Si filius Dei es, dic vt lapides isti panes fiant. Qui respondens, dixit: Scriptum est: NON in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Tunc assumpsit eum Diabolus in sanctam ciuitatem, & statuit eum super pinnaculum templi, & dixit ei: Si filius Dei es, mitte te deorsum. Scriptum est enim, quia Angelis suis mandauit de te, & in manibus tollent te, ne forte offendas ad lapidem pedem tuum. Ait illi IESVS rursum, scriptum est: NON tentabis Dominum Deum tuum. Iterum assumpsit eum Diabolus in montem excelsum valde, & ostendit ei omnia regna mundi, & glo-

riam eorum, & dixit ei: Hęc omnia dabo tibi, si cadens adoraueris me. Tunc dicit ei IESVS: Vade satana. Scriptum est enim: DOMINVM Deum tuum adorabis, & illi soli seruies. Tunc reliquit eum Diabolus: & eccè Angeli accesserunt, & ministrabant ei.

OBSERVATIO.

Ille in vacuum gratiam Dei recepit, qui acceptæ gratiæ non cooperatur, exhibens se talem qualem Apostolus describit. Necessarius itaque liberi arbitrii concursus cum Diuina gratia. Quadragenarii porrò ieiunii nostri Christus firmauit exemplum, Latriæq; cultum seruitutem appellatam soli Deo exhibendum præcepit. Quare non est quod ex hoc loco duliæ seruitutem præstantibus viris ac sanctis præcipuè debitam conuellere nitantur hæretici.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui Ecclesiam tuam annua quadragesimali obseruatione purificas præsta familiæ tuæ, vt quod à te obtinere abstinendo nititur, hoc bonis operibus exequatur; Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Hymnus D. Gregori magni.

AVdi benigne conditor
Nostras preces cũ fletib°
In hoc sacro ieiunio
Fusas quadragenario.
Scrutator alme cordium,
Infirma tu scis virium:
Ad te reuersis exhibe
Remißionis gratiam.
Multũ quidẽ peccauimus,
Pœnasq; comparauimus:

Sed

Sed cũcta qui solus potes,
Confer medelã languidis
Sic corpus extra conteri
Dona per abstinentiam,
Ieiunet vt mens sobria
A labe prorsus criminũ.
Præsta beata Trinitas,
Concede simplex vnitas,
Vt fructuosa sint tuis
Ieiuniorũ munera, Amẽ.

FERIA II. POST DOMINICAM INVOCAVIT.

SVMMARIVM. *Cùm ad ieiunandum, tùm ad omne opus bonum excitat animos iudicium extremum ritè consideratum, in quo nullum malum impunitum, nullum bonum irremuneratum erit. Pastor est Christus, & verè pastor bonus; vt Epistola commonstrat, si bonitate illius, quemadmodum morigeræ oues, & conuenienter vtamur: sin hœdi eße nunc volumus, & charitatis pietatísque opera negligimus, erit Christus quoque pastor, sed qui oues ab hœdis segreget; erit & iudex, qui suum cuique vel præmium, vel supplicium debitum reddat. O seuerum & metuendum iudicium, in quo si iustus vix saluabitur, impius & peccator vbi parebunt? Iudicium sine misericordia illi qui non facit misericordiam.*

LECTIO EZECHIELIS XXXIIII.

HAEC dicit Dominus Deus: Eccè ego ipse requiram oues meas, & visitabo eas, sicut visitat pastor gregem suum, in die quando fuerit in medio ouium suarum dissipatarum, sic visitabo oues meas, & liberabo eas de omnibus lo-

cis, in quibus dispersæ fuerant in die nubis & caliginis. Et educam eas de populis, & congregabo eas de terris, & inducam eas in terram suam, & pascam eas in montibus Israël, in riuis, & in cunctis sedibus terræ. In pascuis vberrimis pascam eas, & in montibus excelsis Israël erunt pascua earum: ibi requiescent in herbis virentibus, & in pascuis pinguibus pascentur super montes Israël. Ego pascam oues meas, & ego eas accubare faciam, dicit Dominus Deus. Quod perierat, requiram: & quod abiectum erat, reducam: & quod confractum fuerat, alligabo: & quod infirmum fuerat, consolidabo: & quod pingue & forte, custodiam: & pascam illas in iudicio.

EVANGELIVM MATH. XXV.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Cùm venerit Filius hominis in maiestate sua, & omnes Angeli cum eo, tunc sedebit super sedem maiestatis suæ, & congregabuntur antè eum omnes gentes, & separabit eos ab inuicem, sicut pastor segregat oues ab hœdis: & statuet oues quidem à dextris suis, hœdos autem à sinistris. Tunc dicet rex his, qui à dextris eius erunt: Venite benedicti Patris mei: possidete paratum vobis regnum à constitutione mundi. Esuriui enim, & dedistis mihi manducare: sitiui,

&

& dedistis mihi bibere:hospes eram & collegistis me: nudus,& operuistis me: infirmus, & visitastis me: in carcere eram, & venistis ad me. Tunc respondebunt ei iusti,dicentes: Domine, quando te vidimus esurientem, & pauimus te? sitientem, & dedimus tibi potum? Quandò autem te vidimus hospitem,& collegimus te? Aut nudum, & cooperuimus te? Aut quandò te vidimus infirmum aut in carcere, & venimus ad te? Et respondens rex, dicet illis: Amen dico vobis, Quamdiu fecistis vni de his fratribus meis minimis, mihi fecistis. Tunc dicet rex & his qui à sinistris erunt: Discedite à me maledicti in ignem æternum, qui paratus est diabolo & angelis eius. Esuriui enim, & non dedistis mihi manducare: sitiui, & non dedistis mihi potum: hospes eram, & non collegistis me: nudus, & non operuistis me: infirmus & in carcere, & non visitastis me. Tunc respondebunt ei & ipsi,dicentes: Domine,quandò te vidimus esurientem, aut sitientem, aut hospitem, aut nudum,aut infirmum, aut in carcere, & non ministrauimus tibi? Tunc respondebit illis, dicens: Amen dico vobis, Quamdiu non fecistis vni de minoribus his,nec mihi fecistis. Et ibunt hi in supplicium æternum, iusti autem in vitam æternam.

OBSERVATIO.

Si nullum eſt bonorum operum meritum vt hæretici mentiuntur, cur æternis flammis addicuntur qui miſericordiæ opera non exercuerunt, è contrà iis qui ſeſe his dediderunt cœleſtis regni poſſeſsio adiudicatur à Iudice Chriſto? Eſt igitur bonorum operum merces vita æterna non fidei ſolæ de qua iudicandi non ſumus. Qui enim non credit, iam iudicatus eſt.

Oratio Eccleſiæ.

Conuerte nos Deus ſalutaris noſter, & vt nobis ieiunium quadrageſimale proficiat, mentes noſtras cæleſtibus inſtrue diſciplinis, Per Dominum noſtrum.

FERIA III. POST DOMINICAM INVOCAVIT.

SVMMARIVM. *Eſaias Dei clementiam, diuiníque verbi virtutem hîc prædicat, illíſque qui Deum tempeſtiuè quærunt & inuocant, & pœnitentiam agunt, diuinam miſericordiam pollicetur Euangelium oſtendit, eiectos è templo negotiatores, curatos illic ægrotos, & confutatos idcirco Phariſæos, quòd Deum à pueris in Chriſto laudari indignè ferrent. Noſtrum eſt puerorum ſequi ſimplicitatem, puris & lubentibus animis cultum diuinum, præſertim in templis, peragere, locúmque ſacrum ſacris actionibus cohoneſtare.* LECTIO ESAIAE LV.

IN diebus illis locutus eſt Eſaias Propheta dicens, QVAERITE Dominum, dum inueniri po-

teſt,

test; inuocate eum, dum propè est. DERELinquat impius viam suam, & vir iniquus cogitationes suas, & reuertatur ad Dominum, & miserebitur eius, & ad Deum nostrum, quoniam multus est ad ignoscendum. Non enim cogitationes meæ cogitationes vestræ: neque viæ vestræ, viæ meæ, dicit Dominus. Quia sicut exaltantur cæli à terra, sic exaltatę sunt viæ meæ à viis vestris, & cogitationes meæ à cogitationibus vestris. Et quomodo descendit imber, & nix de cælo, & illuc vltrà non reuertitur, sed inebriat terram, & infundit eam, & germinare eam facit, & dat semen serenti, & panem comedenti, sic erit VERBVM meum, quod egredietur de ore meo: non reuertetur ad me vacuum, sed faciet quæcunque volui, & prosperabitur in his ad quæ misi illud.

EVANGELIVM MATH. XXI.

IN illo tempore, Cum intrasset IESVS Hierosolymam, commota est vniuersa ciuitas, dicens: Quis est hic? Populi autem dicebant: Hic est IESVS Propheta à Nazareth Galilęæ. Et intrauit IESVS in templum Dei, & eiiciebat omnes vendentes & ementes in templo, & mensas nummulariorum & cathedras vendentium columbas euertit, dicit eis: Scriptum est, DOMVS MEA DOMVS ORATIONIS

vocabitur, vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et accesserunt ad eum cœci & claudi in templo, & sanauit eos. Videntes autem principes sacerdotum & scribæ mirabilia quæ fecit, & pueros clamantes in templo & dicentes, Hosanna filio Dauid, indignati sunt, & dixerunt ei: Audis quid isti dicunt? IESVS autem dixit eis: Vtique. Nunquam legistis, quia ex ore infantium & lactentium perfecisti laudem? Et relictis illis, abiit foras extrà ciuitatem in Bethaniam, ibique mansit.

OBSERVATIO.

Si eius Templi quo figuræ verorum continebantur tanto Zelo exarsit Christus, vt inde vendentes ementesq; eiiceret &c. quid de iis facturum credimus qui christiana orationum loca Ecclesias inquam non modò contaminant, sed etiam funditus euertunt in quibus verus Christus realiter præsens est, sacramentaq; salutis asseruantur, & gratiæ efficacia symbola?

Oratio Ecclesiæ.

Respice Domine familiam tuam, & præsta, vt apud te mens nostra tuo desiderio fulgeat, quæ se carnis maceratione castigat, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

FERIA IIII. POST DOMINICAM INVOCAVIT.

SVMMARIVM. *Sicut in Christo & Moyse*

sic

c etiam in Helia ieiunii quadragesimalis forma præ-eßit, & quasi primordia nobis consecrata sunt. Idem Helias Achab, Tyrannum fugiens, vt hoc loco narratur, iamq́ue vitæ pertæsus, confortatur ab Angelo, qui is excitat dormientem, & pascit in deserto esurientem. Adeò suos Deus deserit nunquàm. In Euangelio grauiter Iudæi taxantur, vtpotè in spectandis miraculis nimium curiosi, et contra Christū benè monentem obstinatè recalcitrantes. Hinc pœna illis & damnatio horrenda prædicitur: sed vicißim laudantur, qui credentes Patris faciunt voluntatem.

III. REGVM XIX. EXODI XXIIII.

IN diebus illis, Venit Helias in Bersabee Iuda, & dimisit ibi puerum suum, & perrexit in desertum viam vnius diei. Cumq́ue venisset, & sederet subter vnam iuniperum, petiuit animę suę, vt moreretur, & ait: Sufficit mihi Domine, tolle animam meam: Neque enim melior sum quàm patres mei. Proiecitq́ue se, & obdormiuit in vmbra iuniperi. Et eccè Angelus Domini tetigit eum, & dixit illi: Surge, & cōmede. Et respexit, & eccè ad caput suum subcineritius panis, & vas aquæ. Comedit ergo & bibit, & rursum obdormiuit. Reuersusq́ue est Angelus Domini secundò, & tetigit eum, dixitq́ue illi: Surge, comede: grandis enim tibi restat via. Qui cum surrexisset, comedit & bibit, & ambulauit

in fortitudine cibi illius quadraginta diebus & quadraginta noctibus, vsque ad montem Dei Oreb.

EVANGELIVM MATH. XII.

IN illo tempore, Accesserunt ad IESVM Scribæ & Pharisæi, dicentes: Magister volumus à te signum videre. Qui respondens, ait illis: Generatio mala & adultera signum quęrit, & signum non dabitur ei, nisi signum Ionæ Prophetæ. Sicut enim fuit Ionas in ventre ceti tribus diebus & tribus noctibus, sic erit filius hominis in corde terræ tribus diebus & tribus noctibus. Viri Niniuitæ surgent in iudicio cum generatione ista, & condemnabunt eam, quia pœnitentiam egerunt in prædicatione Ionæ: & eccè plus quam Ionas hîc. Regina austri surget in iudicio cum generatione ista, & condemnabit eam: quia venit à finibus terræ, audire sapientiam Salomonis: & eccè plus quàm Salomon hic. Cùm autem immundus spiritus exierit ab homine, ambulat per loca arida, quærens requiem, & non inuenit. Tunc dicit: Reuertar in domum meam vnde exiui. Et veniens, inuenit eam vacantem, scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritus secum, nequiores se: & intrantes, habitant ibi: & FIunt nouissima hominis illius, peiora priori-

prioribus. Sic erit & generationi huic pessimæ. Adhuc eo loquente ad turbas, eccè mater eius & fratres stabant foris, quærentes loqui ei. Dixit autem ei quidam: Eccè mater tua & fratres tui foris stant, quærentes te alloqui. At ipse respondens dicenti sibi, ait: Quæ est mater mea, & qui sunt fratres mei? Et extendens manum in discipulos suos, dixit: Eccè mater mea & fratres mei. Quicunque enim FEcerit voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse meus frater, & soror, & mater est.

OBSERVATIO.

Obedientiam mandatorum Dei omni re chariorem esse Christo vides, cùm ii qui patris voluntatem faciunt, fratris, sororis, matris deniq; loco habeantur ab eo.

Oratio Ecclesiæ.

Preces nostras, quæsumus Domine, clementer exaudi: & contrà cuncta nobis aduersantia dexteram tuæ maiestatis extende, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

FERIA V. POST DOMINICAM INVOCAVIT.

SVMMARIVM. *Vnusquisque suum onus portabit, & pro suis ipse peccatis, non pro alio, damnabitur à iudice Deo, qui reddet vnicuique secundum eius opera, ex his demùm iustitiam & iniustitiam, salutem*

tem & damnationem hominis pendere docet Ezechiel. Accedit Euangelium de Chananæa, cuius fides, humilitas, oratio, constantia sicut iustitiæ Christianæ quoddam fuit exemplar, sic filiæ à Satana afflictæ profuit, vt à Christo misera curaretur.

LECTIO EZECHIELIS XV.

IN diebus illis, Factus est sermo Domini ad me dicens, Quid est quod inter vos parabolam vertitis in prouerbium istud in terra Israël dicentes: Patres comederunt vuam acerbam, & dentes filiorum obstupuerunt? Viuo ego, dicit Dominus Deus, si erit vltrà vobis parabola hæc in prouerbium in Israël. Eccè omnes animæ meæ sunt: vt anima patris, ita & anima filij mea est. ANIMA quæ peccauerit, ipsa morietur. Et vir si fuerit iustus, & fecerit iudicium & iustitiam, in montibus non comederit, & oculos suos non leuauerit ad idola domus Israël: & vxorem proximi sui non violauerit, & ad mulierem menstruatam non accesserit, & hominem non contristauerit, pignus debitori reddiderit, per vim nihil rapuerit, panem suum esurienti dederit, & nudum operuerit vestimento, ad vsuram non commodauerit, & amplius non acceperit, ab iniquitate auerterit manum suam, & iudicium verum fecerit inter virum & virum: & in præceptis meis ambulauerit, & iudicia

ia mea custodierit, vt faciat veritatem: Hic iustus est, vita viuet, ait Dominus Deus.

EVANGELIVM MATH. XV.

IN illo tempore, Egressus IESVS secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananęa à finibus illis egressa clamauit, dicens ei: MISERERE MEI Domine fili Dauid: filia mea male à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam: quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus, nisi ad oues quæ perierunt domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: DOMINE ADIVVA ME. Qui respondens, ait: Non est bonum sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine. Nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

Oratio Ecclesiæ.

Deuotionem populi tui, quæsumus Domine, benignus intende: vt qui per abstinentiam macerantur in corpore, per fructum boni operis reficiantur in mente, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA VI. POST DOMINICAM INVOCAVIT.

SVMMARIVM. *Vides hîc Deum misericordem, qui non vult mortem impii, & neminem sinit alterius peccato damnari: vides & iustum eundem, qui pœnitentiam & conuersionem ab omni iniquitate requirat, nec velit iustum, nisi ab operibus iustis, æstimare atque saluare. In Euangelio miraculum est de languido ad piscinam sanato, & postea monito, vt à peccando caueret. Nos hinc discimus, ex peccatis morbos plerunque prouenire, & ex iisdem repetitis augeri, aliquando & insanabiles reddi, tùm iustificatis Dei timorẽ ac virtutis officium necessariũ esse.*

LECTIO EZECHIELIS XVIII.

HÆC dicit Dominus Deus: ANIMA quæ peccauerit, ipsa morietur. Filius non portabit iniquitatem patris, & pater non portabit iniquitatem filij. Iustitia iusti super eum erit, & impietas impij erit super eum. Si autem impius egerit pœnitentiam ab omnibus peccatis suis quæ operatus est, & custodierit OMNIA præcepta mea, & fecerit iudicium & iustitiam: vita viuet, & non morietur. Omnium iniquitatum eius quas operatus est, non recordabor. IN IVSTITIA SVA quam operatus est, VIVET. Nunquid voluntatis meæ est mors impij, dicit Dominus Deus, & non vt

 conuer-

onuertatur à viis suis, & viuat?Si autem auer-
erit se iustus a iustitia sua, & fecerit iniquita-
em secundum omnes abominationes quas ope
ari solet impius, nunquid viuet? Omnes iusti-
iæ eius quas fecerat, non recordabuntur: In
ræuaricatione sua qua præuaricatus est, & in
eccato suo quod peccauit, in ipsis morietur.
Et dixistis: Non est æqua via Domini. Audite er
go domus Israël: Nunquid via mea non est
equa, & non magis viæ vestræ prauæ sunt? Cùm
enim auerterit se iustus à iustitia sua, & fecerit
niquitatem, morietur in eis. In iniustitia quam
operatus est morietur. Et cùm auerterit se im-
pius ab impietate sua quam operatus est, & fece-
rit iudicium & iustitiam, IPSE animam suam
viuificabit. Cōsiderans enim, & auertēs se ab om
nibus iniquitatibus suis quas operatus est, vita
viuet, & nō morietur, ait Dominus omnipotēs.

EVANGELIVM IOANNIS V.

IN illo tempore, Erat dies festus Iudæorum: & ascendit IESVS Hierosolymam. Est autem Hierosolymis probatica piscina, quæ cognominatur Hebraicè Bethsaida, quinque porticus habens. In his iacebat multitudo magna languentium, cœcorum, claudorum, aridorum, expectantium aquæ motum. Angelus autem Domini descendebat secundum tempus in pi-

ſcinam: & mouebatur aqua. Et qui prior deſcendiſſet in piſcinam poſt motionem aquæ, ſanus fiebat à quacunque detinebatur infirmitate. Erat autem quidam homo ibi, triginta & octo annos habens in infirmitate ſua. Hunc cùm vidiſſet IESVS iacentem, & cognouiſſet quia iam multum tempus haberet, dicit ei: Vis ſanus fieri? Reſpondit ei languidus: Domine, hominem non habeo, vt cùm turbata fuerit aqua, mittat me in piſcinam. Dum venio enim ego, alius antè me deſcendit. Dicit ei IESVS: Surge, tolle grabbatum tuum, & ambula. Et ſtatim ſanus factus eſt homo ille: & ſuſtulit grabbatum ſuum, & ambulabat. Erat autem ſabbatum in die illo. Dicebant ergo Iudæi, illi qui ſanatus fuerat: Sabbatum eſt, non licet tibi tollere grabbatum tuum. Reſpondit eis: Qui me ſanum fecit, ille mihi dixit, Tolle grabbatum tuum, & ambula. Interrogauerunt ergo eum: Quis eſt ille homo, qui dixit tibi, Tolle grabbatum tuum, & ambula? Is autem qui ſanus fuerat effectus, neſciebat quis eſſet. IESVS enim declinauit à turba conſtituta in loco. Poſteà inuenit eum IESVS in templo, & dixit illi: ECCE SANVS FACTVS es, iam NOLI PECCARE, ne deterius tibi aliquid contingat. Abiit ille homo, & nuntiauit Iudæis quia

IESVS esset qui fecit eum sanum.

OBSERVATIO.

Tam in Epistola, quam in Euangelio obserua liberi arbitrii facultatem in recuperanda Diuina gratia, & animi per peccatum aut mortui aut ægrotantis sanitate, dicente Christo vis sanus fieri? & Ezechiele: Ipse animam suam viuificabit.

Oratio Ecclesiæ.

Esto Domine propitius plebi tuæ, & quam tibi facis esse deuotam, benigno refoue miseratus auxilio, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

SABBATO POST DOMINICAM INVOCAVIT.

SVMMARIVM. *Epistola commendat opera misericordiæ & charitatis, docet Christianam lenitatem, iubet in genere à malo & mali specie omnes abstinere, vacare pietati, ac de proximis benè mereri. Euangelium proponit historiam de Christi transfiguratione: cui non solùm testes Apostoli præcipui, sed etiam collocutores Moyses & Helias Prophetæ summi coràm interfuerunt. Ineffabilis hæc est gloria filii Dei, quæ Doctrinam & perfectionem eius commendat, nósque consolatur ob resurrectionis futuræ gloriam, quæ nobis erit cum capite Christo communis, si dicto eius paruerimus, & vnà cum discipulis præeuntem fuerimus insecuti. Ipsum audite, inquit Pater, non modò scilicet promittentem atque consolantem;*

ſed iubentem etiam ac minantem.

EPISTOLA I. THESSAL. V.

FRatres, Rogamus vos, corripite inquietos, conſolamini puſillanimes, ſuſcipite infirmos, patientes eſtote ad omnes. Videte ne quis malum pro malo alicui reddat: ſed ſemper quod bonum eſt, ſectamini in inuicem, & in omnes. Semper gaudete, ſine intermiſſione orate, in omnibus gratias agite. *Hæc* eſt enim voluntas Dei in Chriſto IESV in omnibus vobis. Spiritum nolite extinguere, prophetias nolite ſpernere. Omnia autem probate quod bonum eſt, tenete. Ab omni ſpecie mala abſtinete vos. Ipſe autem Deus pacis ſanctificet vos per omnia, vt integer ſpiritus veſter, & anima & corpus ſine querela, in aduentu Domini noſtri Ieſu Chriſti ſeruetur.

EVANGELIVM MATTH. XVII.

IN illo tempore, Aſſumpſit Ieſus Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, & duxit illos in montem excelſum ſeorſum: & transfiguratus eſt antè eos. Et reſplenduit facies eius ſicut ſol: veſtimenta autem eius facta ſunt alba ſicut nix. Et eccè apparuerunt illis Moyſes & Helias cum eo loquentes. Reſpondens autem Petrus, dixit ad IESVM: Domine bonum eſt nos hîc eſſe: ſi vis, faciamus hîc tria taberna-

cula, tibi vnum, & Moysi vnum, & Heliæ vnum. Adhuc eo loquente, ecce nubes lucida obumbrauit eos: Et ecce vox de nube, dicens: HIC EST FILIVS meus dilectus, in quo mihi benè complacui: ipsum audite. Et audientes discipuli, ceciderunt in faciem suam, & timuerunt valdè. Et accessit IESVS, & tetigit eos, dixitque eis: Surgite & nolite timere. Leuantes autem oculos suos, neminem viderunt, nisi solum IESVM. Et descendentibus illis de monte, præcepit eis IESVS, dicens: Nemini dixeritis visionem, donec filius hominis à mortuis resurgat.

OBSERVATIO.

Sanctos qui è viuis excesserunt viuentibus apparare, vbi id viuentium saluti expedire Deus prouidet, hoc Moysis & Heliæ cum Christo in monte colloquiũ, manifeste declarat. Porrò si patri de filio suo dicenti ipsum audite, obtemperamus, filio sanè parendum est dicenti: Qui vos audit me audit, & si Ecclesiam non audierit, sit tibi tanquã Ethnicus & Publicanus.

Oratio Ecclesiæ.

Populum tuum, quæsumus Domine, propitius respice, atque ab eo flagella tuæ iracundiæ clementer auerte, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA II. QVADR.

SVMMARIVM. *Ad religiosam vitam seu*

sanctificationem, quæ hoc tempore Christianos imprimis decet, hortatur Epistola generatim, mox etiam in specie. Monet igitur castitatem & pudicitiam in carne, sinceritatem & æquitatem in contractibus obseruari, vt procul simus ab omni turpitudine & auaritia. Euangelium rursus offert historiam Christi in monte transfigurati, cùm se plusquam hominem in sua gloria, quantum discipuli tunc capere poterant, declarauit, illísque velut gustum quendam regni cælestis præbuit. Nimirum in monte orantibus, & à mundi turba, luxu, voluptate seclusis, vt pietati commodius vacent, maiorem gratiam Deus impertit. Alii aliud Euangelium hoc die tractant, de Chananææ filia scilicet per Christum liberata, quod pulchrum habet exemplum ritè precandi, præsertim afflictionis tempore. Docet hæc Chananæa meritò à Christo laudata, nos in fide, humilitate, patientia & perseuerantia, maximè autem in constanti oratione, nunc exercitari oportere, donec è nostris finibus Satanas eiiciatur.

EPISTOLA I. THESSAL. IIII.

FRatres, Rogamus & obsecramus vos in Domino IESV, vt quemadmodum accepistis à nobis, quomodo vos oporteat ambulare & placere Deo: sic & ambuletis, vt abundetis magis. Scitis enim quæ præcepta dederim vobis per Dominum IESVM. HAEC est enim voluntas Dei, sanctificatio vestra, vt abstineatis

vos à fornicatione, vt sciat vnusquisque vestrûm, vas suum possidere in sanctificatione & honore, non in passione desiderij, sicut & gentes quæ ignorant Deum. Et ne quis supergrediatur, neque circumueniat in negotio fratrem suum: quoniam vindex est Dominus de his omnibus, sicut prædiximus vobis, & testificati sumus. Non enim vocauit nos Deus in immunditiam, sed in sanctificationem in Christo Iesu Domino nostro.

EVANGELIVM MATH. XVII. R.

IN illo tempore, Assumpsit IESVS Petrum & Iacobum & Ioannem fratrem eius, *Reliqua è Sabbato mox præcedente accipiantur.*

ALIVD EVANGELIVM MATH. XV.

Iuxtà vsum aliarum Ecclesiarum.

IN illo tempore, Egressus IESVS, secessit in partes Tyri & Sidonis. Et ecce mulier Chananæa, à finibus illi egressa, clamauit, dicens: MISERERE mei domine filii Dauid: filia mea malè à dæmonio vexatur. Qui non respondit ei verbum. Et accedentes discipuli eius, rogabant eum, dicentes: Dimitte eam, quia clamat post nos. Ipse autem respondens, ait: Non sum missus nisi ad oues, quæ perierunt, domus Israël. At illa venit, & adorauit eum, dicens: Domine adiuua me. Qui respondens, ait: Non est bonum

num sumere panem filiorum, & mittere canibus. At illa dixit: Etiam Domine: nam & catelli edunt de micis, quæ cadunt de mensa dominorum suorum. Tunc respondens IESVS, ait illi: O mulier, magna est fides tua: fiat tibi sicut vis. Et sanata est filia eius ex illa hora.

OBSERVATIO.

Impiè ex eo quod rogantibus pro muliere Apostolis fuerit responsum à Christo: Non sum missus &c. colligunt hæretici inualidas esse Sanctorum pro viuentibus præces, cum non negantis, sed fidem mulieris probantis, & beneficium differentis illa fuerint, donec humilitate nixa fides proderetur. Infinita enim sunt impetratarum pro aliis gratiarum exempla in sacris voluminibus.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui conspicis omni nos virtute destitui, interius exteriusq; custodi, vt ab omnibus aduersitatibus muniamur in corpore, et à prauis cogitationibus mundemur in mente, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Hymnus B. Hilarij in Quadragesima.

IESV quadragenariæ
Dicator abstinentiæ,
Qui ob salutem mentium
Hoc sanxeras ieiunium.
Quo paradiso redderes
Seruata parsimonia:
Quos inde gastrimargiæ
Huc illecebra depulit.
Adesto nunc Ecclesiæ,
Adesto pœnitentiæ,

Qua

Quæ pro suis excessibus
Orat profusis precibus.
Tu retroacta crimina
Tua remitte gratia,
Et à futuris adhibe
Custodiam mitissime.
Vt, expiati annuis
Ieiuniorum victimis,
Tendamus ad paschalia
Dignè colenda gaudia.
Amen.

FERIA II. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Sequens lectio humilis est precatio Danielis in captiuitate Babylonica pro afflicto populo intercedentis. Sicut enim nobis iam anteà in Chananæa, ita nunc in Daniele commendatur affectus charitatis, quem non solum pro nobis ipsis, sed etiã pro aliis iuuandis ad orandum adferre debeamus. Impeditur autem hæc precandi & diligendi ratio, si absit humilitas cordis, tùm si singularis obstet illorum pro quibus precamur, vel quibus fauemus, peruicacia. Ac verè inflati & peruicaces fuêre Iudæi, qui audita toties Euangelii veritate, Meßiam suum persequi potius & crucifigere, quàm cognoscere et recipere voluerunt: Qua de re docet sequens etiam Euangelium.*

LECTIO DANIELIS IX.

IN diebus illis, Orauit Daniel Dominum, dicens: Domine Deus noster, qui eduxisti populum tuum de terra Ægypti in manu forti, & fecisti tibi nomen secundum diem hanc: peccauimus, iniquitatem fecimus Domine in om-

nem iustitiam tuam. Auertatur, obsecro, ira tua & furor tuus à ciuitâte tua Hierusalem, & à monte sancto tuo. Propter peccata enim nostra & iniquitates patrum nostrorum, Hierusalem & populus tuus in opprobrium sunt omnibus per circuitum nostrum. Nunc ergo exaudi Deus noster orationem serui tui & preces eius, & ostende faciem tuam super sanctuarium tuum, quod desertum est. Propter temetipsum inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide desolationem nostram, & ciuitatem super quam inuocatum est nomen tuum. Neque enim in iustificationibus nostris prosternimus preces ante faciem tuam, sed in miserationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac. Ne moreris propter temetipsum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum est super ciuitatem, & super populum tuum, Domine Deus noster.

EVANGELIVM IOAN. VIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS turbis Iudæorum: Ego vado, & quęretis me, & in peccato vestro moriemini. Quò ego vado, vos non potestis venire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet semetipsum, quia dicit, Quò ego vado, vos non potestis venire? Et dicebat eis: Vos de deorsum estis: ego de supernis sum.

Vos de mundo hoc estis, ego non sum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis vestris. Si enim non credideritis, quia ego sum, moriemini in peccato vestro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis IESVS: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare: sed qui me misit, verax est: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis IESVS: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoscetis quia ego sum, & à me ipso facio nihil: sed sicut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me misit, mecum est, & non reliquit me solum: quia ego quæ placita sunt ei, facio semper.

OBSERVATIO.

Quæ de fide dicuntur, de ea intelligenda sunt, quã viuam Iacobus, Paulus per charitatem operantem appellat.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, vt familia tua quæ se affligendo carnem ab alimentis abstinet, sectando iustitiam à culpa ieiunet; Per Dominum.

FERIA III. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Historia sequitur de Helia & vidua Sarephtana: vbi Deus ostendit se suorum*

ha-

habere curam, quos etiam in maxima annonæ caritate sustentat & pascit. Nolite ergo solliciti esse, Matth. 6. Proponuntur in Euangelio Pharisæi molesti, duri, ambitiosi elatíque doctores; qui nihilò secius audiri debeant, quamdiu cathedram tenent. Tanti Christus facit & à nobis fieri vult Ecclesiasticam potestatem in his, qui ea donati verbum Dei aut scriptum, aut traditum docent. Quod si vita sint improbi, botrum carpe, & spinam caue, vt loquitur Augustinus. Præterea Euangelium arguit hypocrisim atque ambitionem; studium verò humilitatis cùm aliis, tùm doctoribus commendat maximè.

III. REG. XVII.

IN diebus illis, Factus est sermo Domini ad Heliam Thesbiten, dicens: Surge, & vade in Sarephtam Sidoniorum, & manebis ibi: pręcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te. Surrexit, & abiit in Sarephtám Sidoniorum. Cumq; venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. Cumque illa pergeret vt adferret, clamauit post tergum eius, dicens: Adfer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinę in hydria, & paululum olei in lecytho. En colligo

ligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Ad quam Helias ait: Noli timere, sed vade, & fac sicut dixisti. Veruntamen mihi primùm fac de ipsa farinula subcineritium panem paruulum, & adfer ad me: tibi autem & filio tuo facies posteà. Hæc autem dicit Dominus Deus Israël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vsque in diem, in qua Dominus daturus est pluuiam super faciem terræ. Quæ abiit & fecit iuxta verbum Heliæ. Et comedit ipse, & illa, & domus eius: & ex illa die hydria farinę non defecit, & lecythus olei non est imminutus, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Heliæ.

EVANGELIVM MATH. XXIII.

TVnc IESVS locutus est ad turbas & ad discipulos suos, dicens: Super cathedram Moysi sederunt scribæ & pharisæi OMNIA ergo quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem suo nolunt ea mouere. Omnia verò opera sua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria sua, & magnificant fimbrias. Amant au-

tem

tem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrûm, erit minister vester. QVI autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

OBSERVATIO.

Non est cur ob Dei ministrorum propria vitia fides, religio, sacramenta, instituta, verba, sacrificia & id genus falsa esse putentur & repudiáda, immò è contra vera & bona, quæ audire, & quibus obedire debemus, dicente Christo, Super cathedram &c. Quod si tanta fuit iam iam finituræ Moysis cathedræ vis, vt ex ea nihil falsi dogmatis oriri posset, quanta erit illa Petri, Christi oratione firmatæ, Ego rogaui p te &c. quæ in finem vsque mundi duratura est, aduersus quam portæ inferi, hæreses scilicet, non sunt præualituræ?

Oratio Ecclesiæ.

Perfice, quæsumus Domine, benignus in nobis obseruantiæ sanctæ subsidium, vt quæ te authore facienda cognouimus, te operante impleamus, Per Domi.

FERIA IIII. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. Precationem hic habes Mardochæi nobilis Iudæi, qui pro se & populo contra tyrannicam persecutionem Aman solicitè orat in captiuitate. Et paulò post accidit vindice Deo, vt decretam Iudæis innocentibus pœnam Aman ipse impius experiretur. Nec satis Mardochæo visum est Deum orare, nisi etiam cum sua Hester ieiunaret, ieiunio lachrymas adderet, sacco indueretur, atque seriis pœnitentiæ armis instructus, Dei placaret iram, & communem populi auerteret calamitatem. Prior Euangelii pars vaticinium habet de Christi passione, simul & resurrectione, sicut suis Christus ipse prædixit. Posterior reiicit præposteram petitionem filiorum Zebedæi, imò & omnium ambitiosorum, quos humilitatis magister & exemplar Christus ad sui submißionem officiosamq; modestiam reuocat, & hortatur.

LECTIO HESTER XIII.

IN diebus illis, Orauit Mardochæus ad Dominum, dicens: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. Tu enim fecisti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur. Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis quia

non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum. Libenter enim pro ſalute Iſraël, etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem: ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quēquam adorarem, excepto Deo meo. Et nunc Domine rex Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne deſpicias partem tuam, quam redemiſti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto ſorti & funiculo tuo, & conuerte luctum noſtrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum, & ne claudas ora canentium te Domine Deus noſter.

EVANGELIVM MATH. XX.

IN illo tempore, Aſcendens IESVS Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis: Eccè aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die reſurget. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus

ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem IESVS, dixit: Nescitis quid petatis. Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis, CALICEM quidem meum bibetis, sedere autem ad dexteram meam, vel ad sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. Et audientes decem indignati sunt de duobus fratribus. IESVS autem vocauit eos ad se, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores sunt, potestatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: sed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, sit vester minister. Et qui voluerit inter vos primus esse, erit vester seruus. Sicut filius hominis non venit ministrari, sed ministrare, & dare animam suam redemptionem pro multis.

OBSERVATIO.

Ministrorum Dei humilitate predicata superbus cathedræ dominatus reprimitur; non cathedræ sublimitas & ministerii Hierarchicus ordo conuellitur.

Oratio Ecclesiæ.

Populum tuum, quæsumus Domine, propitius respice: & quos ab escis carnalibus præcipis abstinere, à noxiis quoque vitiis cessare concede, Per Dominum nostrum Iesum Christum. &c

FERIA V. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Quàm sit periculosum hominem homini sibique fidere, & contrà, quàm securum in Deo sperare; docet Hieremias: & addit, Deum nihil non in nobis tùm perspicere, tùm iudicare. Euangelium diuitem exhibet epulonem, qui cùm nimium sibi suísque opibus fideret, ac Lazarum mendicum inhumaniter negligeret, breues voluptates cum æternis ignibus commutauit. Contrà verò patiens Lazarus ex laboriosa vita in requiem dulcißimam per angelos meruit deportari. Fœlices qui modò cum Lazaro ieiunant, algent & egent, suam vt postea recipiant consolationem, cuius participes esse non possunt Epicurei & secundum carnem viuentes, etiamsi fide sint præditi, ac de Deo sanctísque eius præclarè sentiant.*

LECTIO HIEREM. XVII.

HAEC dicit Dominus Deus: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium suum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quasi myricæ in deserto, & non videbit cùm venerit bonum: sed habitabit in siccitate in deserto, in terra salsuginis & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius: & erit quasi lignum quod transplãtatur super aquas, quod

ad humorem mittit radices suas,& non timebit cùm venerit æstus: & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. PRAVVM est cor hominis & inscrutabile. Quis cognoscet illud? EGO DOMINVS scrutans cor & probans renes,qui do vnicuique iuxtà viam suam,& iuxtà fructum adinuentionum suarum, dicit Dominus omnipotens.

EVANGELIVM LVC. XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis:Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso,& epulabatur quotidiè splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus,cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis:& nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius.Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem diues:& sepultus est in inferno.Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham a longè,& Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit, Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam,quia crucior in hac flamma. Et dixit Abraham:

ham: FILI RECORDARE, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos, & vos, chaos magnum firmatũ est, ut hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint: neque indè huc transmeare. Et ait: Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. At ille dixit: Non, pater Abrahā: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: Si Moysen & Prophetas nō audiũt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

OBSERVATIO.

Vides iam tria animarum receptacula, infernum damnatorum vbi diues Epulo, Abrahæ sinum vbi Lazarus, & paradisum vbi introductus latro à Christo. de quarto suo loco. Hic Abrahæ sinus carcer, lacus, & recepta appellatione, Limbus appellatur.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ, vt ieiuniis & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

FE-

FERIA VI. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Historia est de Ioseph exoso fratribus, in quo typum habes innocentis Christi à Iudæis tam iniquè quàm inuidè tractati reiectíque, sicut mox declarat magis Euangelica parabola, quæ vineæ plantatæ crudelissimos colonos depingit. Hi post seruos pessimè tractatos domini etiam filiũ eúmque hæredem vineæ, vt suum explerent odium, trucidarunt: digni certè, à quibus Euangelii gratia, & salus omnis ad gentes tranferretur. Sed ô immane crimen inuidiæ, quòd germanos fratres ad mortem innocenti Ioseph intentandam armauit, quódque Iudæos ad omnem crudelitatem impulit, vt neque sanctis Prophetis, neque suo Messiæ Deíque filio parcerent sanguinarii.*

LECTIO GENESIS XXXVII.

IN diebus illis, Dixit Ioseph fratribus suis: Audite somnium meum quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstãtes, adorare manipulum meũ. Responderunt fratres eius, Nunquid rex noster eris, aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, inuidiæ & odii fomitem ministrauit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per som-

nium, quasi solē & lunā & stellas vndecim adorare me. Quod cùm patri suo & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Nunquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui, pater verò rem tacitus considerabat. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum, ait: Vade, & vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos & pecora, & renuncia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem. Inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothaim. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothaim. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq́; Fera pessima deuorauit eum; & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Audiens autem

hoc Ruben, nitebatur liberare eum de manibus eorum, & dicebat: Non interficiamus animam eius, nec effundamus sanguinem, sed proiicite eum in cisternam hanc, quæ est in solitudine, manusque vestras seruate innoxias. Hoc autem dicebat, volens eripere eum de manibus eorum, & reddere patri suo.

EVANGELIVM MATH. XXI.

IN illo tempore, Dixit IESVS principibus Iudæorum, parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & sepem circundedit ei, & fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus est. Cùm autem tempus fructuum appropinquasset, misit seruos suos ad agricolas vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehensis seruis eius, alium ceciderunt, alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum misit alios seruos plures prioribus, & fecerunt illis similiter. Nouissimè autem misit ad eos filium suum, dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra se: Hic est hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehensum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: MALOS malè perdet,

nem iuſtitiam tuam. Auertatur, obſecro, ira tua & furor tuus à ciuitâte tua Hieruſalem, & à monte ſancto tuo. Propter peccata enim noſtra & iniquitates patrum noſtrorum, Hieruſalem & populus tuus in opprobrium ſunt omnibus per circuitum noſtrum. Nunc ergo exaudi Deus noſter orationem ſerui tui & preces eius, & oſtende faciem tuam ſuper ſanctuarium tuum, quod deſertum eſt. Propter temetipſum inclina Deus meus aurem tuam, & audi: aperi oculos tuos, & vide deſolationem noſtram, & ciuitatem ſuper quam inuocatum eſt nomen tuum. Neque enim in iuſtificationibus noſtris proſternimus preces ante faciem tuam, ſed in miſerationibus tuis multis. Exaudi Domine, placare Domine, attende & fac. Ne moreris propter temetipſum Deus meus: quia nomen tuum inuocatum eſt ſuper ciuitatem, & ſuper populum tuum, Domine Deus noſter.

EVANGELIVM IOAN. VIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS turbis Iudæorum: Ego vado, & quęretis me, & in peccato veſtro moriemini. Quò ego vado, vos non poteſtis venire. Dicebant ergo Iudæi: Nunquid interficiet ſemetipſum, quia dicit, Quò ego vado, vos non poteſtis venire? Et dicebat eis: Vos de deorſum eſtis: ego de ſupernis ſum.

Vos

Vos de mundo hoc eſtis, ego non ſum de hoc mundo. Dixi ergo vobis, quia moriemini in peccatis veſtris. Si enim non credideritis, quia ego ſum, moriemini in peccato veſtro. Dicebant ergo ei: Tu quis es? Dixit eis IESVS: Principium, qui & loquor vobis. Multa habeo de vobis loqui & iudicare: ſed qui me miſit, verax eſt: & ego quæ audiui ab eo, hæc loquor in mundo. Et non cognouerunt quia patrem eius dicebat Deum. Dixit ergo eis IESVS: Cùm exaltaueritis filium hominis, tunc cognoſcetis quia ego ſum, & à me ipſo facio nihil: ſed ſicut docuit me pater, hæc loquor. Et qui me miſit, mecum eſt, & non reliquit me ſolum: quia ego quæ placita ſunt ei, facio ſemper.

OBSERVATIO.

Quæ de fide dicuntur, de ea intelligenda ſunt, quã viuam Iacobus, Paulus per charitatem operantem appellat.

Oratio Eccleſiæ.

Præſta, quæſumus omnipotens Deus, vt familia tua quæ ſe affligendo carnem ab alimentis abſtinet, ſectando iuſtitiam à culpa ieiunet; Per Dominum.

FERIA III. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Hiſtoria ſequitur de Helia & vidua Sarephtana: vbi Deus oſtendit ſe ſuorum*

habere curam, quos etiam in maxima annonæ caritate sustentat & pascit. Nolite ergo solliciti esse, Matth. 6. Proponuntur in Euangelio Pharisæi molesti, duri, ambitiosi elatíque doctores; qui nihilò secius audiri debeant, quamdiu cathedram tenent. Tanti Christus facit & à nobis fieri vult Ecclesiasticam potestatem in his, qui ea donati verbum Dei aut scriptum, aut traditum docent. Quod si vita sint improbi, botrum carpe, & spinam caue, vt loquitur Augustinus. Præterea Euangelium arguit hypocrisim atque ambitionem; studium verò humilitatis cùm aliis, tùm doctoribus commendat maximè.

III. REG. XVII.

IN diebus illis, Factus est sermo Domini ad Heliam Thesbiten, dicens: Surge, & vade in Sarephtam Sidoniorum, & manebis ibi: præcepi enim ibi mulieri viduæ vt pascat te. Surrexit, & abiit in Sarephtam Sidoniorum. Cumq; venisset ad portam ciuitatis, apparuit ei mulier vidua colligens ligna, & vocauit eam, dixitque ei: Da mihi paululum aquæ in vase, vt bibam. Cumque illa pergeret vt adferret, clamauit post tergum eius, dicens: Adfer mihi, obsecro, & buccellam panis in manu tua. Quæ respondit: Viuit Dominus Deus tuus, quia non habeo panem nisi quantum pugillus capere potest farinæ in hydria, & paululum olei in lecytho. En col-

ligo duo ligna, vt ingrediar, & faciam illud mihi & filio meo, vt comedamus, & moriamur. Ad quam Helias ait: Noli timere, ſed vade, & fac ſicut dixiſti. Veruntamen mihi primùm fac de ipſa farinula ſubcineritium panem paruulum, & adfer ad me: tibi autem & filio tuo facies poſteà. Hæc autem dicit Dominus Deus Iſraël: Hydria farinæ non deficiet, nec lecythus olei minuetur vſque in diem, in qua Dominus daturus eſt pluuiam ſuper faciem terræ. Quæ abiit & fecit iuxta verbum Heliæ. Et comedit ipſe, & illa, & domus eius: & ex illa die hydria farinę non defecit, & lecythus olei non eſt imminutus, iuxta verbum Domini quod locutus fuerat in manu Heliæ.

EVANGELIVM MATH. XXIII.

TVnc IESVS locutus eſt ad turbas & ad diſcipulos ſuos, dicens: Super cathedram Moyſi ſederunt ſcribæ & pharisæi OMNIA ergo quæcunque dixerint vobis, ſeruate & facite: ſecundum opera verò eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. Alligant autem onera grauia & importabilia, & imponunt in humeros hominum: digito autem ſuo nolunt ea mouere. Omnia verò opera ſua faciunt, vt videantur ab hominibus. Dilatant enim phylacteria ſua, & magnificant fimbrias. Amant au-

tem primos recubitus in cœnis, & primas cathedras in synagogis, & salutationes in foro, & vocari ab hominibus Rabbi. Vos autem nolite vocari Rabbi. Vnus est enim magister vester: omnes autem vos fratres estis. Et patrem nolite vocare vobis super terram: vnus est enim pater vester qui in cælis est. Nec vocemini magistri, quia magister vester vnus est Christus. Qui maior est vestrûm, erit minister vester. QVI autem se exaltauerit, humiliabitur: & qui se humiliauerit, exaltabitur.

OBSERVATIO.

Non est cur ob Dei ministrorum propria vitia fides, religio, sacramenta, instituta, verba, sacrificia & id genus falsa esse putentur & repudiãda, immò è contra vera & bona, quæ audire, & quibus obedire debemus, dicente Christo, Super cathedram &c. Quod si tanta fuit iam iam finituræ Moysis cathedræ vis, vt ex ea nihil falsi dogmatis oriri posset, quanta erit illa Petri, Christi oratione firmatæ, Ego rogaui p te &c. quæ in finem vsque mundi duratura est, aduersus quam portæ inferi, hæreses scilicet, non sunt prævalituræ?

Oratio Ecclesiæ.

Perfice, quæsumus Domine, benignus in nobis obseruantiæ sanctæ subsidium, vt quæ te authore facienda cognouimus, te operante impleamus, Per Domi.

FE-

FERIA IIII. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. Precationem hic habes Mardochæi nobilis Iudæi, qui pro se & populo contra tyrannicam persecutionem Aman solicitè orat in captiuitate. Et paulò post accidit vindice Deo, vt decretam Iudæis innocentibus pœnam Aman ipse impius experiretur. Nec satis Mardochæo visum est Deum orare, nisi etiam cum sua Hester ieiunaret, ieiunio lachrymas adderet, sacco indueretur, atque seriis pœnitentiæ armis instructus, Dei placaret iram, & communem populi auerteret calamitatem. Prior Euangelii pars vaticinium habet de Christi passione, simul & resurrectione, sicut suis Christus ipse prædixit. Posterior reiicit præposteram petitionem filiorum Zebedæi, imò & omnium ambitiosorum, quos humilitatis magister & exemplar Christus ad sui submissionem officiosamq; modestiam reuocat, & hortatur.

LECTIO HESTER XIII.

IN diebus illis, Orauit Mardochæus ad Dominum, dicens: Domine Domine rex omnipotens, in ditione enim tua cuncta sunt posita, & non est qui possit tuæ resistere voluntati, si decreueris saluare Israël. Tu enim fecisti cælum & terram, & quicquid cæli ambitu continetur: Dominus omnium es, nec est qui resistat maiestati tuæ. Cuncta nosti, & scis quia

non pro ſuperbia & contumelia, & aliqua gloriæ cupiditate fecerim hoc, vt non adorarem Aman ſuperbiſſimum. Libenter enim pro ſalute Iſraël, etiam veſtigia pedum eius deoſculari paratus eſſem: ſed timui ne honorem Dei mei transferrem ad hominem, & ne quẽquam adorarem, excepto Deo meo. Et nunc Domine rex Deus Abraham, miſerere populi tui, quia volunt nos inimici noſtri perdere, & hæreditatem tuam delere. Ne deſpicias partem tuam, quam redemiſti tibi de Ægypto. Exaudi deprecationem meam, & propitius eſto ſorti & funiculo tuo, & conuerte luctum noſtrum in gaudium, vt viuentes laudemus nomen tuum, & ne claudas ora canentium te Domine Deus noſter.

EVANGELIVM MATH. XX.

IN illo tempore, Aſcendens IESVS Hieroſolymam, aſſumpſit duodecim diſcipulos ſuos ſecretò, & ait illis: Eccè aſcendimus Hieroſolymam, & filius hominis tradetur principibus ſacerdotum & ſcribis, & condemnabunt eum morte, & tradent eum gentibus ad illudendum, & flagellandum, & crucifigendum: & tertia die reſurget. Tunc acceſſit ad eum mater filiorum Zebedæi cum filiis ſuis, adorans & petens aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi: Dic vt ſedeant hi duo filij mei, vnus ad

ad dexteram tuam, & vnus ad ſiniſtram in regno tuo. Reſpondens autem IESVS, dixit: Neſcitis quid petatis. Poteſtis bibere calicem quem ego bibiturus ſum? Dicunt ei: Poſſumus. Ait illis, CALICEM quidem meum bibetis, ſedere autem ad dexteram meam, vel ad ſiniſtram, non eſt meum dare vobis, ſed quibus paratum eſt à Patre meo. Et audientes decem indignati ſunt de duobus fratribus. IESVS autem vocauit eos ad ſe, & ait: Scitis quia principes gentium dominantur eorum, & qui maiores ſunt, poteſtatem exercent in eos. Non ita erit inter vos: ſed quicunq; voluerit inter vos maior fieri, ſit veſter miniſter. Et qui voluerit inter vos primus eſſe, erit veſter ſeruus. Sicut filius hominis non venit miniſtrari, ſed miniſtrare, & dare animam ſuam redemptionem pro multis.

OBSERVATIO.

Miniſtrorum Dei humilitate prædicata ſuperbus cathedræ dominatus reprimitur, non cathedræ ſublimitas & miniſterii Hierarchicus ordo conuellitur.

Oratio Eccleſiæ.

Populum tuum, quæſumus Domine, propitius reſpice: & quos ab eſcis carnalibus præcipis abſtinere, à noxiis quoque vitiis ceſſare concede, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum. &c

FERIA V. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. Quàm ſit periculoſum hominem homini ſibique fidere,& contrà, quàm ſecurum in Deo ſperare; docet Hieremias: & addit, Deum nihil non in nobis tùm perſpicere,tùm iudicare.Euangelium diuitem exhibet epulonem, qui cùm nimium ſibi ſuíſque opibus fideret, ac Lazarum mendicum inhumaniter negligeret, breues voluptates cum æternis ignibus commutauit. Contrà verò patiens Lazarus ex laborioſa vita in requiem dulciſsimam per angelos meruit deportari. Fælices qui modò cum Lazaro ieiunant, algent & egent, ſuam vt poſteà recipiant conſolationem, cuius participes eſſe non poſſunt Epicurei & ſecundum carnem viuentes, etiamſi fide ſint præditi,ac de Deo ſanctíſque eius præclarè ſentiant.

LECTIO HIEREM. XVII.

HAEC dicit Dominus Deus: Maledictus homo qui confidit in homine, & ponit carnem brachium ſuum, & à Domino recedit cor eius. Erit enim quaſi myricæ in deſerto, & non videbit cùm venerit bonum:ſed habitabit in ſiccitate in deſerto, in terra ſalſuginis & inhabitabili. Benedictus vir qui confidit in Domino, & erit Dominus fiducia eius:& erit quaſi lignum quod transplãtatur ſuper aquas,quod

ad humorem mittit radices suas, & non timebit cùm venerit æstus: & erit folium eius viride, & in tempore siccitatis non erit sollicitum, nec aliquando desinet facere fructum. PRAVVM est cor hominis & inscrutabile. Quis cognoscet illud? EGO DOMINVS scrutans cor & probans renes, qui do vnicuique iuxtà viam suam, & iuxtà fructum adinuentionum suarum, dicit Dominus omnipotens.

EVANGELIVM LVC. XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè. Et erat quidam mendicus nomine Lazarus qui iacebat ad ianuam eius vlceribus plenus, cupiens saturari de micis quæ cadebant de mensa diuitis: & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum est autem vt moreretur mendicus, & portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus est autem diues: & sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham a longè, & Lazarum in sinu eius, & ipse clamans dixit, Pater Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit Abraham:

ham: FILI RECORDARE, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala: nunc autem hic consolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos,& vos,chaos magnum firmatũ est,ut hi qui volunt hinc transire ad vos,non possint:neque indè huc transmeare. Et ait:Rogo ergo te pater, vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum.Et ait illi Abraham: Habent Moysen, & Prophetas, audiant illos. At ille dixit:Non,pater Abrahã: sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi:Si Moysen & Prophetas nõ audiũt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent.

OBSERVATIO.

Vides iam tria animarum receptacula, infernum damnatorum vbi diues Epulo, Abrahæ sinum vbi Lazarus, & paradisum vbi introductus latro à Christo. de quarto suo loco. Hic Abrahæ sinus carcer, lacus, & recepta appellatione, Limbus appellatur.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta nobis, quæsumus Domine, auxilium gratiæ tuæ, vt ieiuniis & orationibus conuenienter intenti, liberemur ab hostibus mentis & corporis, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

FE-

FERIA VI. POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Historia est de Ioseph exoso fratribus, in quo typum habes innocentis Christi à Iudæis tam iniquè quàm inuidè tractati reiectíque, sicut mox declarat magis Euangelica parabola, quæ vineæ plantatæ crudelissimos colonos depingit. Hi post seruos pessimè tractatos domini etiam filiũ eúmque hæredem vineæ, vt suum explerent odium, trucidarunt: digni certè, à quibus Euangelii gratia, & salus omnis ad gentes tranferretur. Sed ô immane crimen inuidiæ, quòd germanos fratres ad mortem innocenti Ioseph intentandam armauit, quódque Iudæos ad omnem crudelitatem impulit, vt neque sanctis Prophetis, neque suo Messiæ Deíque filio parcerent sanguinarii.*

LECTIO GENESIS XXXVII.

IN diebus illis, Dixit Ioseph fratribus suis: Audite somnium meum quod vidi: Putabam nos ligare manipulos in agro, & quasi consurgere manipulum meum, & stare, vestrosque manipulos circumstãtes, adorare manipulum meũ. Responderunt fratres eius, Nunquid rex noster eris, aut subiiciemur ditioni tuæ? Hæc ergo causa somniorum atque sermonum, inuidiæ & odii fomitem ministrauit. Aliud quoque vidit somnium, quod narrans fratribus, ait: Vidi per som-

nium; quasi solē & lunā & stellas vndecim adorare me. Quod cùm patri suo & fratribus retulisset, increpauit eum pater suus, & dixit: Quid sibi vult hoc somnium quod vidisti? Nunquid ego & mater tua & fratres tui adorabimus te super terram? Inuidebant ei igitur fratres sui, pater verò rem tacitus considerabat. Cumque fratres illius in pascendis gregibus patris morarentur in Sichem, dixit ad eum Israël: Fratres tui pascunt oues in Sichimis: veni, mittam te ad eos. Quo respondente, Præsto sum, ait: Vade, & vide si cuncta prospera sunt erga fratres tuos & pecora, & renuncia mihi quid agatur. Missus de valle Hebron, venit in Sichem. Inuenitque eum vir errantem in agro, & interrogauit quid quæreret. At ille respondit: Fratres meos quæro, indica mihi vbi pascant greges. Dixitque ei vir: Recesserunt de loco isto: audiui autem eos dicentes, Eamus in Dothaim. Perrexit itaque Ioseph post fratres suos, & inuenit eos in Dothaim. Qui cùm vidissent eum procul, antequam accederet ad eos, cogitauerunt illum occidere, & mutuò loquebantur: Ecce somniator venit, venite, occidamus eum, & mittamus in cisternam veterem, dicemusq; Fera pessima deuorauit eum; & tunc apparebit quid illi prosint somnia sua. Audiens autem

hoc Ruben, nitebatur liberare eum de mani-
bus eorum,& dicebat: Non interficiamus ani-
mam eius,nec effundamus ſanguinem,ſed proii-
cite eum in ciſternam hanc, quæ eſt in ſolitu-
dine, manuſque veſtras ſeruate innoxias. Hoc
autem dicebat, volens eripere eum de manibus
eorum, & reddere patri ſuo.

EVANGELIVM MATH. XXI.

IN illo tempore, Dixit IESVS principibus Iudæorum, parabolam hanc: Homo erat paterfamilias, qui plantauit vineam, & ſepem circundedit ei,& fodit in ea torcular, & ædificauit turrim, & locauit eam agricolis, & peregrè profectus eſt. Cùm autem tempus fructuum appropinquaſſet, miſit ſeruos ſuos ad agricolas vt acciperent fructus eius. Et agricolæ apprehenſis ſeruis eius,alium ceciderunt,alium occiderunt, alium verò lapidauerunt. Iterum miſit alios ſeruos plures prioribus, & fecerunt illis ſimiliter. Nouiſſimè autem miſit ad eos filium ſuum,dicens: Verebuntur filium meum. Agricolæ autem videntes filium, dixerunt intra ſe: Hic eſt hæres, venite, occidamus eum, & habebimus hæreditatem eius. Et apprehenſum eum eiecerunt extra vineam, & occiderunt. Cùm ergo venerit dominus vineæ, quid faciet agricolis illis? Aiunt illi: MALOS malè perdet,

det,& vineam suam locabit alijs agricolis, qui reddant ei fructum temporibus suis. Dicit illis IESVS: Nunquam legistis in Scripturis: Lapidem quem reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: A Domino factum est istud,& est mirabile in oculis nostris? Ideo dico vobis, quia AVFERETVR à vobis regnũ Dei, & dabitur genti facienti fructus eius. Et qui ceciderit super lapidem istum, confringetur: super quem verò ceciderit, conteret eum. Et cùm audissent principes sacerdotum & Pharisæi parabolas eius,cognouerunt quod de ipsis diceret. Et quærentes eum tenere, timuerunt turbas,quoniam sicut Prophetã eum habebant.

OBSERVATIO.

Vides sub parabola vineæ cui omnia necessaria collata sunt,fructusq; exquiritur apertè declarari non satis ad salutem esse, si suis nos donis ornet Deus, nisi etiam nos fructum bonorum operum feramus, quæ præparauit Deus vt in illis ambulemus.

Oratio Ecclesiæ.

Da quæsumus omnipotens Deus, vt sacro nos purificante ieiunio, synceris mentibus ad sancta ventura facias peruenire, Per Dominum nostrum.

SABBATO POST DOMINICAM REMINISCERE.

SVMMARIVM. *Narratur historia de Iacob, qui*

qui à matre subornatus, fratri præripuit paternam benedictionem, & ab illo ius primogenituræ ad se callidè transtulit. Euangelium est de filio prodigo, qui pœnitentiæ clarissimum exemplum, & fructum eius insignem exhibet. Insuper ostendit hæc parabola sub imagine duorum fratrum, & Iudaicum & gentilem populum, & si ab vno Deo conditum, studiis tamen inter se disparem fuisse, ac Iudæos quidem gentibus conuersis inuidisse, quòd ad Euangelicam gratiam à se reiectam illi admitterentur. Sicut autem Iacob præfertur Esau fratri seniori, ita resipiscens prodigus alteri fratri, qui externam probitatis speciem præseferebat, exæquatur. Cæterùm ex vocatis multis etiam gentibus pauci post lapsum ad se Patrémque Deum sic redeunt, vt prodigus ille filius, cuius perfecta pœnitentia totam patris domum exhilarauit.

GENESIS XXVII.

IN diebus illis, Dixit Rebecca filio suo Iacob: Audiui patrem tuum loquentem cum Esau fratre tuo, & dicentem ei: Adfer mihi de venatione tua, & fac cibos, vt comedam, & benedicam tibi coram Domino, antequàm moriar. Nunc ergo fili mi acquiesce consiliis meis: & pergens ad gregem, adfer mihi duos hœdos optimos, vt faciam ex eis escas patri tuo, quibus libenter vescitur. Quas cùm intuleris, & comederit, benedicat tibi priusquam moriatur.

Cui

Cui ille respondit : Nosti quòd Esau frater meus homo pilosus sit, & ego lenis. Si attre-ctauerit me pater meus,& senserit, timeo ne putet me sibi voluisse illudere, & inducam super me maledictionem pro benedictione. Ad quem mater: In me sit, ait, ista maledictio fili mi, tantùm audi vocem meam, & pergens adfer quæ dixi. Abiit & attulit, deditque matri. Parauit illa cibos, sicut velle nouerat patrem illius, & vestibus Esau valde bonis, quas apud se habebat domi, induit eum, pelliculasque hœdorum circundedit manibus, & colli nuda protexit. Deditque pulmentum, & panes quos coxerat, tradidit. Quibus illatis, dixit: Pater mi? At ille respondit: Audio, quis es tu fili mi? Dixitq; Iacob: Ego sum primogenitus tuus Esau: feci sicut præcepisti mihi: surge, sede, & comede de venatione mea, vt benedicat mihi anima tua. Rursumque Isaac ad filium suũ: Quomodo, inquit, tam citò inuenire potuisti fili mi? Qui respondit: VOLVNTAS Dei fuit, vt citò mihi occurreret quod volebam. Dixitq; Isaac : Accede huc, vt tangam te fili mi, & probem vtrum tu sis filius meus Esau, an non. Accessit ille ad patrem: & palpato eo, dixit Isaac: Vox quidem, vox Iacob est: sed manus, manus Esau sunt. Et non cognouit eum, quia pilosæ manus, similitu-

dinem maioris expresserant. Benedicens ergo illi, ait: Tu es filius meus Esau? Respondit, Ego sum. At ille: Adfer mihi, inquit, cibos de vena tione tua fili mi, vt benedicat tibi anima mea. Quos cùm oblatos comedisset, obtulit ei etiam vinum. Quo hausto, dixit ad eum: Accede ad me, & da mihi osculum fili mi. Accessit, & osculatus est eum: statimque vt sensit vestimentorum illius fragrantiam, benedicens illi, ait: ECCE odor filij mei sicut odor agri pleni, cui bene dixit Dominus. Det tibi Deus de rore cæli, & de pinguedine terræ, abundantiam frumenti, vini & olei, & seruiant tibi populi, & adorent te tribus. Esto dominus fratrum tuorum, & incuruentur antè te filij matris tuæ. Qui maledixerit tibi, sit ille maledictus: & qui benedixerit tibi, benedictionibus repleatur. Vix Isaac sermonem impleuerat, & egresso Iacob foràs, venit Esau, coctosque de venatione cibos intulit patri, dicens: Surge pater mi, & comede de venatione filij tui, vt benedicat mihi anima tua. Dixitque illi Isaac: Quis enim es tu? Qui respondit: Ego sum filius tuus primogenitus Esau. Expauit Isaac stupore vehemẽti, & vltrà quàm credi potest, admirans, ait: Quis igitur ille est, qui dudum captam venationem attulit mihi, & comedi ex omnibus priusquàm tu venires. Benedi-

nedixique ei,& erit benedictus. Auditis Esau sermonibus patris,irrugiit clamore magno,& consternatus,ait: Benedic etiam & mihi pater mi. Qui ait: Venit germanus tuus fraudulenter, & accepit benedictionem tuam: At ille subiunxit: Iustè vocatum est nomen eius,Iacob. Supplantauit enim me,en altera vice. Primogenita mea antè tulit, & nunc secundò surripuit benedictionem meam. Rursumque ad patrem: Nunquid non reseruasti,ait,& mihi benedictionem? Respondit Isaac: Dominum tuum illum constitui, & omnes fratres eius seruituti illius subiugaui. Frumento, vino,& oleo stabiliui eum,& tibi post hæc fili mi vltrà quid faciam? Cui Esau. Num vnam, inquit, tantùm benedictionem habes pater? Mihi quoque, obsecro, vt benedicas. Cumque eiulatu magno fleret, motus Isaac,dixit ad eum: In pinguedine terræ, & in rore cæli desuper erit benedictio tua.

EVANGELIVM LVC. XV.

IN illo tempore, Dixit IESVS pharisæis parabolam hanc: Homo quidam habuit duos filios, & dixit adolescentior ex illis patri: Pater,da mihi portionem substantiæ,quę me contingit. Et diuisit illis substantiam. Et post non multos dies, congregatis omnibus, adolescentior filius peregrè profectus est in regionem

lon-

longinquam: & ibi diſſipauit ſubſtantiam ſuam, viuendo luxurioſè. Et poſtquam omnia conſummaſſet, facta eſt fames valida in regione illa, & ipſe cœpit egere. Et abiit, & adhæſit vni ciuium regionis illius, & miſit illum in villam ſuam, vt paſceret porcos. Et cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant: & nemo illi dabat. In ſe autem reuerſus, dixit: Quanti mercenarij in domo patris mei abundant panibus: ego autem hîc fame pereo: Surgam, & ibo ad patrem meum, & dicam ei: PATER peccaui in cælum & coram te: iam non ſum dignus vocari filius tuus: fac me ſicut vnum de mercenarijs tuis. Et ſurgens, venit ad patrem ſuum. Cùm autem adhuc longè eſſet, vidit illum pater ipſius, & miſericordia motus eſt. Et accurrens, cecidit ſuper collum eius, & oſculatus eſt eum. Dixitque ei filius: Pater, peccaui in cælum & coram te, iam non ſum dignus vocari filius tuus. Dixit autem pater ad ſeruos ſuos: Citò proferte ſtolam primam, & induite illum, & date annulum in manum eius, & calceamenta in pedes eius: & adducite vitulum ſaginatum, & occidite, & manducemus, & epulemur, quia hic filius meus mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt. Et cœperunt epulari. Erat autem filius eius ſenior in agro.

Et

Et cùm veniret & appropinquaret domui, audiuit ſymphoniam & chorum. Et vocauit vnum de ſeruis, & interrogauit, quid hæc eſſent. Iſque dixit illi: Frater tuus venit, & occidit pater tuus vitulum ſaginatum, quia ſaluum illum recepit Indignatus eſt autem: & nolebat introire. Pater ergo illius egreſſus, cœpit rogare eum. At ille reſpondens, dixit patri ſuo: Eccè tot annis ſeruio tibi, & nunquã mandatũ tuũ præteriui, & nunquam dediſti mihi hœdum, vt cum amicis meis epularer. Sed poſtquàm filius tuus hic, qui deuorauit ſubſtantiam ſuam cum meretricibus, venit, occidiſti illi vitulum ſaginatum. At ipſe dixit illi: Fili, tu ſemper mecum es, & omnia mea tua ſunt. Epulari autem & gaudere oportebat, quia frater tuus hic, mortuus erat, & reuixit: perierat, & inuentus eſt.

OBSERVATIO.

Aſtutia materna Iacob fratri Eſau ſibi debitum, emptione Diuinaq; electione primogenituræ ius præripuit: Tu verò nè tibi ad fraudẽ proximi apparentis huius fraudis exemplum imitandum pates myſteriorum pleniſsimum. Quin potius pœnitentis filii prodigi veſtigiis inſiſte ad patrem cæleſtem inſtituta à Chriſto ratione reuertentis vt præteritorum peccatorum veniam remiſsione Apoſtolica conſequaris.

 Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Da, quæsumus Domine, nostris effectum ieiu salutarem: vt castigatio carnis assumpta, ad nostrarum vegetationem transeat animarum, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

DOMINICA III. (QVÆ ET OCVLI DICTA) IN QVADRAGESIMA.

SVMMARIVM. *Quàm pulchrè tempori seruit hæc Pauli commonitio, vt Dei lucísque filii Christum imitando simus, alieni à factis inhonestis, & obscœnis stultisq; colloquiis, quibus mundus delectatur, ac Deus offenditur. Linguæ vitium grauissimum est blasphemia, quod in Pharisæis monstrat Euangelium, Hi multis rationibus confutantur à Christo, vt sua miracula in profligandis dæmonibus ritè diuináque virtute facta esse conuincat. Proprius linguæ vsus est cũ hac muliere confiteri & laudare Christum eiusq; sanctos, rectè item sentire ac loqui de omni veritate. nec satis est vera dicere, & audire verbum Dei, nisi etiam auditum custodias & veritatem opere comprobes; domúmq; tuam aduersus insidias Satanæ saluam tueare, vt totum te soli Christo inhabitãdum tribuas.*

EPISTOLA EPHES. V.

FRatres, Estote imitatores Dei, sicut filij charissimi, & ambulate in dilectione, sicut & Christus dilexit nos, & tradidit semetipsum

pro nobis oblationem & hostiam Deo in odorem suauitatis. Fornicatio autem & omnis immunditia, aut auaritia, nec nominetur in vobis, sicut decet sanctos, aut turpitudo, aut stultiloquium, aut scurrilitas, quæ ad rem non pertinet, sed magis gratiarum actio. Hoc enim scitote intelligentes, quòd omnis fornicator, aut immundus, aut auarus, quod est idolorum seruitus, non habet hæreditatem in regno Christi & Dei. Nemo vos seducat inanibus verbis. Propter hæc enim venit ira Dei in filios diffidentiæ. Nolite ergo effici participes eorum. Eratis enim aliquandò tenebræ, nunc autem lux in Domino. Vt filij lucis ambulate. Fructus enim lucis in omni bonitate, & iustitia & veritate.

EVANGELIVM LVC. XI.

IN illo tempore, Erat IESVS eiiciens demonium: & illud erat mutum. Et cùm eiecisset dæmonium, locutus est mutus: & admiratæ sunt turbæ. Quidam autem ex eis dixerunt: In Beelzebub principe dæmoniorum eiicit dæmonia. Et alij tentantes, signum de cælo quærebant ab eo. Ipse autem vt vidit cogitationes eorum, dixit eis: OMNE regnum in seipsum diuisum, desolabitur: & domus supra domum cadet. Si autem & Satanas in seipsum diuisus est; quomodo stabit regnum eius, quia dicitis

in Beelzebub me eiicere dæmonia? Si autem ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri in quo eiiciunt? Ideo ipsi iudices vestri erunt. Porrò si in digito Dei eiicio dæmonia, profectò peruenit in vos regnũ Dei. Cùm fortis armatus custodit atriũ suũ, in pace sunt ea quæ possidet: si autem fortior eo superueniens, vicerit eum: vniuersa arma eius auferet, in quibus confidebat, & spolia eius distribuet. Qui non est mecum, contra me est: & qui non colligit mecum, dispergit. Cùm immundus spiritus exierit de homine, ambulat per loca inaquosa, quærens requiem: & non inueniens, dicit: Reuertar in domum meam vndè exiui. Et cùm venerit, inuenit eam scopis mundatam, & ornatam. Tunc vadit, & assumit septem alios spiritús secum, nequiores se: & ingressi, habitant ibi. ET FIVNT nouissima hominis illius, peiora prioribus. Factum est autem, cùm hæc diceret, extollens vocem quædam mulier de turba, dixit illi: BEATVS venter qui te portauit, & vbera quæ suxisti. At ille dixit: Quinimò, BEATI qui audiunt verbum Dei, & custodiunt illud.

OBSERVATIO.

Quam simillimi Iudæis Christi miraculis detrahentibus sunt hæretici, qui cum mira sanctorum

intercessione patrata a Deo aut legunt, aut audiunt, tum aut falsi historicos probatos insimulant, aut dæmonum esse præstigia, & opera blasphemant quæ leguntur, quæq; dicuntur, sæpè etiã & videntur.

Oratio Ecclesiæ.

Quæsumus omnipotens Deus, vota humilium respice: atque ad defensionem nostrani dexteram tuæ maiestatis extende, Per Dominum nostrum.

Hymnus ieiunantium auctore Prudentio.

O NaZarene dux Bethlehem, verbum Patris:
Quem partus alui virginalis protulit,
Adesto castis Christe parsimoniis,
Festumq; nostrum rex serenus aspice,
Ieiuniorum dum litamus victimam.
Nihil hoc profectò purius mysterio,
Quo fibra cordis expiatur liuidi,
Intemperata quo domantur viscera,
Aruina putrem ne resudans crapulam
Obstrangulatæ mentis ingenium premat.
Hinc subiugatur luxus & turpis gula,
Vini, atque somni degener socordia,
Libido sordens, inuerecundus lepos,
Variæq; pestes languidorum sensuum
Parcam subactæ disciplinam sentiunt.
Nam si licenter diffluens potu & cibo
Ieiuna ritè membra non coërceas,
Sequitur frequenti marcida oblectamine

M *Scin-*

Scintilla mentis vt tepescat nobilis,
Animusq́; pigris stertat vt præcordiis.
Frænentur ergo corporum cupidines,
Detersa vt intus emicet prudentia:
Sic excitato perspicax acumine,
Liberq́; flatu laxiore Spiritus
Rerum parentem rectius precabitur.
Hoc nos sequamur quisque nunc pro viribus,
Quod consecrati tu magister dogmatis
Tuis dedisti Christe sectatoribus,
Vt cùm vorandi vicerit libidinem,
Latè triumphet impetrator Spiritus.
Hoc est quod atri liuor hostis inuidet,
Mundi poliq́; quod gubernator probat,
Altaris aram quod facit placabilem,
Quod dormientis excitat cordis fidem,
Quod limat ægram pectorum rubiginem.
Sit Trinitati in vnitate gloria,
Sit vnitati in trinitate gratia:
Potestas, honor atque iubilatio,
Nostra benignè cum beneuolentia
Ieiuniorum acceptanti munera. Amen.

FERIA II. POST DOMINICAM OCVLI.

SVMMARIVM. *Proponitur historia, quam & Christus in Euangelio repetit, de Naaman Syro & leproso. Is obediens per Heliseum Prophetam cu-*

ratur in Iordanis aqua, curatus gratum sese exhibet ac fidelem. Contrà verò Pharisæi ac Nazareni tot Christi miraculis nihil mouentur ad resipiscentiam, imò verò audita veritate effecti deteriores, vt in magistrum sæuiant, dominum de monte præcipitem dare conantur. Habes hîc Iordanem illustrem baptismi Christiani typum, ad cuius gratiam etiam ethnici admittantur: habes & gratam sanati Naaman confeßionem, qui Deum Israel omnibus Syrorum præfert idolis, & patriæ suæ decus ac præsidium est singulare.

LECTIO IIII. REGVM V.

IN diebus illis, Naaman princeps militiæ regis Syriæ, erat vir magnus apud dominum suum, & honoratus. Per illum enim dedit Dominus salutem Syriæ. Erat autem vir fortis & diues, sed leprosus. Porrò de Syria egressi fuerant latrunculi, & captiuam duxerant de terra Israël puellam paruulam, quæ erat in obsequio vxoris Naaman. Quæ ait ad dominam suam: Vtinam fuisset dominus meus ad Prophetam, qui est in Sammaria: profectò curasset eum à lepra quam habet. Ingressus est itaq; Naaman ad dominum suum, & nunciauit ei, dicens: Sic & sic locuta est puella de terra Israël. Dixitque ei rex Syriæ: Vade, & mittam literas ad regem Israël. Qui cùm profectus esset, & tulisset secum

decem

decem talenta argenti,& ſex millia aureos, & de cem mutatoria veſtimentorum, detulit literas ad regem Iſraël in hæc verba: Cùm acceperis epiſtolam hanc,ſcito quòd miſerim ad te Naaman ſeruum meum, vt cures eum à lepra ſua. Cumque legiſſet rex Iſraël literas, ſcidit veſtimenta ſua,& ait: Nunquid Deus ego ſum,vt occidere poſſim, & viuificare: quia iſte miſit ad me, vt curem hominem à lepra ſua? Animaduertite & videte, quòd occaſiones quærat aduer ſum me. Quod cùm audiſſet Heliſeus vir Dei, ſcidiſſe videlicet regem Iſraël veſtimenta ſua, miſit ad eum, dicens: Quare ſcidiſti veſtimenta tua? Veniat ad me, & ſciat eſſe prophetam in Iſraël. Venit ergo Naaman cum equis & curribus,& ſtetit ad oſtium domus Heliſei. Miſitq; ad eum Heliſeus nuncium,dicens: Vade & lauare ſepties in Iordane,& recipiet ſanitatem caro tua,atque mundaberis. Iratus Naaman, recedebat,dicens: Putabam quòd egrederetur ad me, & ſtans inuocaret nomen Domini Dei ſui, & tangeret manu ſua locum lepræ, & curaret me. Nunquid non meliores ſunt Amana & Pharphar,fluuij Damaſci omnibus aquis Iſraël,vt lauer in eis,& munder: Cùm ergo vertiſſet ſe, & abiret indignans, acceſſerunt ad eum ſerui ſui, & locuti ſunt ei:Pater, & ſi rem grandem dixiſ-

ſet tibi Propheta, certè facere debueras: quanto magis, quia nunc dixit tibi, lauare & mundaberis? Deſcendit, & lauit ſepties in Iordane iuxta ſermonem viri Dei. Et reſtituta eſt caro eius, ſicut caro pueri paruuli, & mundatus eſt. Reuerſusque ad virũ Dei cũ vniuerſo comitatu ſuo, venit, & ſtetit coram eo, & ait: Verè ſcio quod non ſit Deus in vniuerſa terra, niſi tantum in Iſraël.

EVANGELIVM LVC. IIII.

IN illo tempore, Dixerunt Phariſæi ad IESVM, Quanta audiuimus facta in Capharnaum, fac & hic in patria tua. Ait autem, Amen dico vobis, quia nemo Propheta acceptus, eſt in patria ſua. In veritate dico vobis, multæ viduæ erant in diebus Heliæ in Iſraël, quando clauſum eſt cælum annis tribus & menſibus ſex, cùm facta eſſet fames magna in omni terra, & ad nullam illarum miſſus eſt Helias, niſi in Sarephta Sidonis, ad mulierem viduam. Et multi leproſi erant in Iſraël ſub Heliſæo Propheta, & nemo eorum mũdatus eſt, niſi Naaman Syrus. Et repleti ſunt omnes in ſynagoga ira, hęc audientes. Et ſurrexerũt & eiecerunt eum extrà ciuitatem, & duxerunt illum vſque ad ſuper cilium montis, ſuper quem ciuitatis illorũ erat ædificata, vt præcipitarent eum. Ipſe autem

transiens, per medium illorum ibat.

OBSERVATIO.

Non diuina impotentia, sed hominum incredulitas in causa est quod sæpe miracula non edantur.

Oratio Ecclesiæ.

Cordibus nostris, quæsumus Domine gratiam tuam benignus infunde: vt sicut ab escis corporalibus abstinemus, ita sensus quoque nostros à noxiis retrahamus excessibus, Per Dominum nostrum Iesum.

FERIA III. POST DOMINICAM OCVLI.

SVMMARIVM. *Historia est de Propheta Helisæo & paupere vidua, quam ære alieno grauatam Propheta per miraculum liberat, ita vt & æs alienum improbis creditoribus dissoluatur & filiis viduæ nullum sit periculum, ne in seruitutem pertrahantur. Vult autem Deus Christianos Helisæi discipulos & imitatores esse, vt viduos ac viduas, sicut & peregrinos ac orphanos, imprimis foueant atque consolentur. Certè Apostolis de honorandis viduis cura fuit pecularis. Act. 6. 1. Timoth. 5. Iacob. 1. Sed & Euangelium ad charitatis officium exhortatur primùm quidem disserens de correptione fraterna ritè instituenda: tùm de disciplina & authoritate, quæ penes Ecclesiam esse debeat, cui Christus tribuit potestatem excommunicandi, vt membra putrida de ipso Christi corpore possint præcidi, ac nisi corpori restituan-*

tuantur, flammis etiam tartareis mancipari. Accedit & dulcis promißio gratiæ concordibus facta, & serium quoque mandatum, vt cuiuis ex animo condonemus offensas, resipiscentes verò omnes nullo non tempore in gratiam recipiamus.

LECTIO IIII. REG. IIII.

IN diebus illis, Mulier quædam de vxoribus prophetarum clamabat ad Heliſęum, dicens: Seruus tuus vir meus mortuus eſt, & tu noſti quia ſeruus tuus fuit timens Dominum. Et eccè creditor venit, vt tollat duos filios meos ad ſeruiendum ſibi. Cui dixit Heliſęus: Quid vis vt faciam tibi? Dic mihi, quid habes in domo tua? At illa reſpondit: Non habeo ancilla tua quidquam in domo mea niſi parum olei: quo vngar; Cui ait: Vade, pete mutuò ab omnibus vicinis tuis vaſa vacua non pauca: & ingredere, & claude oſtium tuum cùm intrinſecus fueris tu & filij tui, & mitte indè in omnia vaſa hæc, & cùm plena fuerint, tolles. Iuit itaque mulier, & clauſit oſtium ſuper ſe & ſuper filios ſuos. Illi offerebant vaſa, & illa infundebat. Cumque plena fuiſſent vaſa, dixit ad filium ſuum: Adfer mihi adhuc vas. Et ille reſpondit, Non habeo. Stetitque oleum. Venit autem illa, & indicauit homini Dei. Et ille: Vade, inquit, ven

de oleum,& redde creditori tuo:tu autem & filij tui viuite de reliquo.

EVANGELIVM MATH. XVIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis, Si peccauerit in te frater tuus, vade, & corripe eum inter te & ipsum solum: Si te audierit, lucratus eris fratrem tuum. Si autem te non audierit, adhibe tecum adhuc vnum vel duos: vt in ore duorum vel trium testium stet omne verbum. Quòd si non audierit eos, dic Ecclesiæ. Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Amen dico vobis, QVAECVNQVE ligaueritis super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueritis super terram, erunt soluta & in cælo. Iterum dico vobis,quia si duo ex vobis consenserint super terram de omni re quamcunque petierint, fiet illis à patre meo qui in cælis est. VBI enim sunt duo vel tres congregati in nomine meo,ibi sum in medio eorum. Tunc accedens Petrus ad eum,dixit: Domine, quoties peccabit in me frater meus, & dimittam ei? vsque septies? Dicit illi IESVS: Non dico tibi vsq; septies,sed vsq; septuagies septies.

OBSERVATIO.

Hic aperte excommunicandi, ligandi, atque soluendi auctoritatem Prælatis Apostolorum successoribus

ribus tributam vides a Christo, quos Ecclesiæ nomine designat, vt Augustinus cæteriq; interpretantur.

Oratio Ecclesiæ.

Exaudi nos omnipotens & misericors Deus: & continentiæ salutaris propitius nobis dona concede, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

FERIA IIII. POST DOMINICAM OCVLI.

SVMMARIVM. *Publicantur præcepta secundæ tabulæ (vt vocamus) quæ sunt in Decalogo, & adiungitur pars historiæ terrificæ, quæ veteri legi apud Israëlitas conciliat authoritatem. Euangelium corrigit abusum Iudæorum, præsertim Phariseorum, qui Dei præceptis relictis, alia etiam cum lege pugnantia sectarentur atque docerent, cultum verò Deo externum absque interiore præstarent more hypocritarum. Confirmatur hîc præceptum de honorandis parentibus, & scandalum quorundam contemnendum indicatur, & quæ vitia conscientiã verè cõmaculet, declaratur.*

Obserua interim, aliud esse traditiones Apostolicas & Ecclesiasticas, quæ seruandæ docentur, Act. 15. 1. Cor. 11. 2 Thess. 2. Luc. 10. aliud Traditiones Pharisaicas & merè humanas, quæ improbãtur Marc. 7. ad Colloss. 2. Tit. 1. & ad Gal. 3. Præterea cum audis: Quod intrat in os, non coinquinat hominem, caue ne putes hoc dicto Christianam tùm institutionem, tùm obseruationem de præscriptis ieiuniis labefactari. Per

se

ſe quidem & natura cibus nec immundus eſt, nec animam humanam vitiat, vt quidam putauerunt: ſed cibi tamen abuſus qui penes edentem eſt, præſertim ſi corruptus & improbus, Eccleſiámque contemnens accedit animus, is ipſe vitiat cõſcientiam, & Deum offendit. Exemplo ſint Adam, Eſau, diues epulo, cæteriq; omnes contra præceptum Dei vel Eccleſiæ cibis abutentes. Damnatus eſt igitur iam olim Aërius, quòd ſicut Auguſtinus & Epiphanius docent, ſtata & ſolennia Eccleſiæ ieiunia contemneret, ac cuique libera illa reliquenda eſſe doceret.

LECTIO EXODI XX.

HÆc dicit Dominus DEVS: Honora patrem tuum & matrem tuam, vt ſis longæuus ſuper terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi. Non occides, non mœchaberis, non furtum facies, non loquêris contra proximum tuũ falſum teſtimonium, nõ concupiſces domũ proximi tui, nec deſiderabis vxorẽ eius; non ſeruum, non ancillam, nõ bouem, non aſinum, nec omnia quæ illius ſunt. Cunctus autem populus videbat voces & lampades, & ſonitum buccinæ, montemque fumantem: & perterriti ac pauore concuſſi, ſteterunt procul dicentes Moyſi: Loquere tu nobis, & audiemus, non loquatur nobis Dominus, ne fortè moriamur. Et ait Moyſes ad populum: Nolite timere. Vt enim probaret

baret vos, venit Deus, & vt terror illius eſſet in vobis, & non peccaretis. Stetitque populus de longè. Moyſes autem acceſſit ad caliginem in qua erat Deus. Dixitq; prætereà Dominus ad Moyſen: Hęc dices filiis Iſraël: vos vidiſtis, quod de cælo locutus ſim vobis: Non facietis deos argenteos, nec deos aureos facietis vobis. Altare de terra facietis mihi, & offeretis ſuper eo holocauſta & pacifica veſtra, oues veſtras & boues in omni loco, in quo memoria fuerit nominis mei.

EVANGELIVM MATH. XV.

IN illo tempore, Acceſſerunt ad IESVM ab Hieroſolymis Scribæ & Phariſæi, dicentes: Quare diſcipuli tui tranſgrediuntur traditiones ſeniorum? Non enim lauant manus ſuas cùm panem manducant. Ipſe autem reſpondens, ait illis: Quare & vos tranſgredimini mandatum Dei propter traditionem veſtram? Nam Deus dixit: Honora patrem & matrem: &, Qui maledixerit patri vel matri, morte moriatur. Vos autem dicitis: Quicunq; dixerit patri vel matri, Munus quodcunque eſt ex me, tibi proderit, & non honorificabit patrem ſuum, aut matrem ſuam: & irritum feciſtis mandatum Dei propter traditionem veſtram. Hyprocritę, bene prophetauit de vobis Eſaias, dicens: Populus hic labiis me

hono-

honorat,cor autem eorum longè eſt à me. Sine cauſa autem colunt me, docentes DOCTRINAS & MANDATA hominum. Et conuocatis ad ſe turbis, dixit eis: Audite & intelligite: Non quod intrat in os, coinquinat hominem: ſed quod procedit ex ore, hoc coinquinat hominem. Tunc accedentes diſcipuli eius, dixerunt ei: Scis quia Phariſæi audito verbo hoc, ſcandalizati ſunt? At ille reſpondens, ait: Omnis plantatio quam non plantauit pater meus cæleſtis, eradicabitur. Sinite illos: cœci ſunt & duces cœcorum: cœcus autem ſi cœco ducatũ præſtet, ambo in foueam cadent. Reſpondens autem Petrus, dixit ei: Ediſſere nobis parabolam iſtam. At ille dixit: Adhuc & vos ſine intellectu eſtis? Non intelligitis, quia omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur? Quæ autem procedunt de ore, de corde exeunt, & ea coinquinant hominem. De corde enim exeunt cogitationes malæ, homicidia, adulteria, fornicationes, furta, falſa teſtimonia, blaſphemiæ Hæc ſunt quǽ coinquinant hominem. Non lotis autem manibus manducare, non coninquinat hominem.

OBSERVATIO.

Diligenter obſerua ea quæ poſt ſummarium hac

feria notata fuerunt, ne speciosis verbis decipiat hæreticus.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta nobis, quæsumus Domine, vt salutaribus ieiuniis eruditi, à noxiis quoque vitiis abstinentes, propitiationem tuam facilius impetremus, Per Dominũ.

FERIA V. POST DOMINICAM OCVLI.

SVMMARIVM. *Hieremias reuocat homines ab idolatria & vana spe solius cultus externi, docet autem in spiritu & veritate Deum quærere, & benefactis Dei gratiam promereri. Vera religio quæ hominem probat Deo, non verbis & hypocrisi, solísque cæremoniis simulanda, sed puritate conscientiæ & charitatis operibus exprimenda est, vt arbor bona bonis è fructibus agnoscatur. Euangelium Christi beneficentiam prædicat, qui, rogatus febricitantem Petri socrum curat, & dæmones expellit, & morbis ægrotos liberat: nec solùm passim prædicat verbum, sed etiam, sicut Petrus inquit, pertransit benefaciendo & sanando omnes oppressos à diabolo.*

LECTIO HIEREMIAE VII.

IN diebus illis, Factum est verbum Domini ad me, dicens: Sta in porta domus Domini, & prędica ibi verbum istud, & dic: Audite verbum Domini omnis Iuda, qui ingredimini per portas has, vt adoretis Dominum: Hæc dicit Domi-

Dominus exercituum Deus Israël: Bonas facite vias vestras & studia vestra, & habitabo vobiscum in loco isto. Nolite confidere in verbis mendacij, dicentes: Templum Domini, templum Domini, templum Domini est. Quoniam si benè direxeritis vias vestras & studia vestra, si feceritis iudicium inter virum & proximum eius, aduenæ & pupillo & viduæ non feceritis calumniam, nec sanguinem innocentem effuderitis in loco hoc, & post deos alienos non ambulaueritis in malum vobismetipsis: habitabo vobiscum in loco isto in terra quam dedi patribus vestris, à seculo & vsque in seculum, ait Dominus omnipotens.

EVANGELIVM LVC. IIII.

IN illo tempore, Surgens IESVS de synagoga, introiuit in domum Simonis. Socrus autem Simonis tenebatur magnis febribus: & rogauerunt illum pro ea. Et stans super illam, imperauit febri, & dimisit illam: & continuò surgens, ministrabat illis. Cùm sol autem occidisset, omnes qui habebant infirmos variis languoribus, ducebant illos ad eum: at ille singulis manus imponens, curabat eos. Exibant autem dæmonia à multis, clamantia & dicentia, quia tu es filius Dei, & increpans, non sinebat ea loqui, quia sciebant ipsum esse Christum. Facta autem

tem die egressus ibat in desertum locum, & turbæ requirebant eum, & venerunt vsque ad ipsum: & detinebant illum, ne discederet ab eis. Quibus ille ait: Quia & aliis ciuitatibus oportet me euangelizare regnum Dei, quia ideo missus sum. Et erat prædicans in synagogis Galilææ.

OBSERVATIO.

Qui videbantur pro Cananea orantes Apostoli a Christo exauditi non fuisse, quod dilata esset petitio, hi quam citissimè pro socru Petri rogantes exaudiuntur. Petri porrò socrum cum audis, ne ad sacrilegas nuptias transire sacerdotibus licere putes, vxorem enim nō habebat qui omnia reliquerat. Adhæc Cælibatum perpetuò ministri altaris in catholica Ecclesia coluerunt. Vide Epiph. in fin. oper. Panarii pag. penult.

Oratio Ecclesiæ.

Subiectum tibi populum, quæsumus Domine, propitiatio cælestis amplificet: & tuis semper faciat seruire mandatis; Per Dominum nostrum.

FERIA VI. POST DOMINICAM OCVLI.

SVMMARIVM. *Docet hæc historia, Iudæos etsi rebelles & murmurantes in deserto, tamen ex petra per Moysen aqua refectos fuisse, & Moysen itidem vnà cum Aarone dubitando peccasse. Iam confer*

fer Euangelium de Samaritana, & fidem huius cum illorum incredulitate compone. Credit mulier ex vno colloquio, quod ad puteum cum Christo habuit de Messia, suæq; fidei imitatricem mox facit totam ciuitatem Samaritanorum. Adeò gentes non cedunt Iudæis, postrema quidem vocatione, sed fidei & pietatis ardore primæ. In hoc Christi & Samaritanæ suauissimo colloquio multa sunt digna notatu, & illud imprimis, quomodo sit nobis Deus ritè adorandus. Patrem in veritate adorat, vt Augustinus docet, qui Patrem æternum in nomine filii inuocat petendo quæ salutis sunt. Non rectè igitur orant & adorant Iudæi, vtpotè suis typicis cæremoniis & holocaustis affixi: non Samaritani vel ethnici, quorum vel superstitiosa, vel impia sacra sunt, cùm dæmonum potius quàm Dei cultores agant. Christianorum autem hoc est, manetq; proprium, vt Patrem in spiritu & veritate clàm & palàm adorent, quia fidem, spem & charitatem externo cultui norunt adiungere, & quicquid religiosè faciunt, ad interiorem cultum Deo comprobandum referre contendunt, nec in vllis rebus aut ritibus externis hærent, sed illis tamen vtuntur, vt se ac alios ad cultum illum interiorem reddant habiliores, & per exteriora rectius ad spiritualia & diuina progrediantur. Sic in spiritu colendus, venerandus & & adorandus est Deus, vt & corpus suum officium faciat, & qui totus vbique præsens est, ex tota etiam

 anima,

anima, ex toto corde, ex tota virtute tùm interiore, tùm exteriore diligatur, nihílque apud nos maneat, quod in veritate, iustitia & sanctitate non seruiat creatori, vtpotè cui demùm omnis à nobis laus, honor gloriáque debetur.

LECTIO NVMERORVM XX.

IN diebus illis, Conuenerunt filij Israël aduersum Moysen & Aaron, & versi in seditionem, dixerunt: Vtinam periissemus inter fratres nostros coràm Domino. Cur eduxistis Ecclesiam Domini in solitudinem, vt & nos & nostra iumenta moriamur? Quare nos fecistis ascendere de Ægypto, & adduxistis in locum istum pessimum, qui seri non potest, qui nec ficum gignit, nec vineas, nec malogranata; insuper & aquam non habet ad bibendum? Ingressusque Moyses & Aaron dimissa multitudine in tabernaculum fœderis, corruerunt proni in terram, clamaueruntque ad Dominum, atque dixerunt: Domine Deus, audi clamorem huius populi, & aperi eis thesaurum tuum, fontem aquæ viuæ, vt satiati, cesset murmuratio eorum. Et apparuit gloria Domini super eos. Locutusq; est Dominus ad Moysen, dicens: Tolle virgam, & congrega populum tu & Aaron frater tuus, & loquimini ad petram coràm eis, & illa dabit aquas. Cumque eduxeris aquam de petra, bibet

omnis

omnis multitudo, & iumenta eius. Tulit igitur Moyſes virgam quæ erat in conſpectu DOMINI, ſicut præceperat ei, congregata multitudine antè petram. Dixitque eis: Audite rebelles & increduli: Num de petra hac vobis aquam poterimus eiicere? Cumque eleuaſſet Moyſes manum, percutiens virga bis ſilicem, egreſſæ ſunt aquæ largiſſimæ, ita vt populus biberet & iumenta. Dixitque Dominus ad Moyſen & Aaron: Quia non credidiſtis mihi, vt ſanctificaretis me coràm filijs Iſraël, non introducetis hos populos in terram quam dabo eis. Hæc eſt aqua cõtradictionis, vbi iurgati ſunt filij Iſraël contrà Dominum, & ſanctificatus eſt in eis.

EVANGELIVM IOAN. IIII.

IN illo tempore, Venit IESVS in ciuitatem Samariæ, quæ dicitur Sichar, iuxtà prædium quod dedit Iacob Ioſeph filio ſuo. Erat autem ibi fons Iacob. IESVS autem fatigatus ex itinere, ſedebat ſic ſupra fontem. Hora autem erat quaſi ſexta. Venit mulier de Samaria haurire aquam. Dicit ei IESVS: Da mihi bibere. Diſcipuli enim eius abierant in ciuitatem, vt cibos emerent. Dicit ergo ei mulier illa Samaritana: Quomodò tu Iudæus cùm ſis, bibere à me poſcis, quæ ſum mulier Samaritana? non enim coutuntur Iudæi Samaritanis.

Respondit IESVS, & dixit ei: Si scires donum Dei, & quis est qui tibi dicit, da mihi bibere, tu forsitan petisses ab eo, & dedisset tibi aquam viuam. Dicit ei mulier: Domine: neque in quo haurias habes, & puteus altus est: vndè ergo habes aquam viuam? Nunquid tu maior es patre nostro Iacob, qui dedit nobis puteum, & ipse ex eo bibit, & filij eius, & pecora eius? Respondit IESVS, & dixit ei: Omnis qui bibit ex aqua hac, sitiet iterum: QVI autem biberit ex aqua quam ego dabo ei, non sitiet in æternum: sed aqua quam ego dabo ei, fiet in eo fons aquæ salientis in vitam æternam. Dicit ad eum mulier: Domine, da mihi hanc aquam, vt non sitiam, neq; veniam hûc haurire. Dixit ei IESVS Vade, voca virum tuum, & veni hûc. Respondit mulier, & dixit: Non habeo virum. Dicit ei IESVS: Benè dixisti, quia non habeo virum: quinq; enim viros habuisti, & nunc quem habes, non est tuus vir: hoc verè dixisti. Dicit ei mulier: Domine, video, quia Propheta es tu: Patres nostri in monte hoc adorauerunt, & vos dicitis, quia Hierosolymis est locus vbi adorare oportet. Dicit ei IESVS: Mulier, crede mihi, quia venit hora, quando neque in monte hoc, neque in Hierosolymis adorabitis patrem. Vos adoratis quod nescitis: nos adoramus quod sci-

mus, quia ſalus ex Iudæis eſt. Sed venit hora & nunc eſt, quandò veri adoratores adorabunt Patrem in ſpiritu & veritate. Nam & Pater tales quærit qui adorent eum. Spiritus eſt Deus: & eos qui adorant eum, in ſpiritu & veritate oportet adorare. Dicit ei mulier: Scio quia Meſſias venit, qui dicitur Chriſtus. Cùm ergo venerit, ille annuntiabit nobis omnia. Dicit ei IESVS: Ego ſum qui loquor tecum. Et continuò venerunt diſcipuli eius, & mirabantur quia cum muliere loquebatur: nemo tamen dixit, quid quæris, aut, quid loqueris cum ea? Reliquit ergo hydriam ſuam mulier, & abiit in ciuitatem, & dicit illis hominibus: Venite, & videte hominem qui dixit mihi omnia quæcunque feci, nunquid ipſe eſt Chriſtus? Exierunt ergo de ciuitate, & veniebant ad eum. Intereà rogabant eum diſcipuli, dicentes: Rabbi manduca. Ille autem dixit eis: Ego cibum habeo manducare, quem vos neſcitis. Dicebant ergo diſcipuli adinuicem: Nunquid aliquis attulit ei manducare? Dicit eis IESVS: MEVS CIBVS EST, vt faciam voluntatem eius qui miſit me, vt perficiã opus eius. Nónne vos dicitis, quod adhuc quatuor menſes ſunt, & meſſis venit? Eccè dico vobis, leuate oculos veſtros & videte regiones, quia albæ ſunt iam ad meſſem. Et qui metit, mer

cedem accipit, & congregat fructum in vitam æternam: vt & qui seminat, simul gaudeat: & qui metit. in hoc enim est verbũ verũ, quia alius est qui seminat, & alius est qui metit. Ego vos misi metere qđ vos nos laborastis: alij laborauerunt, & vos in labores eorum introistis. Ex ciuitate autem illa multi crediderunt in eum Samaritanorum, propter verbum mulieris, testimonium perhibentis: Quia dixit mihi omnia quæcunq; feci. Cum venissent ergo ad illum Samaritani, rogauerunt eum, vt ibi maneret. Et mansit ibi duos dies. Et multò plures crediderunt in eum propter sermonem eius. Et mulieri dicebant: Quia iam non propter tuam loquelam credimus: ipsi enim audiuimus, & scimus quia hic est verè Saluator mundi.

OBSERVATIO.

Verbis illis neque in monte hoc, neque in Hierosolymis &c. nõ loca orationis tolluntur quales sunt Christianorum Ecclesiæ, sed ab angusto loco, vt ait Aug in omnem terrarum orbem Dei cultus extenditur. Cæremoniarum porrò vsum, adoratio in spiritu & veritate non tollit; cum hoc iustum sit vt cor & caro exultent in Deum viuũ psalamusq; spiritu, psalamus & mente, leuantes puras in cælum cum cordibus manus.

Oratio Ecclesiæ.

Ieiunia nostra, quæsumus Domine, benigno fauore

uore prosequere: vt sicut ab alimentis abstinemus in corpore, ita à vitiis ieiunemus in mente. Per Dom.

SABBATO POST DOMINICAM OCVLI.

SVMMARIVM. *Historia est elegans de pudica Susanna, quæ falsò adulterii accusata peiúsque condemnata, Deum innocentiæ suæ habet vindicem, ac Daniele veritatis teste simul & iudice diuinitus excitato mirabiliter liberatur. Mendaces interim testes, impudicíque senes à puero Daniele conuicti talionis pœna plectuntur. Aptè verò respondet Euangelium, in quo mulier adulterii accusata, Christum contra Pharisæos habet liberatorem: qui eam sanè quàm clementer absoluit, tàm prudenter admonet de pœnitentia. Misericordia est quod dicitur, Non te condèmnabo. Iudicium autem quod additur, Noli peccare. Monentur & indices, iustè quod iustum est exequi, nec solum peccantes alios castigare, sed seipsos etiam irreprehensibiles exhibere.*

LECTIO DANIELIS XIII.

IN diebus illis, Erat vir habitans in Babylone, & nomen eius Ioachim: & accepit vxorem nomine Susannam, filiam Helchiæ, pulchram nimis & timẽtem Deum. Parentes enim illius cùm essent iusti, erudierunt filiam suam secundum legem Moysi. Erat autem Ioachim diues valdè, & erat ei pomerium vicinum domui

mui ſuæ, & ad ipſum cõfluebant Iudæi, eò quòd eſſet honorabilior omnium. Et conſtituti ſunt duo ſenes iudices in illo anno, de quibus locutus eſt Dominus, Quia egreſſa eſt iniquitas de Babylone à ſenioribus iudicibus, qui videbantur regere populum. Iſti frequentabant domum Ioachim, & veniebant ad eos omnes qui habebãt iudicia. Cùm autem populus reuertiſſet per meridiem, ingrediebatur Suſanna, & deambulabat in pomerio viri ſui. Et videbant eam ſenes quotidiè ingredientem & deambulantem, & exarſerunt in concupiſcentiam eius. Et euerterunt ſenſum ſuum, & declinauerunt oculos ſuos, vt non viderent cælum, neque recordarentur iudiciorum iuſtorum. Erant enim ambo vulnerati amore eius, nec indicauerunt ſibi viciſſim dolorem ſuũ. Erubeſcebant enim indicare ſibi concupiſcentiam ſuã, volentes concumbere cum ea. Et obſeruabant quotidiè ſolicitius videre eam. Dixitq; alter ad alterũ: Eamus domum, quia hora prandij eſt. Et egreſſi, receſſerunt à ſe. Cumque reuertiſſent, venerunt in vnum: & ſciſcitantes ab inuicem cauſam, confeſſi ſunt concupiſcentiam ſuam. Et tunc in communi ſtatuerunt tempus, quandò eam poſſent inuenire ſolam. Factum eſt autem, cùm obſeruarent diem aptum, ingreſſa eſt aliquando

ſicut heri & nudius tertius, cum duabus ſolis puellis, voluitque lauari in pomerio. Aeſtus quippè erat, & non erat ibi quiſquam præter duos ſenes abſconditos, & contemplantes eam. Dixit ergo puellis: Adferte mihi oleum & ſmigmata, & oſtia pomerij claudite, vt lauer. Et fecerunt ſicut præceperat, clauſeruntque oſtia pomerij, & egreſſæ ſunt per poſticum, vt adferrent quæ iuſſerat: neſciebatque ſenes intus abſconditos. Cùm autem egreſſæ eſſent puellæ, ſurrexerunt duo ſenes, & accurrerunt ad eam, & dixerunt: Eccè oſtia pomerij clauſa ſunt, & nemo nos videt, & nos in concupiſcentia tui ſumus. Quamobrem aſſentire nobis, & commiſcere nobiſcum. Quod ſi nolueris, dicemus contrà te teſtimonium, quod fuerit tecum iuuenis, & ob hanc cauſam emiſeris puellas à te. Ingemuit Suſanna, & ait: Anguſtiæ ſunt mihi vndique. Si enim hoc egero, mors mihi eſt: ſi autem non egero, non effugiam manus veſtras. Sed MELIVS eſt mihi, abſq; opere incidere in manus veſtras, quàm peccare in conſpectu Domini. Et exclamauit voce magna Suſanna: exclamauerunt autem & ſenes aduerſus eam. Et cucurrit vnus & aperuit oſtia pomerij. Cùm ergo audiſſent clamorem famuli domus in pomerio, irruerunt per poſticum, vt viderent

quidnam esset. Postquam autem senes locuti sunt, erubuerunt serui vehementer, quia nunquam dictus fuerat sermo huiuscemodi de Susanna. Et facta est dies crastina. Cumque venisset populus ad Ioachim virum eius, venerunt & duo presbyteri pleni iniqua cogitatione aduersus Susannam, vt interficerent eam. Et dixerunt corâm populo: Mittite ad Susannam filiam Helchiæ, vxorem Ioachim. Et statim miserunt. Et venit cum parentibus, & filiis, & vniuersis cognatis suis. Porrò Susanna erat delicata nimis, & pulchra facie. At iniqui illi iusserunt, vt discooperiretur, (erat enim cooperta) vt vel sic satiarentur decore eius. Flebant igitur sui, & omnes qui nouerant eam. Consurgentes autem duo presbyteri in medio populi, posuerunt manus suas super caput eius. Quæ flens suspexit ad cælum. Erat enim cor eius fiduciam habens in Domino. Et dixerunt presbyteri: Cùm deambularemus in pomerio soli, ingressa est hæc cum duabus solis puellis, & clausit ostia pomerij, & dimisit à se puellas. Venitque ad eam adolescens, qui erat absconditus, & concubuit cum ea. Porrò nos cùm essemus in angulo pomerij, videntes iniquitatem, cucurrimus ad eos, & vidimus eos pariter commisceri. Et illum quidem non quiuimus comprehendere, quia

fortior nobis erat,& aperto ostio exiliuit: Hanc autem cùm apprehendissemus, interrogauimus, quisnam esset adolescens, & noluit indicare nobis. Huius rei testes sumus. Credidit illis multitudo quasi senibus & iudicibus populi, & condemnauerunt eam ad mortem. Exclamauit autem voce magna Susanna,& dixit: DEVS AETERNE, qui absconditorum es cognitor, qui nosti omnia antequam fiant, tu scis, quoniam falsum testimonium tulerunt contra me:& ecce morior, cùm nihil horum fecerim, quæ isti malitiosè composuerunt aduersum me. Exaudiuit autem Dominus vocem eius. Cumque duceretur ad mortem suscitauit Dominus spiritũ pueri iunioris, cuius nomen Daniel, & exclamauit voce magna: Mundus ego sum à sanguine huius. Et conuersus omnis populus ad eum dixit: Quis est iste sermo quem tu locutus es? Qui cùm staret in medio eorum, ait: Sic fatui filij Israël, non iudicantes, neque quod verum est cognoscentes, condemnastis filiam Israël? Reuertimini ad iudicium, quia falsum testimonium locuti sunt aduersus eam. Reuersus est ergo populus cum festinatione, & dixerunt ei senes: Veni & sede in medio nostrûm,& indica nobis, quia tibi Deus dedit honorem senectutis. Et dixit ad eos Daniel: Seperate illos abinuicem procul, &
diiu-

diiudicabo eos. Cùm ergo diuisi essent alter ab altero, vocauit vnum de eis, & dixit ad eum: Inueterate dierum malorum, nunc venerunt peccata tua quæ operabaris prius, iudicans iudicia iniusta, innocentes opprimens, & dimittens noxios, dicente Domino: Innocentem & iustum non interficies. Nunc ergo si vidisti eam, dic sub qua arbore videris eos colloquentes sibi. Qui ait: Sub Schino. Dixit autem Daniel: Rectè mentitus es in caput tuum. Eccè enim angelus Dei, accepta sententia ab eo, scindet te medium. Et amoto eo, iussit venire alium, & dixit ei: Semen Chanaan & non Iuda, SPECIES decepit te, & concupiscentia decepit cor tuum. Sic faciebatis filiabus Israel, & illæ timentes loquebantur vobis: sed filia Iuda non sustinuit iniquitatem vestram. Nunc ergo dic mihi, sub qua arbore comprehenderis eos loquentes sibi. Qui ait: Sub Prino. Dixit autem ei Daniel: Rectè mentitus es & tu in caput tuum. Manet enim angelus Domini gladium habens, vt secet te medium, & interficiat vos. Exclamauit itaque omnis cœtus voce magna, & benedixerunt Deum, qui saluat sperantes in se. Et consurrexerunt aduersus duos presbyteros (conuicerat enim eos Daniel ex ore suo falsum dixisse testimonium) feceruntque eis sicut malè egerant aduer-

ſus proximam, vt facerent ſecundum legem Moyſi, & interfecerunt eos. Et ſaluatus eſt ſanguis innoxius in die illa.

EVANGELIVM IOAN. VIII.

IN illo tempore, Perrexit IESVS in montem Oliueti, & diluculò iterum venit in téplum: & omnis populus venit ad eum, & ſedens docebat eos. Adducunt autem ſcribæ & Pharisæi mulierem in adulterio deprehenſam: & ſtatuerunt eam in medio, & dixerunt ei: Magiſter, hæc mulier modò deprehenſa eſt in adulterio. In lege auté Moyſes mãdauit nobis huiuſmodi lapidare. Tu ergo quid dicis? Hoc autem dicebãt, tentantes eũ, vt poſſent accuſare eũ. IESVS autem inclinans ſe deorſum, digito ſcribebat in terram. Cùm autem perſeuerarent interrogantes eum, erexit ſe, & dixit eis: QVI ſine peccato eſt veſtrûm, primus in illam lapidem mittat. Et iterum ſe inclinans, ſcribebat in terram. Audientes autem hæc, vnus poſt vnum exibant, incipientes à ſenioribus: & remanſit ſolus IESVS, & mulier in medio ſtans. Erigens autem ſe IESVS, dixit ei: Mulier, vbi ſunt qui te accuſabant? Nemo te condemnauit? Quæ dixit: Nemo Domine. Dixit autem ei IESVS: Nec ego te condemnabo. VADE, & iam amplius noli peccare.

OBSERVATIO.

Vt nihil nunc Christo misericordius vt Adulteræ absolutio declarat, ita nihil eo iustius in extremo illo, horrendoq; iudicio.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui se affligendo carnem ab alimentis abstinent, sectando iustitiam à culpa ieiunent, Per Dominum nostrum.

DOMINICA IIII. (QVÆ ET LAETARE) IN QVADRAGESIMA.

SVMMARIVM. *Libertatem Christianam hîc vindicat Paulus contra IudaiZantes, ac docet Abraham liberos ex Sara libera, & Agar ancilla procreatos, figuram gerere duorum testamentorum: Isaac verò eorum esse typum, qui per Christi fidem Ecclesiæ facti filii, à seruitute legis Mosaicæ liberantur. Nec minus lætum est Euangelium, & Euangelicum conuiuium, quo Christus de quinque panibus hordeaceis, & duobus piscibus, quinque virorum millia satiauit. Cuiusmodi conuiuio vox additur gratulabundi Prophetæ, sicut in templis omnibus hodie decantatur, Lætare Hierusalem, &c. Nam hæc Dominica, quæ non immeritò Lætare dicta est, & ab ea quæ Septuagesima vocatur, septima existit, sabbatum mundi, id est, requiem significat, in qua fidelium animæ, deposito carnis onere, & velut post bella victrices depositis armis feriatæ lætantur. Vnde totum Dominicæ huius*

offi-

officium, vt Rupertus Tuitiensis annotauit, illius requiei futuræque consolationis præconium est: quò commoneantur nunc peregrinantes, ieiunantes, pœnitentes, præsentem tristitiam spe consolationis futuræ supergredi: sintque iuxta Apostolum, spe gaudentes, in tribulatione patientes, quoniam in superna Hierusalem vberibus consolationis, & torrente voluptatis replebuntur.

EPISTOLA AD GALAT. IIII.

FRatres, Scriptum est, quoniam Abraham duos filios habuit: vnum de ancilla, & vnũ de libera. Sed qui de ancilla, secundum carnem natus est: qui autem de libera, per repromissionem: quæ sunt per allegoriam dicta. Hæc enim sunt duo testamenta: vnum quidem in monte Sina, in seruitutem generans, quæ est Agar (Sina enim mons est in Arabia, qui coniunctus est ei, quæ nunc est Hierusalẽ) & seruit cum filiis suis. Illa autem quæ sursum est Hierusalem, libera est, quæ est mater nostra; scriptum est enim: Lætare sterilis quæ non paris: erumpe & clama quæ non parturis: quia multi filij desertæ, magis quàm eius quæ habet virum. Nos autem fratres, secundum Isaac promissionis filij sumus. Sed quomodo tunc is, qui secundum carnem natus fuerat, persequebatur eum, qui secundum spiritum: ita & nunc. Sed quid

dicit Scriptura? Eiice ancillam & filium eius: non enim hæres erit filius ancillæ cum filio liberæ. Itaque fratres, non sumus ancillæ filij, sed liberæ? QVA LIBERTATE Christus nos liberauit.

OBSERVATIO.

Libertas Christi potestatis omnis à Deo ordinatæ iugum à ceruicibus nostris non depellit, sed peccati. Nam qui resistit potestati Dei ordinationi resistit. Vtinam sic sapuissent hac infœlici tempestate homines, non cædibus campi, vrbes, prouinciæ, Regna, Imperia completa fuißent, barbareq; humano cruore omnia despumassent. Atque hic tamen fructus prædicatæ Nouæ libertatis Nouo ac proindè falso Euangelio, vel vnicus.

EVANGELIVM IOAN. VI.

IN illo tempore, Abiit IESVS trans mare Galilçæ, quod est Tyberiadis. Et sequebatur eum multitudo magna, qui videbant signa, quæ faciebat super his qui infirmabantur. Subiit ergo in montem IESVS, & ibi sedebat cum discipulis suis. Erat autem proximum pascha dies festus Iudæorum. Cùm subleuasset ergo oculos IESVS, & vidisset, quia multitudo magna venit ad eum, dicit ad Philippum: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Hoc autem dicebat, tentans eum. Ipse enim sçiebat quid esset factu-

facturus. Respondit ei Philippus: Ducentorum denariorum panes non sufficiunt eis, vt vnusquisq; modicum quid accipiat. Dicit ei vnus ex discipulis eius, Andreas, frater Simonis Petri: Est puer vnus hîc, qui habet quinque panes hordeaceos, & duos pisces. Sed hęc quid sunt inter tantos? Dixit ergo IESVS. Facite homines discumbere. Erat autem fœnum multum in loco. Discubuerunt ergo viri numero quasi quinque millia. Accepit ergo IESVS panes: & cùm gratias egisset, distribuit discumbentibus: similiter & ex piscibus quantum volebant. Vt autem impleti sunt, dicit discipulis suis: COLLIGITE quæ superauerunt fragmenta, ne pereant. Collegerunt ergo & impleuerunt duodecim cophinos fragmentorum, ex quinque panibus hordeaceis, quæ superfuerunt his qui manducauerant. Illi ergo homines, cùm vidissent quod IESVS fecerat signum, dicebant: Quia HIC EST verè Propheta, qui venturus est in mundum, IESVS ergo cùm cognouisset quia venturi essent vt raperent eum, & facerent eum regem: fugit iterum in montem ipse solus.

OBSERVATIO.

Quò ad credenda arcana Eucharistiæ mysteria faciles mentes redderentur, de quibus paulò post hoc Euan-

-gelium à Io. tam insigne miraculum multiplicationis panum Christus edidit. Non est enim impoßibile apud Deum omne verbum.

Oratio Ecclesiæ.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, vt qui ex merito nostræ actionis affligimur, tuæ gratiæ consolatione respiremus, Per Dominum nostrum Iesum.

FERIA II. POST DOMINICAM LAETARE.

SVMMARIVM. *Profertur iudicium sapientissimi Regis Salomonis, qui litem duarum meretricum mirabili æquitate diremit. Verus Salomon Christus eiectis è templo negotiatoribus, suum verum iudicium & Zelum ardentem in cultu diuino vindicando declarat. Idem Euangelium addit de Iudæis partim credentibus ob visa Christi miracula, partim contradicentibus ob sermonem auditum de templo soluendo, & paulò pòst excitando. Qui locus ad Dominicam passionem ac resurrectionem spectat. Monuit autem Christus hoc suo rigore, ac veluti prælusit hac imagine; sacerdotes Iudæorum & alios omnes, qui templa prophanãt, malísque artibus cultum diuinum impediunt, abrogant vel perturbant; quod sæpe ob auaritiã fieri solet. seuero Dei iudicio eße plectendos.*

LECTIO III. REGVM III.

IN diebus illis, Venerunt duæ mulieres meretrices ad regem Salomonem, steteruntq́;

coram

coràm eo, quarum vnà ait: Obſecro mi Domine; ego & mulier hæc habitabamus in domo vna, & peperi apud eam in cubiculo. Tertia autem die poſtquam ego peperi, peperit & hæc: & eramus ſimul, nulluſque alius nobiſcum in domo, exceptis nobis duabus. Mortuus eſt autem filius mulieris huius nocte. Dormiens quippe oppreſſit eum. Et conſurgens intempeſtæ noctis ſilentio, tulit filium meum de latere meo ancillæ tuæ dormientis, & collocauit in ſinu ſuo: ſuum autem filium qui erat mortuus, poſuit in ſinu meo. Cumque ſurrexiſſem manè, vt darem lac filio meo, apparuit mortuus. Quem diligentius intuens clara luce, deprehendi non eſſe meum quem genueram. Reſponditque altera mulier, Non eſt ita, ſed filius tuus mortuus eſt: meus autem viuit. E contrariò illa dicebat: Mentiris, filius quippe meus viuit, & filius tuus mortuus eſt. Atque in hunc modum contendebant coràm rege. Tunc rex ait: Hæc dicit: Filius meus viuit: & filius tuus mortuus eſt: & iſta reſpondet: Non, ſed filius tuus mortuus eſt, & filius meus viuit Dixit ergo rex: Adferte mihi gladium. Cumque attuliſſent gladium coràm rege: Diuidite, inquit, infantem viuum in duas partes: & date dimidiam partem vni, & dimidiā partem alteri. Dixit autem mulier, cuius filius

erat viuus, ad regem, (commota sunt quippe viscera eius super filio suo) Obsecro domine, date illi infantem viuum, & nolite interficere eum. E cōtrariò illa dicebat: Nec mihi, nec tibi, sed diuidatur. Respondit Rex & ait: Date huic infantē viuum, & non occidatur. Hæc est enim mater eius. Audiuit itaque omnis Israël iudicium quod iudicasset rex, & timuerunt regem, videntes sapientiam Dei esse in eo ad faciendum iudicium.

EVANGELIVM IOAN. II.

IN illo tempore, Propè erat Pascha Iudæorum, & ascendit IESVS Hierosolymam, & inuenit in templo vendentes oues, & boues, & columbas, & numularios sedentes. Et cùm fecisset quasi flagellum de funiculis, omnes eiecit de templo oues quoque & boues, & numulariorum effudit æs, & mensas subuertit. Et his qui columbas vendebant, dixit: Auferte ista hinc, & nolite facere domum patris mei domum negociationis. Recordati sunt verò discipuli eius, quia scriptum est: Zelus domus tuæ comedit me. Responderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Quod signum ostendis nobis, quia hęc facis? Respondit IESVS, & dixit eis: Soluite tēplum hoc & in tribus diebus excitabo illud. Dixerunt ergo Iudæi: Quadraginta & sex annis ædifica-

tum eſt templum hoc,& tu in tribus diebus excitabis illud? Ille autem dicebat de templo corporis ſui. Cùm ergo reſurrexiſſet à mortuis, recordati ſunt diſcipuli eius, quia hoc dicebat, & crediderunt ſcripturæ,& ſermoni quem dixit IESVS. Cùm autem eſſet Hieroſolymis in Paſcha in die feſto, multi crediderunt in nomine eius, videntes ſigna eius quæ faciebat. Ipſe autem IESVS non credebat ſemetipſum eis, eò quòd ipſe noſſet omnes,& quia opus ei nõ erat, vt quis teſtimonium perhiberet de homine. Ipſe enim ſciebat quid eſſet in homine.

OBSERVATIO.

Vide obſeruata in Euangelio fer. 3. poſt Dom. 1. Quadrageſimæ.

Oratio Eccleſiæ.

Præſta quæſumus omnipotens Deus, vt obſeruationes ſacras annua deuotione recolentes, & corpore tibi placeamus, & mente, Per Dominum noſtrum Ieſum.

FERIA III. POST DOMINICAM LAETARE.

SVMMARIVM. *Vnus Moyſes pro impio populo intercedit, & iratum Deum quaſi cogit eſſe propitium tot idolatris, qui iam iam funditus erant perituri. Tantum ſancti vnius valet precatio, quæ ſæpè peccatoribus apud Deũ gratiã impetrat, ſicut &*

Hieronymus contra Vigilantium annotauit. Sed & Moyses Deum rogans, hîc sanctorum, qui ex hac vita migrârant, mentionem expreßam facit, illorumq; memoriam opponit iræ diuinæ. Euangelium verò testatur de Iudæorum cæcitate, blasphemia, improbitate & peruicacia singulari: aduersus quos Dominus & authoritatem doctrinæ suæ, & perpetratum in sabbato miraculum apertè defendit.

LECTIO EXODI XXXII.

IN diebus illis, Loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Descende de monte, quia peccauit populus tuus quem eduxisti de terra Ægypti: recesserunt citò de via, quam ostendisti eis: feceruntque sibi vitulum conflatilem, & adorauerunt, atque immolantes ei hostias, dixerunt: Isti sunt dij tui Israël, qui te eduxerunt de terra Ægypti. Rursumque ait Dominus ad Moysen: Cerno quod populus iste duræ ceruicis sit. DIMITTE me, vt irascatur furor meus contra eos, & deleam eos, faciamq; te in gentem magnam. Moyses autem orabat Dominum Deum suum, dicens: Cur Domine irascitur furor tuus contra populum tuum, quem eduxisti de terra Ægypti in fortitudine magna, & in manu robusta? Ne quæso dicant Ægyptij, Callidè eduxit eos, vt interficeret in montibus, & deleret de terra: quiescat ira tua, & esto placa-

bilis super nequitia populi tui. RECORdare Abraham, Isaac, & Israël seruorum tuorum, quibus iurasti per temetipsum, dicens: Multiplicabo semen vestrum sicut stellas cæli: & vniuersam terram hanc, de qua locutus sum, dabo semini vestro, & possidebitis eam semper. Placatusque est Dominus, ne faceret malum quod locutus fuerat aduersus populum suum, & misertus est populo suo Dominus Deus noster.

EVANGELIVN IOAN. VII.

IN illo tempore, Iam die festo mediante, ascendit IESVS in templum, & docebat & mirabantur Iudæi, dicentes: Quomodo hic litteras scit, cùm non didicerit? Respondit eis IESVS, & dixit: Mea doctrina non est mea, sed eius qui misit me. SI QVIS VOLVERIT voluntatem eius facere, cognoscet de doctrina, vtrum ex Deo sit, an ego à me ipso loquar. Qui à semetipso loquitur, gloriam propriam quærit: qui autem quærit gloriam eius qui misit eum, hic verax est, & iniustitia in illo non est. Nónne Moyses dedit vobis legem, & nemo ex vobis facit legem? Quid me quæritis interficere? Respondit turba, & dixit: Dæmonium habes. Quis te quærit interficere? Respondit IESVS, & dixit eis: vnum opus feci, & omnes miramini. Propterea Moyses dedit vobis circuncisio

nem,

nem, non quia ex Moyse est, sed ex patribus. Et in sabbato circumciditis hominem. Si circumcisionem accipit homo in sabbato, vt non soluatur lex Moysi, mihi indignamini, quia totum hominem sanum feci in sabbato? NOLITE iudicare secundum faciem, sed iustum iudicium iudicate. Dicebant ergo quidam ex Hierosolymis: Nónne hic est quem quærunt interficere? Eccè palàm loquitur, & nihil ei dicunt. Nunquid verè cognouerunt principes, quia hic est Christus? Sed hunc scimus vnde sit: Christus autem cùm venerit, nemo scit vnde sit. Clamabat ergo IESVS in templo docens & dicens: Et me scitis, & vnde sim scitis: & à meipso non veni, sed est verus qui misit me, quem vos nescitis. Ego scio eum, & si dixero quia nescio eum, ero similis vobis mendax. Sed scio eum, quia ab ipso sum, & ipse me misit. Quærebant ergo eũ apprehendere, & nemo misit in illum manus, quia nondum venerat hora eius. De turba autem multi crediderunt in eum.

OBSERVATIO.

Quomodò arbitrii nostri libertas negatur, cum dicat Christus, Si quis voluerit voluntatem eius facere &c. Quid non negabunt, hoc qui negant?

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Sacræ nobis, quæsumus Domine, obseruationis ieiunia, & piæ conuersationis augmentum, & tuæ propitiationis continuum præstent auxilium, Per Dom.

FERIA IIII. POST DOMINICAM LAETARE.

SVMMARIVM. *Cùm in captiuitate Babylonica duæ tribus, Iuda & Beniamin, exules degerēt, consolatus est eas misericors Deus verbis quæ sequuntur Propheticis. Quæ tamen noui quoque testamenti gratiam, & sacri baptismatis ingentem virtutem declarant. Euangelium tractat illustre miraculum de cæco nato et mendico, quem Christus ad Siloa misit, visuq; donauit. Is verò tanto fuit gratiæ splendore intus illustratus, vt vnus contrà cæcos inuidosq; Pharisæos steterit, & Christi innocentiam palàm libereq; defenderit ác fortiter propugnarit, imò & supplex tanquam Dei filium eum adorarit. Christus interim se lucis authorem probat, & miraculo cæremonias adhibet Ecclesiæq; commendat: tùm quos mundus abiicit atque derelinquit, libenter colligit & honorat, præsertim si seipsos & Deum agnoscant, ac filii lucis esse contendant. Verè illi cæci, quos non illuminat Christus, vt seipsos agnoscant, & in oculis suis paruuli efficiantur. Putabant se videre & sapere Pharisæi, sed cæcutientes excæcari magis merentur, quia nimium in suis oculis sapientes.*

LECTIO EZECHIELIS XXXVI.

HÆc dicit Dominus Deus, Sanctificabo nomen meum magnum, quod pollutum est inter gentes, quod polluistis in medio earum: vt sciant gentes, quia ego Dominus, ait Dominus exercituum, cùm sanctificatus fuero in vobis coràm eis. Tollam quippe vos de gentibus & congregabo vos de vniuersis terris, & adducam vos in terram vestram, & EFFVNdam super vos aquam mundam, & mundabimini ab omnibus inquinamentis vestris, & ab vniuersis idolis vestris mundabo vos. Et dabo vobis cor nouum, & spiritum nouum ponam in medio vestri. Et auferam cor lapideum de carne vestra, & dabo vobis cor carneum. Et spiritum meum ponam in medio vestri, & faciam, ut in præceptis meis ambuletis, & iudicia mea custodiatis & operemini. Et habitabitis in terra, quam dedi patribus vestris: & eritis mihi in populum, & ego ero vobis in Deum, dicit Dominus omnipotens.

EVANGELIVM IOAN. IX.

IN illo tempore, Præteriens IESVS, vidit hominem cœcum à natiuitate, & interrogauerunt eum discipuli eius. Rabbi quis peccauit, hic aut parentes eius, vt cœcus nasceretur? Respondit IESVS, Neque hic peccauit, neque paren-

parentes eius,ſed vt manifeſtentur opera Dei in illo. Me oportet operari opera eius qui miſit me,donec dies eſt:Venit nox quando nemo poteſt operari.Quamdiu ſum in mundo, lux ſum mundi.Hoc cùm dixiſſet, EXPVIT in terram, & fecit lutum ex ſputo, & liniuit lutum ſuper oculos eius,& dixit ei: Vade, laua in natatoria Siloe,quod interpretatur miſſus. Abiit ergo & lauit,& venit videns. Itaque vicini,& qui viderant eum prius, quia mendicus erat, dicebant: Nónne hic eſt qui ſedebat & mendicabat? Alij dicebãt:Quia hic eſt.Alij autem:Nequaquam, ſed ſimilis eſt ei: Ille verò dicebat. Quia ego ſum. Dicebant ergo ei: Quomodo aperti ſunt tibi oculi?Ille homo qui dicitur IESVS,lutũ fecit,& vnxit oculos meos,& dixit mihi: Vade ad natatoriam Siloe,& laua.Et abij,& laui,& vidi. Dixerunt ergo ei: Vbi eſt ille? Ait:Neſcio. Adducunt eum ad Phariſæos, qui cœcus fuerat. Erat autem ſabbatum quando lutum fecit IESVS, & aperuit oculos eius. Iterum ergo interrogabant eum Phariſæi quomodo vidiſſet. Ille autem dixit eis: Lutum mihi poſuit ſuper oculos,& laui:& video.Dicebant ergo ex Phariſæis quidam: Non eſt hic homo à Deo, qui ſabbatum non cuſtodit. Alij autem dicebant: Quomodo poteſt homo peccator hæc ſigna

facere?

facere? Et ſchiſma erat inter eos. Dicunt ergo cœco iterum: Tu quid dicis de illo, qui aperuit oculos tuos? Ille autem dixit: Quia Propheta eſt. Non crediderunt ergo Iudæi de eo quia cœcus fuiſſet & vidiſſet, donec vocauerunt parentes eius qui viderat: & interrogauerunt eos, dicentes: Hic eſt filius veſter, quem vos dicitis, quia cœcus natus eſt? Quomodo ergo nunc videt? Reſponderunt eis parẽtes eius, & dixerunt, Scimus quia hic eſt filius noſter, & quia cœcus natus eſt: quomodo autem nunc videat, neſcimus; aut quis eius aperuit oculos, nos neſcimus. Ipſum interrogate: ætatem habet, ipſe de ſe loquatur. Hæc dixerunt parentes eius, quoniam timebant Iudæos: iam enim conſpirauerant Iudæi, vt ſi quis eum confiteretur Chriſtum, extra ſynagogam fieret. Propterea parentes eius dixerunt: Quia ętatem habet, ipſum interrogate. Vocauerunt ergo rurſum hominem qui fuerat cœcus, & dixerunt ei: Da gloriam Deo. Nos ſcimus quia hic homo peccator eſt. Dixit ergo ille, Si peccator eſt, neſcio: Vnum ſcio, quia cœcus cùm eſſem, modò video. Dixerunt ergo illi: Quid fecit tibi? Quomodo aperuit tibi oculos? Reſpondit eis: Dixi vobis iam, & audiſtis: quid iterum vultis audire? Nunquid & vos vultis diſcipuli eius fieri? Maledixerunt ergo

ei,

ei, & dixerunt: tu discipulus illius sis: nos autem Moysi discipuli sumus. Nos scimus quia Moysi locutus est Deus, hunc autem nescimus vnde sit. Respondit ille homo & dixit eis: In hoc enim mirabile est, quia vos nescitis vnde sit, & aperuit meos oculos. Scimus autem quia PECCATORES Deus non audit, sed si quis Dei cultor est, & voluntatem eius facit, hunc exaudit. A seculo non est auditum, quia quis aperuit oculos cœci nati. Nisi esset hic a Deo, non poterat facere quicquam. Responderunt & dixerunt ei: In peccatis natus es totus, & tu doces nos? Et eiecerunt eum foràs. Audiuit IESVS quia eiecerũt eum foràs, & cùm inuenisset eum dixit ei: Tu credis in filium Dei? Respondit ille, & dixit: Quis est Domine, vt credam in eum? Et dixit ei IESVS: Et vidisti eum, & qui loquitur tecum, ipse est. At ille ait. Credo Done. Et PROCIDENS adorauit eum.

OBSERVATIO.

Cæremoniis non necessitate, sed significationis gratia Christum vsum fuisse vides, cuius exempla dilecta sponsa Ecclesia in curandis animis imitatur.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui & iustis præmia meritorum, & peccatoribus per ieiunium veniam præbes, miserere supplici-

bus

bus tuis, vt reatus nostri confessio indulgentiam percipere valeat delictorum, Per Dominum nostrum Ie.

FERIA V. POST DOMINICAM LAETARE.

SVMMARIVM. *Historia proponitur de Heliseo propheta, filium viduæ Sunamitidis à mortuis excitante, cùm baculus Giezi (qui typus erat legis antiquæ) mortuum non posset viuificare ac saluare. Christus autem orphanorum pater & viduarum iudex, idemq; vitæ dux & author prædicandus, qui Euangelio teste, orbatam filio viduam verè consolatur, eiq; filium mortuum & à Naim elatum incolumem reddit: imo & hodiè vt suam charitatem matri declaret Ecclesiæ, non desinit mortuos ad gratiæ vitam reuocare.*

LECTIO IIII. REG. IIII.

IN diebus illis, Venit mulier Sunamitis ad Helisæum in montem Carmeli. Cumque vidisset eam vir Dei è contra, ait ad Giezi puerum suum: Eccè Sunamitis illa. Vade ergo in occursum eius, & dic ei: Rectè ne agitur circa te, & circa virum tuum, & circa filium tuum? Quæ respondit: Rectè. Cumque venisset ad virum Dei in montem, apprehendit pedes eius, & accessit Giezi, vt amoueret eam. Et ait homo Dei: Dimitte illam: anima enim eius in amaritudine est, & Dominus celauit à me, & nō indi-

indicauit mihi. Quæ dixit illi: Nunquid petiui filium à domino meo? nunquid non dixi tibi, ne illudas me? Et ille ait ad Giezi: Accinge lumbos tuos, & tolle baculum meum in manu tua & vade. Si occurrerit tibi homo, non salutes eum: & si te salutauerit quispiam, non respondeas illi. Et pones baculum meum super faciem pueri. Porrò mater pueri ait: Viuit dominus, & viuit anima tua, non dimittam te. Surrexit ergo, & secutus est eam. Giezi autem præcesserat ante eos, & posuerat baculum super faciem pueri: & non erat vox neque sensus. Reuersus est in occursum eius, & nunciauit ei, dicens: Non surrexit puer. Ingressus est ergo Helisæus domum. Et eccè puer mortuus iacebat in lectulo eius. Ingressusque clausit ostium super se & super puerum, & orauit ad Dominum. Et ascendit & incubuit super puerum, posuitque os suum super os eius, & oculos suos super oculos eius, & manus suas super manus eius: & incuruauit se super eũ, & calefacta est caro pueri. At ille reuersus, deambulabat in domo semel huc atque illuc, & ascendit, & incubuit super eum. Et oscitauit puer septies, aperuitque oculos. Et ille vocauit Giezi, & dixit ei: Voca Sunamitidem hanc. Quæ vocata, ingressa est ad eum. Qui ait. Tolle filium tuum. Venit autem illa & corruit ad pedes eius;
 & ado-

& adorauit super terram: tulitque filium suum, & egressa est. Helisæus verò reuersus est in Galgala.

EVANGELIVM LVC. VII.

IN illo tempore, Ibat IESVS in ciuitatem quæ vocatur Naim, & ibant cum illo discipuli eius & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, eccè defunctus efferebatur filius vnicus matri suæ. Et hæc vidua erat: & turba ciuitatis multa cum illa. Quam cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eã, dixit illi: Noli flere. Et accessit, & tetigit loculũ. Hi autem qui portabant, steterunt, & ait: Adolescens, tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui, & dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor, & magnificabant Deum, dicentes: Quia PROPHETA magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam. *OBSERVATIO.*

Non est igitur curatio funeris negligenda, nec sepultura asini sepelienda corpora templa Spiritus sancti vide Aug. de cur. pro mort.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, vt quos ieiunia votiua castigant, ipsa quoque deuotio sancta lætificet: vt terrenis affectibus mitigatis, facilius cælestia sapiamus, Per dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA V. POST DOMINICAM LAETARE.

SVMMARIVM. *Miraculum est Heliæ Prophetæ, qui viduæ Sareptanæ hospitæ suæ defunctū vnicum filium ad vitam orando reuocauit, matriq; saluum reddidit. Maius miraculum, illudq; vnum omnium ferè præstantissimum Christi sequitur saluatoris, qui Lazarum iam quatriduo mortuum & fœtentem, verbo è sepulchro euocat, charisq; sororibus & astantibus Iudæis rediuiuum è vestigio reddit. Excedit omne miraculum, inquit Augustinus, quod Christus circa Lazarum fecit. Tertullianus hunc Lazarum vocat præcipuum resurrectionis exemplum. Quòd verò Christus Lazarum resuscitaturus fremuit, turbatus est, plorauit, clamauit, non obscurè designat, quosdam peccatis assuefactos & immersos nullam ferè medicinam recipere, desperationi proximos esse, ac ægrè admodum & rarò ex fœtido sepulchro viuos atque saluos redire. Et clamat tamen his quoque Paulus, Surge qui dormis, & exurge à mortuis: & illuminabit te Christus.*

LECTIO III. REG. XVII.

IN diebus illis, Ægrotauit filius mulieris matrisfamilias & erat languor fortissimus, ita vt non remaneret in eo halitus. Dixit ergo ad Heliam: Quid mihi & tibi vir Dei? Ingressus es ad me, vt rememorarentur iniquitates meæ, &

 interfi-

interficeres filium meum? Et ait ad eam Helias: Da mihi filium tuum. Tulitque eum de sinu eius, & portauit in cœnaculum vbi ipse manebat, & posuit super lectulum suum, & clamauit ad Dominum, & dixit: Dominus Deus meus, etiámne viduam, apud quam ego vtcunque sustentor, afflixisti, vt interficeres filium eius? Et expandit se, atque mensus est super puerum tribus vicibus. Et clamauit ad Dominum, & ait: Domine Deus meus, reuertatur obsecro anima pueri huius in viscera eius. Et exaudiuit Dominus vocem Heliæ, & reuersa est anima pueri intrà eum, & reuixit. Tulitque Helias puerum, & deposuit eum de cœnaculo in inferiorem domum, & tradidit matri suæ. Et ait illi: En viuit filius tuus. Dixitque mulier ad Heliam: Nunc in isto cognoui quoniam vir Dei es tu, & verbũ Domini in ore tuo verum est.

EVANGELIVM IOAN. XI.

IN illo tempore, Erat quidam languens Lazarus à Bethania, de castello Mariæ & Marthæ sororum eius. Maria autem erat quæ vnxit Dominum vnguento, & extersit pedes eius capillis suis: cuius frater Lazarus infirmabatur. Miserunt ergo sorores eius ad eum, dicentes: Domine, ecce quem amas, infirmatur. Audiens autem IESVS, dixit eis: Infirmitas hæc non est

ad mortem, ſed pro gloria Dei, vt glorificetur Filius Dei per eam. Diligebat autem IESVS Martham, & ſororem eius Mariam, & Lazarum. Vt ergo audiuit quia infirmabatur, tunc quidem manſit in eodem loco duobus diebus, deinde poſt hæc dicit diſcipulis ſuis: Eamus in Iudæam iterum. Dicunt ei diſcipuli: Rabbi nunc quærebant te Iudæi lapidare: & iterum vadis illuc? Reſpondit IESVS: Nónne duodecim ſunt horæ diei? Si quis ambulauerit in die, non offendit, quia lucem huius mundi videt: ſi autem ambulauerit in nocte, offendit, quia lux non eſt in eo. Hæc ait, & poſt hæc dicit eis: Lazarus amicus noſter dormit: ſed vado vt à ſomno exuſcitem eum. Dixerunt ergo diſcipuli eius: Domine, ſi dormit, ſaluus erit. Dixerat autem IESVS de morte eius: illi autem putauerunt, quia de dormitione ſomni diceret. Tunc ergo IESVS dixit eis manifeſtè: Lazarus mortuus eſt, & gaudeo propter vos, vt credatis, quoniam non eram ibi: ſed eamus ad eum. Dixit ergo Thomas qui dicitur Didymus, ad condiſcipulos: Eamus, & nos, & moriamur cum eo. Venit itaque IESVS, & inuenit eum quatuor dies iam in monumento habentem. Erat autem Bethania iuxtà Hieroſolymam quaſi ſtadijs quindecim. Multi autem ex Iudæis venerant ad Martham & Mariam, vt cõſola-

ſolarentur eas de fratre ſuo. Martha ergo vt au diuit quia IESVS venit, occurrit illi. Maria autem domi ſedebat. Dixit ergo Martha ad Ieſum: Domine, ſi fuiſſes hic, frater meus nõ fuiſſet mortuus: ſed & nunc ſcio, quia quæcunque popoſceris à Deo, dabit tibi Deus. Dixit illi Ieſus: Reſurget frater tuus. Dixit ei Martha Scio quia reſurget in reſurrectione in nouiſſimo die. Dixit ei Ieſus: EGO SVM reſurrectio & vita: qui credit in me, etiam ſi mortuus fuerit, viuet: & omnis qui viuit & credit in me, non morietur in æternum. Credis hoc? Ait illi: Vtiq; Domine, ego credidi quia tu es Chriſtus filius Dei viui, qui in hunc mundum veniſti. Et cùm hæc dixiſſet, abiit & vocauit Mariam ſororem ſuam ſilentio, dicens: Magiſter adeſt, & vocat te. Illa vt audiuit, ſurrexit citò, & venit ad eum. Nondum enim venerat Ieſus in caſtellum, ſed erat adhuc in illo loco, vbi occurrerat ei Martha. Iudæi ergo qui erant cum ea in domo, & conſolabantur eam, cùm vidiſſent Mariam quia citò ſurrexit & exiit, ſecuti ſunt eam, dicentes: quia vadit ad monumentum vt ploret ibi. Maria ergo cùm veniſſet vbi erat Ieſus, videns eũ, cecidit ad pedes eius, & dicit ei: Domine, ſi fuiſſes hîc, non eſſet mortuus frater meus. Ieſus ergo vt vidit eam plorantem, & Iudæos qui vene

rant cum ea, plorantes: infremuit spiritu, & turbauit seipsum, & dixit: Vbi posuistis eum? Dicunt ei: Domine, veni, & vide. ET LACHRYMATVS est Iesus. Dixerunt ergo Iudæi: Eccè quomodo amabat eum. Quidam autem ex ipsis dixerunt: Nõ poterat hic qui aperuit oculos cœci nati, facere vt hic non moreretur? Iesus ergo rursum fremens in semetipso, venit ad monumentum. Erat autem spelunca, & lapis superpositus erat ei. Ait Iesus: Tollite lapidem: Dicit ei Martha soror eius qui mortuus fuerat: Domine, iam fœtet, quatriduanus est enim. Dicit ei Iesus: Nónne dixi tibi, quoniam si credideris, videbis gloriam Dei? Tulerunt ergo lapidem. Iesus autem eleuatis sursum oculis, dixit: Pater, gratias ago tibi, quoniam audisti me: ego autẽ sciebam, quia semper me audis: sed propter populum qui circumstat, dixi, vt credant quia tù me misisti. Hæc cùm dixisset, voce magna clamauit: Lazare, veni foràs. Et statim prodiit qui fuerat mortuus, ligatus manus & pedes institis, & facies eius sudario erat ligata. Dixit eis Iesus: SOLVITE eum, & sinite abire. Multi ergo ex Iudæis qui venerant ad Mariam & Martham, et viderant quæ fecit Iesus, crediderunt in eum.

OBSERVATIO.

Ex eo quod resuscitato Lazaro, & iam de monu-

mento eggreßo dictum fuerit Apostolis à Christo Soluite & sinite abire, cùm alii permulti, tùm præcipuè D. Augustinus de ver. & fals. pœnit. c. 10. in ps. 101. conc. 2. in Io. tract. 22. c. 5. demonstrat sacerdotibus audita pœnitentis confeßione potestatem absoluendi eße tributam, inquit enim. Quid prodeßet Lazaro quia proceßißet de monumento, nisi diceretur, Soluite eum, & sinite abire. Tu ad reuincendos hæreticos, lege quæ in eum ps.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui ineffabilibus mundum renouas sacramentis, præsta quæsumus, vt Ecclesia tua & æternis proficiat institutis, & temporalibus non destituatur auxiliis, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

SABBATO POST DOMINICAM LAETARE.

SVMMARIVM. *Lectio sequens commendat & illustrat gratiam noui testamenti, firmamq; consolationem adfert Ecclesiæ, cui se Deus pro summa bonitate nusquam non adesse, & præesse, & prodesse velle blandissimè pollicetur. Illud sanè deplorandum, nos perinde ac Iudæos in Euangelio, tantam bonitatem & gratiam per Christum partam & oblatam non agnoscere: aut si agnoscimus, eam vel negligere, vel in tenebris potius, quàm in Christo, Christiq; lumine ambulare. Quod interim mundo est sol, nobis & Ecclesiæ Christus est, nimirum in illuminando, viuificando*

ficando atque dirigendo. Ad hunc solem & radiantem & excalescentem accedunt, qui tenebras & deuia non consectantur, sed ad veritatis & iustitiæ viam aspirant.

LECTIO ESAIAE XLIX.

HÆC dicit Dominus: In tempore placito exaudiui te, & in die salutis auxiliatus sum tibi. Et seruaui te, & dedi te in fœdus populi, vt suscitares terram, & possideres hæreditates dissipatas, vt diceres his qui vincti sunt, exite: & his qui in tenebris, reuelamini. Super vias pascentur, & in omnibus planis pascua eorum. Non esurient, neque sitient, & non percutiet eos æstus & sol: quia miserator eorum reget eos, & ad fontes aquarum portabit eos. Et ponam omnes montes meos in viam, & semitæ meæ exaltabuntur. Eccè isti de longè venient, & eccè illi ab aquilone, & mari, & isti de terra australi: Laudate cæli, & exulta terra: iubilate montes laudem: quia consolatus est Dominus populum suum, & pauperum suorum miserebitur. Et dixit Sion: Dereliquit me Dominus, & Dominus oblitus est mei. NVNQVID obliuisci potest mulier infantem suum, vt non misereatur filio vteri sui? Et si illa oblita fuerit, ego tamen non obliuiscar tui, dicit Dominus omnipotens.

EVANGELIVM IOAN. VIII.

IN illo tempore, Dicebat IESVS turbis Iudæorum: Ego ſum lux mundi. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ. Dixerunt ergo ei Phariſæi: Tu de te ipſo teſtimonium perhibes: teſtimonium tuum non eſt verum. Reſpondit IESVS, & dixit eis: Etſi ego teſtimonium perhibeo de meipſo, verum eſt teſtimonium meum, quia ſcio vnde veni, & quò vado: vos autem neſcitis vnde venio, aut quò vado. Vos ſecundum carnem iudicatis, ego non iudico quenquam: & ſi iudico ego, iudicium meum verum eſt: quia ſolus non ſum, ſed ego & qui miſit me Pater. Et in lege veſtra ſcriptũ eſt: Quia DVORVM hominum teſtimonium verum eſt. Ego ſum qui teſtimonium perhibeo de me ipſo: & teſtimonium perhibet de me qui miſit me Pater. Dicebant ergo ei: Vbi eſt pater tuus? Reſpondit Ieſus, Neque me ſcitis, neque patrem meum: ſi me ſciretis, forſitan & Patrem meum ſciretis. Hæc verba locutus eſt Ieſus in gazophylacio, docens in templo: & nemo apprehendit eum, quia necdum venerat hora eius.

OBSERVATIO.

Si duorum hominum teſtimonium verum eſt, quomodo vnanimis de fidei Catholicæ dogmatibus tantorum

torum támque multorum Patrum conciliorumq́; consensus, tam superbe à nouis hæreticis contemnitur, & impiè falsus et erroneus prædicatur? At isti tamen Antiquitatem, Vniuersitatem, consensionem reiiciũt Nouitatem, Partem Babel; vt statuant.

Oratio Ecclesiæ.

Fiat Domine, quæsumus per gratiam tuam fructuosus nostræ deuotionis affectus: quia tunc nobis proderunt suscepta ieiunia, si tuæ sint placita pietati, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium.

DOMINICA V. (QVÆ ET PASSIONIS, ET IVDICA DICITVR) in Quadragesima.

SVMMARIVM. *Vt primùm de ratione & nomine Dominicæ huius dicamus, præcesserunt hactenus Dominicæ septem, ne frustrà Septuagesima diceretur; & per easdem septem mundi ætates nobis aptè designantur, omnes quidem passione Domini redemptæ, & sanguine eius respersæ. Ergo quasi longa funeris pompa præmissa, sequitur porrò ipsa salutis nostræ victima, dum passionis Christi, quæ huic Dominicæ nomen dedit celebratio, propria & celebris memoria inchoatur. Sic ferè Tuitiensis. Epistola summum veteris testamenti sacerdotem cum summo noui testamenti sacerdote Christo, & illius sacrificii vim, cum huius sacrificii efficacia & effectu confert. Paßio enim & mors Christi credentes a peccato liberat*

berat & sanctificat, vt Deo viuenti purè inseruire possint ac debeant. Euangelium vero Iudæos proponit Dominicæ passionis authores, qui post accepta tot ac tanta beneficia, præfractis animis, maledicis linguis, & cruentis manibus contra Christum se tã immaniter armare non verentur. Docemur interim veritatem ad tempus premi, sed non opprimi, imò etiam tandem vincere, & contra mendacium triumphare, bonúmque doctorem patientia in primis ornari, & legis obedientiam ab his exigi, qui cum impiis infœlicissimè mori nolunt.

EPISTOLA HEB. IX.

FRatres, Christus assistens Pontifex futurorum bonorum, per amplius & perfectius tabernaculum, non manu factum, id est, nõ huius creationis, neque per sanguinem hircorum aut vitulorum, sed per proprium sanguinem introiuit semel in sancta, æterna redemptione inuenta. Si enim sanguis hircorum aut taurorum, & cinis vitulæ aspersus, inquinatos sanctificat ad emundationem carnis: quantò magis sanguis Christi, qui per Spiritum sanctum semetipsum obtulit immaculatum Deo, emundabit conscientiam nostram ab operibus mortuis, ad seruiendum Deo viuenti? Et ideo noui testamenti mediator est: vt morte ipsius intercedente, in redemptionem earum præuaricationum

quæ erant ſub priori teſtamento, repromiſſionem accipiant qui vocati ſunt æternæ hæreditatis, in Chriſto Ieſu Domino noſtro.

OBSERVATIO.

Eccè tibi Chriſtum Pontificem per proprium ſanguinem, morte intercedente conſcientias emundantē qui cum ſeipſum per Spiritum ſanctum noui teſtamenti mediator obtulerit in cœna, & aliorum manibus in cruce ſanguinem fuderit, tantæ paßionis memoriam in propitiatorio ſacrificio fieri voluit dicens vt infer. annotabitur, hoc facite in meam commemorationem.

EVANGELIVM IOAN. VIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS turbis Iudæorum & principibus ſacerdotum: Quis ex vobis arguet me de peccato? Si veritatem dico, quare vos non creditis mihi? QVI EX DEO eſt, verba Dei audit. Propterea vos non auditis, quia ex Deo non eſtis. Reſponderunt ergo Iudæi, & dixerunt ei: Nónne benedicimus nos, quia Samaritanus es tu, & dæmonium habes? Reſpondit Ieſus: Ego dæmonium non habeo, ſed honorifico Patrem meū, & vos inhonoraſtis me. Ego autem non quæro gloriam meam, Eſt qui quærat & iudicet. Amen amen dico vobis, SI QVIS ſermonem meum ſeruauerit, mortem non videbit in æternum. Dixerunt

ergo

ergo ei Iudæi: Nunc cognouimus quia dæmonium habes. Abraham mortuus eſt,& Prophetæ:& tu dicis, SI QVIS ſermonem meum ſeruauerit,non guſtabit mortem in æternum.Nunquid tu maior es patre noſtro Abraham qui mortuus eſt,& Prophetæ mortui ſunt? Quem te ipſum facis? Reſpondit Ieſus: Si ego glorifico meipſum,gloria mea nihil eſt. Eſt pater meus qui glorificat me, quem vos dicitis, quia Deus veſter eſt:& non cognouiſtis eum. Ego autem noui eum. Et ſi dixero quia non ſcio eum: ero ſimilis vobis mendax ſed ſcio eum, & ſermonem eius ſeruo. Abraham pater veſter exultauit,vt videret diem meum:& uidit:& gauiſus eſt. Dixerunt ergo Iudæi ad eum: Quinquaginta annos nondum habes, & Abraham vidiſti? Dixit eis Ieſus: Amen amen dico vobis, antequam Abraham fieret,ego ſum. Tulerunt ergo lapides,vt iacerent in eum. Ieſus autem abſcondit ſe, & exiuit de templo.

OBSERVATIO.

Mortem æternam nec videt,nec guſtat,non qui credit tantum, ſed qui ſermonem Chriſti ſeruat eiúſque mandatis obtemperat credendo. quod in noſtra ſitum eſſe poteſtate adiuuante diuina gratia conditionalis particula, SI, demonſtrat.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Quæsumus omnipotens Deus familiam tuam propitius respice, vt te largiente regatur in corpore, & te seruante custodiatur in mente, Per Dominum nostr.

V Exilla regis prodeunt,
Fulget crucis mysteriũ:
Quo carne carnis cõditor
Suspensus est patibulo.
Confixa clauis viscera,
Tendens manus vestigia,
Redemptionis gratia
Hic immolata est hostia.
Quo vulneratus insuper
Mucrone diræ lanceæ,
Vt nos lauaret crimine,
Manauit vnda sãguine.
Impleta sunt quæ concinit
Dauid fideli carmine:
Dicens in nationibus:
Regnabit à ligno Deus.

Arbor decora & fulgida,
Ornata regis purpura;
Electa digno stipite
Tã sancta mẽbra tãgere.
Beata cuius brachiis
Pretium pependit seculi:
Statera facta est corporis,
Prædamq; tulit tartari.
O crux aue spes vnica,
Hoc paßionis tempore;
Auge piis iustitiam,
Reisq; dona veniam.
Te summa Deus Trinitas
Collaudat omnis spiritus,
Quos per crucis mysteriũ
Saluas, rege p secula. Am.

FERIA II. POST DOMINICAM PASSIONIS.

SVMMARIVM. *Historia est de pœnitentia salutifera Niniuitarum, qui omnes vna vnius Ionæ admonitione territi atque commoti, vnà cum Rege suo pœnitentiam egerunt, & agi publicè preceperunt, in agendo autem diuinam iram placauerunt. O di-*

gnum prorsus exemplum & speculum illustre, quod peccator quiuis ad fructus pœnitentiæ dignos præstandos semper intueatur. At Iudæi nihil minus præstant, qui non modò fontem ipsum aquæ viuæ derelinquunt, sed etiam suo Meßiæ tam bene de ipsis merenti parant exitium, & perfidè obmurmurant.

LECTIO IONAE III.

IN diebus illis, factum est verbum Domini ad Ionam secundò, dicens: Surge, & vade in Niniuem ciuitatem magnam: & prædica in ea prædicationem quam ego loquor ad te. Et surrexit Ionas, & abiit in Niniuem iuxtà verbum Domini. Et Niniue erat ciuitas magna itinere trium dierum. Et cœpit Ionas introire ciuitatem itinere diei vnius, & clamauit & dixit: ADHVC quadraginta dies & Niniue subuertetur. Et crediderunt viri Niniuitæ in Dominum & prædicauerunt ieiunium, & vestiti sunt saccis, à maiore vsque ad minorem. Et peruenit verbum ad regem Niniue. Et surrexit de solio suo, & abiecit vestimentum suum à se, & indutus est sacco, & sedit in cinere. Et clamauit & dixit in Niniue ex ore regis & principum eius, dicens: Homines, & iumenta, & boues, & pecora non gustent quicquam, nec pascantur, & aquam non bibant, & operiantur saccis homines & iumenta, & clament ad Dominum in fortitudine

titudine: & conuertatur vir à via ſua mala, & ab iniquitate quæ eſt in manibus eorum. Quis ſcit ſi conuertatur & ignoſcat Deus, & reuertatur à furore iræ ſuæ, & non peribimus? ET VIDIT DEVS opera eorum, quia conuerſi ſunt de via ſua mala, & miſertus eſt Deus ſuper malitiam, quam locutus fuerat vt faceret eis, & non fecit.

EVANGELIVM IOAN. VII.

IN illo tempore, Miſerunt principes & Phariſæi miniſtros, vt apprehenderent Ieſum. Dixit ergo eis Ieſus: Adhuc modicum tempus vobiſcum ſum, & vado ad eum qui me miſit. Quęretis me, & non inuenietis: & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. Dixerunt ergo Iudæi ad ſemetipſos. Quò hic iturus eſt, quia non inueniemus eum? Nunquid in diſperſionem gentium iturus eſt, & docturus gentes? Quis eſt ſermo quem dixit: Quæretis me, & non inuenietis, & vbi ego ſum, vos non poteſtis venire. In nouiſſimo autem die magno feſtiuitatis ſtabat Ieſus, & clamabat, dicens: SI QVIS SITIT, veniat ad me & bibat. Qui credit in me, ſicut dicit Scriptura, flumina de ventre eius fluent aquæ viuæ. Hoc autem dixit de ſpiritu quem accepturi erant credentes in eum.

OBSERVATIO.

Iterum conditionalem particulam nota, & viua

Q *fidei*

fidei efficacitatem ex qua fructus spiritus, pax, gaudium, &c. instar fluminum scaturientium lætificant ciuitatem Dei, & vniuscuiusque animum.

Oratio Ecclesiæ.

Sanctifica, quæsumus Domine, nostra ieiunia, & cunctarum nobis indulgentiam propitius largire culparum, Per Dominum nostrum Iesum Christum filiū.

FERIA III. POST DOMINICAM PASSIONIS.

SVMMARIVM. *Historia est de Daniele coniecto in lacum leonum, & seruato diuinitus, & per Abacuc nutrito. En sæui leones, qui Danieli parcunt innocenti, hostes eius impios mox deuorant, vtpote iustitiæ diuinæ ministri. Adeò nullus in Deum frustrà sperauit ac derelictus est. In Euangelio rursus Iudæi, etiam consanguinei, Christo Domino non credunt: huius famam variis obscurant rumoribus, & vitæ insidiantur. Iudicent de nobis etiam quid vis iniqui: regium est audire malè, cùm fecerimus benè, & Apostolicam gloriam redolet, probos afflictos inter ignominiam & famam bonam versari; officiumq; charitatis inimicis præstare.*

LECTIO DANIELIS XIIII.

IN diebus illis, Congregati sunt Babylonij ad Regem, & dixerunt ei: Trade nobis Danielem, alioquin, interficiemus te & domum tuam. Vidit ergo rex quòd irruerent in eum vehe-

vehementer: & necessitate compulsus, tradidit eis Danielem. Qui miserunt eum in lacum leonum, & erat ibi diebus sex. Porrò in lacu erant leones septem, & dabantur eis duo corpora quotidiè, & duæ oues: & tunc non data sunt eis, vt deuorarent Danielem. Erat autem Habacuc Propheta in Iudæa, & ipse coxerat pulmentum, & intriuerat panes in alueolo, & ibat in campum, vt ferret messoribus. Dixitque Angelus Domini ad Habacuc, Fer prandium quod habes, in Babylonem Danieli, qui est in lacu leonum. Et dixit Habacuc: Domine, Babylonem non vidi, & lacum nescio. Et apprehendit eum Angelus Domini in vertice eius, & portauit eum capillo capitis sui, posuitq; eum in Babylonem super lacum in impetu spiritus sui. El clamauit Habacuc, dicens: Daniel serue Dei tolle prandium quod misit tibi Deus. Et ait Daniel: RECORDATVS es mei Deus, & non dereliquisti diligentes te. Surgensque Daniel, comedit. Porrò Angelus Domini restituit Habacuc confestim in locum suum. Venit ergo rex die septimo, vt lugeret Danielem, & venit ad lacum, & introspexit. Et eccè Daniel sedens in medio leonum. Et exclamauit voce magna rex, dicens: Magnus es Domine Deus Danielis. Et extraxit eum. Porrò illos, qui per-

ditionis eius causa fuerant, intromisit in lacum: & deuorati sunt in momento coràm eo. Tunc Rex ait: Paueant omnes habitantes in vniuersa terra Deum Danielis, quia ipse est liberator & saluator, faciens signa & mirabilia in cœlo, & in terra, qui liberauit Danielem de lacu leonum.

EVANGELIVM IOAN. VII.

IN illo tempore, Ambulabat IESVS in Galilæa: non enim volebat in Iudæa ambulare, quia quærebant eum Iudæi interficere. Erat autem in proximo dies festus Iudæorum Scenopegia. Dixerunt autem ad eum fratres eius: Transi hinc, & vade in Iudæam, vt & discipuli tui videant opera tua quæ facis. Nemo quippe in occulto quid facit: & quærit ipse in palá esse: si hæc facis manifesta teipsum mundo. Neque enim fratres eius credebant in eum. Dicit ergo eis IESVS: Tempus meum nondum aduenit: TEMPVS autem VESTRVM semper est paratum. Non potest mundus odisse vos: me autem odit, quia ego testimonium perhibeo de illo, quòd opera eius mala sunt. Vos ascendite ad diem festum hunc, quia meum tempus nõdum impletum est. Hæc cùm dixisset, ipse mansit in Galilæa. Vt autem ascenderunt fratres eius, tunc & ipse ascendit ad diem festum non manifestè, sed quasi in occulto. Iudæi ergo

quære-

quęrebant eum in die festo, & dicebant: Vbi est ille? Et murmur multum erat in turba de eo. Quidam enim dicebant: Quia bonus est. Alij autem dicebant: Non, sed seducit turbas. Nemo tamen palàm loquebatur de illo, propter metum Iudæorum.

OBSERVATIO.

Si de innocentissimo Agno tam variè & malè senserunt Iudæi, non est quod hostes ecclesiæ hæreticos de eius Vicario cæterisq; Pontificibus, quorum non semper cum auctoritate vita concordat, male sentire, et falsa prædicare miremur. Si patremfamilias Beelzebub vocauerunt, inquit Christus, quãto magis domesticos eius.

Oratio Ecclesiæ.

Nostra tibi, Domine quæsumus, sint accepta ieiunia, quæ nos expiando gratia tua dignos efficiant; & ad remedia perducant æterna, Per Dominum no.

FERIA IIII. POST DOMINICAM PASSIONIS.

SVMMARIVM. *Ad præcepta secundæ tabulæ spectat lectio sequens, & illustrat illud, Diliges proximum tuum sicut teipsum. quod quomodo in iudiciis locum habeat, simul ostendit. Nihil verò tale Iudæi perpendunt, summo odio & iniquissimo iudicio ad Christum persequendum incitati & impulsi. Audiunt ex Euangelio palàm in templo, quid de Christo*

rectè sentiant, videntq́; veritatem certissimis operibus comprobari: sed redeunt more suo ad lapides & blasphemias, paulò pòst etiam in Messiam suum apertè sauituri. In his Iudæis expressum est ingenium omnium hostium veritatis, qui eam infensis oderunt animis, et eius præcones Ecclesiamq́; magistram hostiliter & furiosè presequuntur.

LECTIO LEVITICI XIX.

IN diebus illis, loquutus est Dominus ad Moysen, dicens: Loquere ad vniuersum cœtum filiorum Israël, & dices ad eos. Ego Dominus Deus vester. Non facietis furtum. Non mentiemini, nec decipiet vnusquisque proximum suum. Non periurabis in nomine meo, nec pollues nomen Dei tui. Ego Dominus non facies calumniam proximo tuo, nec vi opprimes eum. Non morabitur opus mercenarij tui apud te vsq; manè. Non maledices surdo, nec corâm cœco pones offendiculum: sed timebis Dominum Deum tuum, quia ego sum Dominus. Non facies quod iniquum est, nec iniustè iudicabis. Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis. Iustè iudica proximo tuo. Non eris criminator, nec susurro in populis. Non stabis contra sanguinem proximi tui: Ego Dominus. NON ODERIS FRATREM tuum in corde tuo: sed publicè

blicè argue eum, ne habeas super illo peccatum. Non quæres vltionem, nec memor eris iniuriæ ciuium tuorum. Diliges amicum tuum sicut teipsum. Ego Dominus. Leges meas custodite: ego enim sum Dominus DEVS vester.

EVANGELIVM IOAN. X.

IN illo tempore, Facta sunt Encænia in Hierosolymis, & hyems erat. Et ambulabat IESVS in templo in porticu Salomonis. Circundederunt ergo eum Iudæi, & dicebant ei: Quousque animam nostram tollis? si tu es Christus, dic nobis palàm. Respondit eis IESVS: Loquor vobis, & non creditis. Opera quæ ego facio in nomine patris mei, hæc testimonium perhibent de me: sed vos non creditis, quia non estis ex ouibus meis. OVES MEAE vocem meam audiunt, & ego cognosco eas, & sequuntur me: & ego vitam æternam do eis, & non peribunt in æternum, & nō rapiet eas quisquam de manu mea. Pater meus quod dedit mihi maius omnibus est: & nemo potest rapere de manu Patris mei. Ego & Pater vnum sumus. Sustulerunt ergo lapides Iudæi, vt lapidarent eum. Respondit eis IESVS: Multa bona opera ostendi vobis ex Patre meo: propter quod eorum opus me lapidatis? Responderunt ei Iudæi: De bono opere non lapidamus te, sed de bla-

ſphemia: & quia tu homo cùm ſis, facis teipſum Deum. Reſpondit eis IESVS: Nónne ſcriptum eſt in lege veſtra, ego dixi, dij eſtis? Si illos dixit deos, ad quos ſermo Dei factus eſt, & non poteſt ſolui Scriptura: quē Pater ſanctificauit & miſit in mundum, vos dicitis; Quia blaſphemas: quia dixi, filius Dei ſum? Si non facio opera Patris mei, nolite credere mihi: ſi autem facio, & ſi mihi non vultis credere, operibus credite, vt cognoſcatis & credatis, quia Pater in me eſt, & ego in Patre.

OBSERVATIO.

Idcirco non pereunt oues Christi, nec eas quiſquam rapit de manu eius & patris, quia vt cognoſcit eas Chriſtus, & gratia præuenit, ſic illæ vocem paſtoris audiunt, & ſequuntur eum, illi perpetuò adhærent, alienum fugiunt, ouile non deſerunt Eccleſiæ Catholicæ. Talis eſto ni errare, & perire velis.

Oratio Eccleſiæ.

Sanctificato hoc ieiunio Deus tuorum corda fidelium miſerator illuſtra: & quibus deuotionis præſtas affectum, præbe ſupplicantibus pium benignus auditum, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filiū.

FERIA V. POST DOMINICAM PASSIONIS.

SVMMARIVM. *Proponitur Azariæ oratio, qui Danielis ſocius fuit, in ignis fornace rogans Deum pro*

pro se & populo è Babylonica captiuitate liberando atque restituendo. Quam orationem imprimis commendat precantis humilitas, confeßio, pœnitentia: quodq́; sanctorum & nomina & merita opponat iræ diuinæ, vt populo scelerato gratiam impetret. Euangelium verè & perfectè pœnitentis proponit exemplar. quod in domo Simonis nota peccatrix clarißimè præbuit: eam Christus absoluit, & contra Pharisæos defendit publicéque laudauit. Quæ sicut membra sua immunditiæ & inquitati, cùm carni & mundo seruiret, accommodârat; sic mutato iam cōsilio eadem in Christi obsequium & ad pœnitentiæ testimonium vertit.

De hac Euangelica muliere Chrysostomus docet, quòd virgines quoque ipsas honestate superauit, quoniam incredibilis in Christum amoris igne succensa, à maximis sordibus peccatorum largissimo lachrymarum fonte purgata sit. Sicut ex aqua & spiritu, sic rursus ex lachrymis inquit, et cōfeßione purgamur.

LECTIO DANIELIS III.

IN diebus illis, Orauit Azarias Dominum, dicens: Domine Deus noster, ne quæsumus, tradas nos in perpetuum, propter nomen tuum, & ne dissipes testamentum tuum, neque auferas misericordiam tuam à nobis propter Abraham dilectum tuum, & Isaac seruum tuum, & Israël sanctum tuum, quibus locutus es, pollicens quod multiplicares semen eorum, sicut stel

las cæli, & ſicut arenam, quæ eſt in littore maris: quia Domine imminuti ſumus pluſquam omnes gentes, ſumusq; humiles in vniuerſa terra hodiè propter peccata noſtra. Et non eſt in tempore hoc princeps, & dux, & propheta, neq; holocauſtum, neque ſacrificium, neque oblatio, neque incenſum, neque locus primitiarum coràm te, vt poſſimus inuenire miſericordiam tuam: ſed IN ANIMO contrito & ſpiritu humilitatis ſuſcipiamur. Sicut in holocauſto arietum & taurorum, & ſicut in millibus agnorum pinguium: ſic fiat ſacrificium noſtrum in conſpectu tuo hodie, vt placeat tibi, quoniā NON EST confuſio confidentibus in te. Et nunc ſequimur te in toto corde, & timemus te, & quærimus faciem tuam, ne confundas nos: ſed fac nobiſcum iuxtà manſuetudinem tuam, & ſecundum multitudinem miſericordiæ tuæ. Et erue nos in mirabilibus tuis, & da gloriam nomini tuo Domine, & confundantur omnes qui oſtendunt ſeruis tuis mala. Confundantur in omnipotentia tua, & robur eorum conteratur: & ſciant quia tu es Dominus Deus ſolus, & glorioſus ſuper orbem terrarum, Domine Deus noſter.

OBSERVATIO.

Tantum eſt Danielis orantis hoc loco verborum pondus, vt ex hac oratione multa in ſanctam Liturgiam Eccleſia contulerit.

EVANGELIVM LVC. VII.

IN illo tempore, Rogabat IESVM quidam de Pharisęis, vt manducaret cum illo. Et ingressus domum Pharisæi, discubuit Et eccè mulier quæ erat in ciuitate peccatrix, vt cognouit quòd IESVS accubuit in domo Pharisæi, attulit alabastrum vnguenti, & stans retrò secus pedes eius, lachrymis cœpit rigare pedes eius, & capillis capitis sui tergebat: & osculabatur pedes eius, & vnguento vngebat. Videns autem Pharisæus qui vocauerat eum, ait intra se, dicens: Hic si esset propheta, sciret vtiq; quæ & qualis est mulier quæ tangit eum, quia peccatrix est. Et respondens IESVS, dixit ad illum: Simon, habeo tibi aliquid dicere. At ille ait: Magister dic Duo debitores erant cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alius quinquaginta. Non habentibus illis vnde redderent, donauit vtrisque: quis ergo eum plus diligit? Respondens Simon, dixit: Æstimo, quia is cui plus donauit. At ille dixit ei: Rectè iudicasti. Et conuersus ad mulierem, dixit Simoni: Vides hanc mulierem? Intraui in domum tuam, aquam pedibus meis non dedisti: hæc autem lachrymis rigauit pedes meos, & capillis suis tersit. Osculum mihi non dedisti: hæc autem ex quo intrauit, non cessauit osculari pedes meos.

Oleo caput meum non vnxisti: hæc autem vnguento vnxit pedes meos. Propter quod dico tibi: Remittuntur ei peccata multa, QVONIAM DILEXIT multum. Cui autem minus dimittitur, minus diligit. Dixit autem ad illam: Remittuntur tibi peccata tua. Et cœperunt qui simul accumbebant, dicere intra se: Quis est hic, qui etiam peccata dimittit? Dixit autem ad mulierem, Fides tua te saluam fecit: vade in pace.

OBSERVATIO.

Vt Fide, & Charitate iustificari nos intelligeremus dictum est peccatrici, Remittuntur peccata quoniam dilexit. & Fides tua te saluam fecit.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, vt dignitas conditionis humanæ per immoderantiam sauciata, medicinalis parsimoniæ studio reformetur, Per Domin.

FERIA VI. POST DOMINICAM PASSIONIS.

SVMMARIVM. *Conqueritur & orat Hieremias contrà hostes impios, ac suam defendit innocentiam. Verùm hæc multò rectius Christo innocentissimo tribuuntur, velut qui suam causam aduersus Iudæos persecutores agat, & Patri cælesti comprobet; reosq; illos peragat. Euangelium hos ipsos Christi hostes, eorumq; conspirationem sceleratam exprimit, cùm præeunte scilicet Caipha, primores Iudæorum de perdendo*

dendo Meßia consultant atque decernunt. Vbi rectè inquit Augustinus: Temporalia perdere timuerũt, & vitam æternam non cogitauerunt, ac sic vtrumque amiserunt. Vides potestatem Ecclesiasticam in malis etiam præpositis honorandam eße, quando Deus honore prophetiæ dignatus est Caipham, vt per linguam eius quia pontificis, loqueretur, Christum pro electis omnibus moriturum esse.

LECTIO HIEREMIAE XVII.

IN diebus illis dixit Hieremias: Domine, omnes qui te derelinquunt, confundentur: recedentes à te, in terra scribentur, quoniam dereliquerunt venam aquarum viuentium Dominum. Sana me Domine, & sanabor: saluum me fac, & saluus ero, quoniam laus mea tu es. Eccè ipsi dicunt ad me: Vbi est verbum Domini? veniat. Et ego non sum turbatus, te pastorem sequens: & diem hominis non desideraui, tu scis. Quod egressum est de labiis meis, rectum in conspectu tuo fuit. Non sis tu mihi formidini, spes mea tu in die afflictionis. Confundantur qui me persequuntur, & non confundar ego: paueant illi, & non paueam ego. Induc super eos diem afflictionis, & duplici contritione contere eos, Domine Deus noster.

EVANGELIVM IOAN. XI.

IN illo tempore, Collegerunt pontifices & Pha-

Pharisæi concilium, & dicebant: Quid facimus? quia hic homo multa signa facit: si dimittimus eum sic, omnes credent in eum: & venient Romani, & tollent nostrum locum & gentem. Vnus autem ex ipsis Caiphas nomine, cùm esset pontifex anni illius, dixit eis: Vos nescitis quicquam, nec cogitatis, quia expedit vobis vt vnus moriatur homo pro populo, & non tota gens pereat. Hoc autem à semetipso non dixit, sed CVM ESSET PONTIFEX anni illius, prophetauit quòd IESVS moriturus erat pro gente, & non tantùm pro gente, sed vt filios Dei qui erãt dispersi, congregaret in vnum. Ab illo ergo die cogitauerunt vt interficerent eum. IESVS ergo iam non in palàm ambulabat apud Iudæos: sed abiit in regionem iuxtà desertum, in ciuitatem quæ dicitur Ephrem: & ibi morabatur cum discipulis suis.

OBSERVATIO.

Si non destituebatur dono prophetiæ quamlibet esset impius Caiphas quod pontifex anni illius in Moysi cathedra sederet, certè multò minus destituetur donis spiritus qui Petri cathedram tenebit super quem est Ecclesia ædificata, pro quo peculiariter oratum à Christo. At hæretici mores hominum intuentur cathedræ firmitatis recordari, nolunt Quare & pereunt.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Cordibus nostris, quæsumus Domine, gratiam tuam benignus infunde, vt peccata nostra castigatione voluntaria cohibentes, temporaliter potius maceremur, quàm suppliciis deputemur æternis, Per Dominum.

SABBATO POST DOMINICAM PASSIONIS.

SVMMARIVM. *Et hîc vides impiorum contra iustum, id est, Iudæorum contra Christum, insanam conspirationem, tùm huius aduersus illos æquam defensionem, tantoq; furore dignam pœnæ comminationem. Nouus autem Iudæorum furor est, quòd Lazaro paulò antè ad vitam reuocato, vitam rursus eripere student, sicut Euangelium tradit. Honorant quidem & Christum asinæ insidentem, sed quem paulò post, velut hîc etiam prædicitur, exaltaturi, siue in crucem suffixuri sunt. Meliores verò gentiles, qui Christum videre cupiunt, & ansam prabent sermoni, & precationi Domini de filio scilicet hominis clarificando. O virtus eximia crucis Christi, ad se trahentis omnium hominum genera, (qui trahenti tantùm non renituntur) & satanam de suo regno exturbantis.*

LECTIO HIEREMIAE XVIII.

IN diebus illis, Dixerunt impij Iudæi ad inuicem: Venite & cogitemus contra Ieremiã cogitationes: non enim peribit lex a sacerdote, neque consilium à sapiente, nec sermo à Propheta.

pheta. Venite & percutiamus eum lingua, & non attendamus ad vniuersos sermones eius. Attende Domine ad me, & audi vocem aduersariorum meorum. Nunquid redditur pro bono malum, quia foderunt foueam animæ meæ? Recordare quòd steterim in conspectu tuo, vt loquerer pro eis bonum, & auerterem indignationem tuam ab eis. Propterea da filios eorum in famem, & deduc eos in manus gladij: fiant vxores eorum absque liberis, & viduæ: & viri earum interficiantur morte; iuuenes eorum confodiantur gladio in prælio. Audiatur clamor de domibus eorum: adduces enim super eos latronem repentè, quia foderunt foueam, vt caperent me, & laqueos absconderunt pedibus meis. Tu autem Domine scis omne consilium eorum aduersum me in mortem: ne propitieris iniquitati eorum, & peccatum eorum à facie tua non deleatur: fiant corruentes in conspectu tuo, in tempore furoris tui abutere eis.

EVANGELIVM IOAN. XII.

IN illo tempore, Cogitauerunt principes sacerdotum, vt & Lazarum interficerent: quia multi propter illum abibant ex Iudæis, & credebant in IESVM. In crastinum autem turba multa quæ venerat ad diem festum, cùm audissent quia venit IESVS Hierosolymam, acceperunt

perunt ramos palmarum, & processerunt obuiã ei, & clamabant Hosanna, Benedictus qui venit in nomine Domini rex Israël. Et inuenit IESVS asellum: & sedit super eum, sicut scriptum est, Noli timere filia Sion: ECCE rex tuus venit sedens super pullum asinæ. Hæc non cognouerunt discipuli eius primùm: sed quando glorificatus est IESVS, tunc recordati sunt quia hæc erant scripta de eo, & hæc fecerunt ei. Testimonium ergo perhibebat turba quę erat cum eo, quando Lazarum vocauit de monumento, & suscitauit eum à mortuis. Propterea & obuiam venit ei turba: quia audierunt eum fecisse hoc signum. Pharisæi ergo dixerunt ad semetipsos, Videtis quia nihil proficimus? ecce mundus totus post eum abit. Erant autem quidam gentiles ex his qui ascenderant vt adorarent in die festo. Hi ergo accesserunt ad Philippum qui erat à Betsaida Galilçæ: & rogabant eum, dicentes: Domine, volumus IESVM videre. Venit Philippus, & dicit Andreæ: Andreas rursum & Philippus dixerunt IESV: IESVS autem respondit eis, dicens: Venit hora vt glorificetur filius hominis. Amen amen dico vobis, NISI GRANVM frumenti cadens in terram, mortuum fuerit, ipsum solum manet: si autem mortuum fuerit multum fructum adfert. Qui

amat animam suam, perdet eam: & qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Si quis mihi ministrat, me sequatur: & vbi sum ego, illic & minister meus erit. Si quis mihi ministrauerit, honorificabit eum Pater meus. Nunc anima mea turbata est. Et quid dicam? Pater saluifica me ex hac hora. Sed propterea veni in horam hanc. Pater clarifica nomen tuum. Venit ergo vox de cælo, dicens: Et clarificaui, & iterum clarificabo. Turba ergo quæ stabat & audierat, dicebat tonitruum esse factum. Alij autem dicebant, Angelus ei locutus est. Respondit IESVS, & dixit: Non propter me hæc vox venit, sed propter vos. Nunc iudicium est mundi: nunc princeps huius mundi eiicietur foràs. Et ego si exaltatus fuero à terra, omnia traham ad meipsum. Hoc autem dicebat, significans qua morte esset moriturus. Respondit ei turba, Nos audiuimus ex lege quia CHRISTVS manet in æternum: & quomodo tu dicis, oportet exaltari filium hominis? quis est iste filius hominis? Dixit ergo eis IESVS, Adhuc modicum lumen in vobis est. AMBVLATE dum lucem habetis, vt non vos tenebræ comprehendant. Et qui ambulat in tenebris, nescit quò vadat. Dum lucem habetis, credite in lucem, vt filij lucis sitis. Hęc locutus

sutus est IESVS: & abiit, & abscondit se ab eis.

OBSERVATIO.

Quam crucem, suam Exaltationẽ appellauit Christus, cuius imaginem perpetuò Ecclesia Dei sic est venerata, vt cuicumque operi siue sacro, siue prophano iam inde à principio tantum signum adhibuerit, hanc hæretici noui Iconoclastæ conuiciis proscindunt, blasphemant, & tanquam patibulum quod vocant, exe-crantur.

Oratio Ecclesiæ.

Proficiat, quæsumus Domine, plebs tibi dicata piæ deuotionis affectu, vt sacris actionibus erudita, quantò maiestati tuæ fit gratior, tantò donis potioribus augeatur, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA IN RAMIS PALMARVM.

SVMMARIVM. *Non parùm celebratur & illustratur hic dies ingreßu Christi in ciuitatem Hierosolymitanam, quando is asinæ insidens, vt vaticinium impleret, communi Iudæorum applausu pro Meßia exceptus, ac publicè salutatus fuit. Recolitur & alius ingressus Domini, ad opus scilicet sacratißimæ paßionis, quoniam hoc tempore, id est, propè antè Pascha sanguinem suum effusurus ac moriturus Hierosolymam vltrò venit, simulq; adumbrauit, vtrumq; populum per asinum & pullum significatum, sua morte breui redimendum eße. Atque hoc est initium*

maioris & sanctæ hebdomadæ, vt appellant, in qua Dei filius nostram salutem in medio terræ voluit operari, & quam nostri maiores religiosissimè semper obseruarunt. Cæterùm quod ad Palmarum processionem, vt vocant, attinet, rectè illa hodiè solenniter celebratur, vt sit Dominicæ passionis præconium, simulq́; confirmatio fidei ac pietatis, quæ primùm in pueris Hebræorum ramos oliuarum tollentibus, et fœlix Hosanna Domino accinentibus, se prodidit. Agit de passione Domini quoque Paulus, cùm in Epistola nobis cõmendat maximã Christi humilitatem, quam non solùm admiremur, sed etiam imitari discamus. Indicat præterea, qualem Christus gloriã ex tanta humilitate, obedientia, passione & morte sit consecutus. Atque huc demùm referri potest, quod scribit Epiphanius aduersus Aerium de solenni & exquisito ieiunio veteris Ecclesiæ, quod sex diebus ante Pascha seuerissimè obseruabatur. Fiunt, inquit, apud nos humi dormitationes, castitates, afflictiones, siccorum esus, preces, vigiliæ, ieiunia, & omnes animarum salutes per sanctas afflictiones, &c. Rident verò Aeriani & subsannant eos, qui sanctum hunc cultum perficiunt. Sic Epiphanius. Contra hæres. 75.

EPISTOLA AD PHILIPP. II.

FRatres, Hoc sentite in vobis, & quod & in Christo Iesu. Qui cùm in forma Dei esset, non rapinam arbitratus est, esse se æqualẽ Deo: sed

ſed ſemetipſum exinaniuit, formam ſerui accipiens, in ſimilitudinem hominum factus, & habitu inuentus vt homo: HVMILIAVIT SEMETIPSVM, factus obediens vſque ad mortem: mortem autem crucis. Propter quod & Deus exaltauit illum, & donauit illi nomen, quod eſt ſuper omne nomen, vt in nomine IESV omne genu flectatur, cæleſtium, terreſtrium, & infernorum: & omnis lingua confiteatur, quia Dominus IESVS Chriſtus in gloria eſt Dei Patris.

OBSERVATIO.

Qui nam apud inferos in nomine IESV genufle-ctunt, aut quæ inferorum lingua laudat & confitetur Chriſti gloriam ad dexteram patris ſedentis, purgatorii locum ſi tollas? Neque enim infernus, ait Pſal. confitebitur tibi, neque mors laudabit te &c. Obſeruationem dogmatis in ſequens Euangelium habes in præcedente ſummario, & ſuperius Dom. I. Aduentus.

EVANGELIVM MATTH. XXI.

IN illo tempore, Cùm appropinquaſſet IESVS Hieroſolymis, & veniſſet Bethphage ad montem Oliueti, tunc miſit duos diſcipulos, dicens eis: Ite in caſtellum quod contrà vos eſt, & ſtatim inuenietis aſinam alligatam, & pullum cum ea: SOLVITE, & adducite mihi. Et ſi quis vobis aliquid dixerit, dicite quia Dominus his

opus habet: & confestim dimittet eos. Hoc autem totum factum est, vt adimpleretur quod dictum est per Prophetam, dicentem: Dicite filiæ Sion, ECCE REX TVVS venit tibi mansuetus, sedens super asinam & pullum filium subiugalis. Euntes autem discipuli, fecerunt sicut præcepit illis IESVS: & adduxerunt asinam & pullum, & imposuerunt super eos vestimenta sua, & eum desuper sedere fecerunt. Plurima autem turba strauerunt vestimenta sua in via: alij autem cædebant ramos de arboribus, & sternebant in via. Turbæ autem quæ præcedebant, & quæ sequebantur, clamabant, dicentes: OSANNA filio Dauid, BENEDICTVS qui venit in nomine Domini, Osanna in altissimis.

EVANGELIVM ALIVD MATH. XXVI. ET XXVII.

Proponit historiam Dominicæ paßionis, quam ex omnibus Euangelistis contextam offendes die sancto Parasceues. Optimè autem, vt inquit Bernardus, proceßioni paßio iuncta est, vt discamus in nulla lætitia seculi habere fiduciam, scientes quoniam extrema gaudii luctus occupat.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, qui humano generi ad imitandum humilitatis exemplum Saluatorem nostrum carnem sumere & crucem subire fecisti: con-

sede propitius: vt & patientiæ ipsius habere documenta, & resurrectionis consortia mereamur, Per Dom.

Alia Oratio.

Bene✠dic, quæsumus Domine, hos palmarum seu oliuarum ramos, & præsta, vt quod populus tuus tua veneratione hodierna die corporaliter agit, hoc spiritualiter summa deuotione perficiat, de hoste victoriam reportando, & opus misericordiæ summoperè diligendo, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

Carmen Theodulphi Aurelianensis Episcopi.

Gloria, laus & honor tibi sit rex Christe redemptor:
Cui puerile decus prompsit Osanna pium.
Israel es tu rex, Dauidis & inclyta proles,
Nomine qui in Domini Rex benedicte venis.
Cœtus in excelsis te laudat cælicus omnis,
Et mortalis homo, & cuncta creata simul.
Plebs Hebræa tibi cum palmis obuia venit;
Cum prece, voto, hymnis adsumus ecce tibi.
Hi tibi passuro soluebant munia laudis:
Nos tibi regnanti pangimus ecce melos.
Hi placuêre tibi: placeat deuotio nostra
Rex bone, Rex clemens, cui bona cuncta placent.
Fecerat Hebræos hos gloria sanguinis almi:
Nos facit Hebræos transitus ecce pius.
Tu pius ascensor sis, & nos simus asellus:
Tecum nos capiat vrbs veneranda Dei.
Vestis Apostolica rutilo fulgore tegamur;

Te benè docta vt ex nostra catena vehat.
Tegmine sic animæ sternamus corpora nostra,
Quò per nos semper sit via tuta tibi.
Sit pia pro palmæ nobis victoria ramis,
Vt tibi victrici sorte canamus ita.

FERIA II. POST DOMINICAM PALMARVM.

SVMMARIVM. *Propheta in Christi patientis persona loquitur, docens passionem illius ex patris obedientia susceptam, & cum inuicta semper patientia coniunctam fuisse. Iudæos autem, quoniam Christum in mortem tradiderint, extremam sibi calamitatem accersiuisse. Additur non modica consolatio, sed iis, qui per spem ac timorem hoc Christi beneficio conuenienter vtuntur. Euangelium docet, Christum cœna in Bethania exceptum, & Magdalenæ vnguento delibutum fuisse. Quod pietatis opus reprehēdit auarus proditor, Christus autem excusat, eosq; simul refellit tacitè, qui Ecclesiasticorum opibus inhiant, beneficentiæ in pauperes conferendæ fucum prætexentes, vt suas tegant cupiditates. O miserum et obcæcatum Iudam, quem partim insana cupiditas, partim vilis lucelli nunc amissi dolor, Domini & Dei sui teterrimum proditorem effecit!*

LECTIO ISAIAE L.

IN diebus illis, Dixit Esaias: Dominus Deus aperuit mihi aurem: ego autem non contra-

dico, retrorſum non abij: CORPVS MEVM DEDI PERCVTIENTIBVS, & genas meas vellentibus. Faciem meam non auerti ab increpantibus, & conſpuentibus. Dominus Deus auxiliator meus, ideo non ſum confuſus. Ideo poſui faciem meam, vt petram duriſſimam, & ſcio quoniam non confundar. Iuxtà eſt qui iuſtificat me: quis contradicet mihi? ſtemus ſimul. Quis eſt aduerſarius meus? accedat ad me, eccè Dominus Deus auxiliator meus. Quis eſt qui condemnet me? ECCE OMNES quaſi veſtimenta conterentur, & tinea comedet eos. Quis ex vobis timens Dominum, audiens vocem ſerui ſui? Quis ambulauit in tenebris, & non eſt lumen ei? ſperet in nomine Domini, & innitatur ſuper Dominum Deum ſuũ.

EVANGELIVM. IOAN. XII.

ANtè ſex dies Paſchæ venit IESVS Bethaniam, vbi Lazarus fuerat mortuus, quem ſuſcitauit IESVS. Fecerunt autem ei cœnam ibi, & Martha miniſtrabat. Lazarus verò vnus erat ex diſcumbentibus cum eo. Maria ergo accepit libram vnguenti nardi piſtici pretioſi, & vnxit pedes IESV, & exterſit pedes eius capillis ſuis: & domus impleta eſt ex odore vnguẽti. Dixit ergo vnus ex diſcipulis eius Iudas Scariotes, qui erat eum traditurus: Quare hoc vnguen-

guentum non væniit trecentis denariis, & datum est egenis? Dixit autem hoc, non quia de egenis pertinebat ad eum: sed quia fur erat, & loculos habens, ea quæ mittebantur, portabat. Dixit ergo IESVS: Sine illam, vt in diem SEPVLTVRAE meæ seruet illud. PAVPERES enim semper habetis vobiscum, me autem non semper habetis. Cognouit ergo turba multa ex Iudæis quia illic est: & venerunt non propter Iesum tantùm, sed, vt Lazarum viderent, quem suscitauit à mortuis.

OBSERVATIO.

Planè nimis multos hoc nostro infœlici seculo Iudæ similes vidimus, qui ecclesiarū vectigalia, ornatumq́; tanti rebus dignum vt sunt sacra vasa, vestes, & id genus, dum melius in vsum pauperum impedi, quàm haberi verbis profitentur, animo opereq́; instar furum rapuerunt, ac quòd deterius est, retinent, ínque pessimos vsus conuertunt. Nota & sepulturæ curam, Christo quam gratissimam esse, quam qui detestantur, hi, an non Iudæ simillimi iudicandi? Oratio Ecclesiæ.

Da, quæsumus omnipotens Deus, vt qui in tot aduersis ex nostra infirmitate deficimus, intercedente vnigeniti filii tui passione, respiremus, Per Dominū.

FERIA III. POST DOMINICAM PALMARVM.

SVMMARIVM. *Ostenditur Christi pro nobis*

bis vltrò patientis mansuetudo & innocentia: tùm ex aduerso statuitur Iudæorum persequentium conciliabulum & furor, sed quem iustus Deus inultum manere non sinat. Mittamus, inquiunt, lignum in panem eius, hoc est, crucem Dominico corpori affigamus, vti Gregorius dixit.

LECTIO HIEREMIAE XI.

IN diebus illis, Dixit Hieremias: Domine, demonstrasti mihi, & cognoui: tu ostendisti mihi studia eorum. Et EGO quasi agnus mansuetus, qui portatur ad victimam. Et non cognoui quia cogitauerunt super me consilia, dicentes. Mittamus lignum in panem eius, & eradamus eum de terra viuentium, & nomen eius non memoretur amplius. Tu autem Domine Sabaoth qui iudicas iustè, & probas renes & corda, videam vltionem tuam ex eis. tibi enim reuelaui causam meam.

EVANGELIVM MARC. XIIII. ET XV.

Passionem Domini continet, de qua infrà die Parasceues extat historia. Oratio Eccl. *Omnipotens sempiterne Deus, da nobis ita Dominicæ passionis sacramenta peragere: vt indulgentiam percipere mereamur, Per eundem Dominum nostr.*

FERIA IIII. POST DOMINICAM PALMARVM.

SVMMARIVM. *Miratur Propheta Iudæorum*

rum contra Christum duritiam, incredulitatem & sæuitiam, quæ satis non potest exaggerari. Ortum verò & paßionem Redemptoris nostri graphicè proponit, præsertim quàm acerbè & ignominiosè, ac pro quibus & quanto cum fructu agnus ille afflictus fuerit. Est celebrior hic dies, quo caput nostrum à Iuda Iudæis venditur. Theophylactus ita scribit: Feria quarta concilium conuênit, in quo suam operam Iudæis condixit proditor, & propterea ieiunamus etiam nos quartis feriis; pro more scilicet veteris Ecclesiæ.

LECTIO ISAIAE IIII.

IN diebus illis, Dixit Esaias: Domine quis credidit auditui nostro: & brachium Domini cui reuelatum est? Et ascendet sicut virgultum coràm eo, & sicut radix de terra sitienti. Non est species ei, neque decor. Et vidimus eum, & non erat aspectus; & desiderauimus eum despectum, & nouissimum virorum, virum dolorum, & scientem infirmitatem. Et quasi absconditus vultus eius, & despectus, vnde nec reputauimus eum. VERE LANGVORES nostros ipse tulit, & dolores nostros ipse portauit. Et nos reputauimus eũ quasi leprosum, & percussum à Deo, & humiliatum. IPSE autem VVLNERATVS est propter iniquitates nostras: attritus est propter scelera nostra. Disciplina pacis nostræ super eum, & liuore eius sanati sumus

ſumus. OMNES NOS QVASI OVES errauimus, vnuſquiſque in viam ſuam declinauit: & poſuit Dominus in eo iniquitatem omnium noſtrum. Oblatus eſt quia ipſe voluit, & non aperuit os ſuũ. SICVT OVIS AD OCCISIONEM ducetur, & quaſi agnus corãm tondente ſe obmuteſcet, & non aperiet os ſuum. De anguſtia, & de iudicio ſublatus eſt. Generationem eius quis enarrabit? quia abſciſſus eſt de terra viuentium: propter ſcelus populi mei percuſſi eum. Et dabit impios pro ſepultura, & diuites pro morte ſua: eò quòd iniquitatem non fecerit, neque dolus fuerit in ore eius: & Dominus voluit conterere eum in infirmitate. Si poſuerit pro peccato animam ſuam, videbit ſemen longæuum, & voluntas Domini in manu eius dirigetur. Pro eo quod laborauit anima eius, videbit, & ſaturabitur. In ſcientia ſua iuſtificabit ipſe iuſtus ſeruus meus multos, & iniquitates eorum ipſe portabit. Ideò diſpertiam ei plurimos, & fortiũ diuidet ſpolia, pro eo quod tradidit in mortem animam ſuam, & CVM SCELERATIS reputatus eſt. Et ipſe peccata multorũ tulit, & pro trãsgreſſoribus rogauit.

OBSERVATIO.

Poſuit quidem Dominus in Chriſto iniquitates noſtras, ſic tamen vt nobis non ſit ſtertendum quin potius

tius illud sequendum D. Petri consilium. Christo igitur in carne passo, & vos eadẽ cogitatione armamini. Nam si compatimur, & conglorificabimur, ait Paulus: Siquidem passus ille est pro nobis, nobis relinquens exemplum, vt sequamur vestigia eius.

EVANGELIVM LVC. XXII. ET XXIII.

Tractat historiam Dominicæ passionis, quam die mox Parasceues ex omnibus proponet Euangelistis.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta quæsumus omnipotens Deus: vt qui pro nostris excessibus incessanter affligimur, per vnigeniti tui passionem liberemur, Qui tecum viuit & regnat Deus.

FERIA V. IN COENA DOMINI.

SVMMARIVM. *Percelebris hic dies in Ecclesia rectè censetur cuius magna & reuerẽda mysteria, & quæ solenniter in eo peragi consueuerunt, inter alios etiam Cyprianus ostendit. Præcipuum verò decus ab Domini extrema cœna, sicut nomen diei huius ostendit, cum Christus, Pontifex idem et hostia, vt finem imponeret sacerdotio veteri, demùm post esum agni typici, seipsum qui verus est agnus, Deo Patri suis obtulit manibus, atque (vt Irenæi verbis vtamur) noui testamenti nouam docuit oblationem, quam Ecclesia ab Apostolis accipiens, in vniuerso*

mundo

mundo offert Deo. Cuius quidem sacramenti primam institutionem Epistola sequens repetit, corripiens interim Corinthiorum in sumenda Eucharistia temeritatem, verumq; sumendi vsum præscribens, & graue subiungens periculum indignè huc accedẽtium. Euangeliũ ad hunc quoq; diem propriè spectat, quo immensa erga nos Christi charitas & humilitas declaratur, in lotis scilicet pedibus discipulorum, adeóque obstinatissimi proditoris. Adeò nihil prætermisit Christus quod ad summum amorem tùm declarandũ, tùm commendandum faceret, verè in finem suos diligens, vt in se membrisq; suis ipse ab omnibus redamaretur. Nec dubium, quin ad Eucharistiæ sacramentum ritè tractandum atque sumendum, fidei simplicitate, & charitatis sinceritate, vel maximè indigeamus.

EPISTOLA I. CORINTH. XI.

FRatres, conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisq; enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Et alius quidem esurit, alius autem ebrius est. Nunquid domos non habetis ad manducandum & bibendum? Aut ecclesiam Dei contemnitis, & confunditis eos qui non habent? Quid dicam vobis? Laudo vos? In hoc non laudo. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis: quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur: accepit panem, & gratias

agens, fregit & dixit: Accipite & manducate: HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis tradetur. Hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, poſtquam cœnauit, dicens: HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM EST IN MEO SANGVINE. Hoc FACITE, quotieſcunque biberitis in meam commemorationem. Quotieſcunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat. Itaque quicunque manducauerit panem hunc, & biberit calicem Domini indignè: reus erit corporis & ſanguinis Domini. PROBET autem SEIPSVM HOMO, & ſic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium ſibi manducat & bibit, non DIIVDICANS corpus Domini. Ideo inter vos multi infirmi, & imbecilles, & dormiunt multi. Quòd SI NOSMETIPSOS DIIVDICAREMVS, non vtiq; iudicaremur. Dum iudicamur autem, à Domino corripimur, vt nõ cum hoc mundo damnemur.

OBSERVATIO.

De veritate corporis & ſanguinis Chriſti non eſſe relictum ambigendi locum inquit Hilarius. Nam & hoc loco Paulus & Matth. 26. Marc. 14. Luc. 22. eandem domini profeſſionem iiſdem penè verbis repetunt.

tunt. Sacrificium autem propitiatorium Eucharistiam esse duo hac potissimum indicant Facite, et Testamentum, alterum enim sacrificare significat patribus, alterum apertè demonstrat in dominica cœna nouum testamentum esse cœpisse, factamq; legis vnà cum sacerdotio translationem sanguine mysticè vt Isichius in Leuit. ait effuso dedicato testamento ut veritas figuræ responderet. Nota & illa verba, Probet seipsum &c. & Diiudicans: quibus veritas corporis et sanguinis Christi in hoc sacramento luce clariùs demonstratur.

EVANGELIVM IOAN. XIII.

Antè diem festum Paschæ; sciens IESVS quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erãt in mundo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, cùm Diabolus iam misisset in cor vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes: sciens quia omnia dedit ei Pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua: & cum accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit IESVS, & dixit ei: Quod ego facio, tu nescis modò, scies autem postea. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes

in æternum. Reſpondit ei IESVS: SI NON LAVERO TE, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine, non tantùm pedes meos, ſed & manus & caput. Dicit ei IESVS: Qui lotus eſt, non indiget niſi vt pedes lauet, ſed eſt mundus totus. Et vos mundi eſtis, ſed non omnes. Sciebat enim quiſnam eſſet qui traderet eum. Propterea dixit: Non eſtis, mundi omnes. Poſtquàm ergo lauit pedes eorum, accepit veſtimẽta ſua; & cùm recubuiſſet, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter & Domine: & benè dicitis, ſum etenim. Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. EXEMPLVM enim DEDI vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis.

OBSERVATIO.

Humilitas, Magiſtratum eccleſiaſticum ornat, nō aufert. Neque enim minor recumbentibus miniſtrans Chriſtus. quinimò caput, Magiſter, & Dominus: omnibus autem humilitatis exempla reliquit.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, à quo & Iudas reatus ſui pœnam, & confeſſionis ſuæ latro præmium ſumpſit, concede nobis tuæ propitiationis effectum: vt ſicut in Paßione ſua IESVS Chriſtus Dominus noſter diuerſa vtriuſque intulit

tulit stipendia meritorum; ita nobis, ablato vetustatis errore, resurrectionis suæ gratiam largiatur. Qui tecum viuit & regnat in vnitate Spiritu sancti Deus.

FERIA VI. IN PARASCEVE.

SVMMARIVM. *Mense Martio, qui initium anni Iudæis fuit, mactatus & immolatus est Christus, verus ille agnus absque macula, quia perfectissimus: & masculus, quia mascula prorsus virtute in horrendis etiam suppliciis durauit: & anniculus, quia integra ætate pro expiatione reatus totius mundi in victimam expensus est. Eius præterea nec os comminutum, nec crura fracta, sed salua & integra permanserunt, Ioanne teste, vt virtutem & potentiam Christi, paßione illa neque imminutam, neque confractam, sed potius corroboratam & auctam fuisse sciamus. Nec satis erat agnum legalem immolari, sed sumi etiam oportebat in cœna, & peculiari quidem ritu. Quæ diuinis referta sunt mysteriis & doctrinis, sicut alia veteris legis sacramenta omnia. Suum verò isthæc finem & lucem veram accipiunt Christo moriente, vt proinde templi velum hodiè scissum, & quod scriptum erat, consumatum eße legamus.*

DE PIORVM IN HOC DIE LVCTV atque tristitia.

Etsi hodiernus est dies, qui humanæ salutis & æternæ lætitiæ causam nobis & toti mundo peperit, omnia enim per Christi mortem & sanguinem pa-

homo compateretur. Qui ad hanc vocem non concutitur, terra grauior est, petra durior, sepulchro fœtidior.

LECTIO EXODI XII.

IN diebus illis, Dixit Dominus ad Moysen & Aaron in terra Aegypti: Mensis iste, vobis principium mensium: primus erit in mensibus anni. Loquimini ad vniuersum cœtum filiorum Israël, & dicite eis: Decima die mensis huius tollat vnusquisque agnum per familias & domos suas. Si autem minor est numerus, vt sufficere possit ad vescendum agnum, assumet vicinum suum, qui coniunctus est domui suæ, iuxta numerum animarum, quæ sufficere possunt ad esum agni. Erit autem agnus absque macula, masculus, anniculus: Iuxtà quem ritum tolletis & hœdum, & seruabitis eũ vsq; ad quartam decimam diem mensis huius: IMMOLABITQVE eum vniuersa multitudo filiorum Israël AD VESPERAM. Et sument de sanguine eius, ac ponẽt super vtrunque postem, & in superliminaribus domorum, in quibus comedent illum. Et edent carnes nocte illa assas igni, & azymos panes, cum lactucis agrestibus. Non comedetis ex eo crudum quid, nec coctũ aqua, sed assum tantum igni: caput cum pedibus eius & intestinis vorabitis; nec remanebit quicquam ex eo vsque mane. Si quid residuum fue-

rit, igne comburetis. Sic autem comedetis illum. Renes vestros accingetis, & calceamenta habebitis in pedibus, tenentes baculos in manibus, & comedetis festinantes. Est enim Phase, id est, transitus Domini.

OBSERVATIO.

Si agnum Paschalem, Iudæi nisi immolatum edere non poterant ad vesperam, quomodò Apostoli ad vesperum feriæ 5. Christum verum Agnum manducauerunt, (si figuræ veritas respondet) non immolatum? Nam nisi incruentam oblationem fateamur, non inueniemus vespertinum hoc agni Christi sacrificium, nec erit impleta figura. Quantò rectius Paulus de hac loquutus inquit. Pascha nostrum immolatus est Christus. Itaque epulemur. &c. Tu Catholicè Azima cum Azimis confer, Agnum cum Agno, Pascha cum Paschate compone, & incruentum Missæ sacrificium cum impiis hæreticis non negabis.

IN DOMINICAM PASSIONEM
Annotatio.

Vt per se longè grauissima, sanctissima, efficacissima; sic præcipua mortalium acceptione, attentione & deuotione dignissima, est historia, quæ Christum pro nobis afflictum, crucifixum, & mortuum exhibet. Hîc virtutum clarissimarum exempla cõcurrunt, hîc miseri & afflicti summam capiunt consolationẽ: hoc

totius. Christianæ philosophiæ semper viuum & absolutum erit exemplar: hinc pendet omnis electorum redemptio, salus, gloria. Cæterum vt totius historiæ summaria extet partitio, primùm Christus à proditore Iuda Iudæorum ministris traditur. Quæ intercedunt citrà cœnam gesta, quoniam ad diem cœnæ Domini spectant, à plerisq; disiunguntur. Secundò à ministris traditur primoribus Iudæorum: ab his tertiò ad mortem gentibus: quartò à Iudæis abiectus ad mortem crucis damnatur: postremò crucifixi Domini innocentiam diuina humanaq; testimonia & signa testantur. Quàm piè à Bernardo pio dictum est: Super omnia reddit te mihi amabilem bone IESV, *calix quem bibisti, opus nostræ redemptionis; hoc omnino amorem meum facilè sibi vendicat. Adscribam etiam, quod ad Christum crucifixum, & hodiè pro nobis mortuum vtcunque contemplandum honorandumq; Lactantius grauiter monet:*

Tu quisquis ades,

Compressos speculare oculos & luce carentes,
Afflictasq; genas, arentem suspice linguam
Felle venenatam, & pallentes funere vultus.
Cerne manus clauis fixas, tractosq; lacertos,
Atque ingens lateri vulnus: cerne inde fluorem
Sanguineum, fossosq; pedes, artusque cruentos.
Flecte genu, lignúmque crucis venerabile adora.
Flebilis, innocuo terrámque cruore madentem

Ore petens humili, lacrymis suffunde subortis.
Ipsaqúe supplicia inspiciens mortémque seueram
Disce aduersa pati, & propriæ inuigilare saluti.

PASSIO DOMINI NOSTRI IESV CHRISTI.

APpropinquabat autem dies festus azymorum, qui dicitur Pascha. Erat autem Pascha & azyma post biduum. Et factum est, cûm consummasset IESVS sermones hos omnes, dixit discipulis suis: Scitis, quia post biduum Pascha fiet, & filius hominis tradetur vt crucifigatur. Tunc congregati sunt principes sacerdotum, & seniores populi in atrium principis sacerdotum, qui dicebatur Caiphas, & consilium fecerunt, vt IESVM dolo tenerent, & occiderent. Et quęrebant summi sacerdotes & scribæ, quomodo eum dolo tenerēt, & occiderent, timebant verò plebem, dicebant autem: Non in die festo, ne fortè tumultus fieret in populo. Intrauit autem satanas in Iudam, qui cognominabatur Iscariotes, vnum de duodecim. & tunc abiit vnus de duodecim qui dicebatur Iudas Iscariotes, ad principes sacerdotum vt proderet eum illis, & locutus est cum principibus sacerdotum & magistratibus, quemadmodum illum traderet eis. Et ait illis: Quid vultis mihi dare, & ego vobis eum tradam? At illi audien-

tes, constituerunt ei triginta argenteos. Et gauisi sunt, & promiserunt ei pecuniam se daturos. Et spopondit, & exinde quærebat opportunitatem quomodò oportunè traderet illum sine turbis.

Venit autem dies azymorum, in qua necesse erat occidi Pascha: & primo die azymorum, quando Pascha immolabant, misit Petrum & Ioannem, dicens: Euntes parate nobis Pascha, vt manducemus. Accesserunt discipuli ad IESVM. At illi dixerunt ei: Quò vis eamus & paremus tibi vt manduces Pascha? At IESVS mittit duos ex discipulis suis, & dixit ad eos: Ite in ciuitatem ad quendam, & eccè introëuntibus vobis in ciuitatem, occurret vobis homo lagenam aquæ baiulans, sequimini eum in domum in qua intrat, & quocunque introierit dicite patrifamiliàs domus: Quia Magister dicit tibi, Tempus meum propè est, apud te facio Pascha cum discipulis meis, vbi est diuersorium vbi Pascha cum discipulis meis manducem? Et ipse vobis demonstrabit cœnaculũ grande stratum, & illic parate nobis. Et abierunt discipuli eius, & venerunt in ciuitatem, & inuenerunt sicut dixerat illis: & fecerunt discipuli sicut constituit illis IESVS, & parauerunt Pascha. Vespere autem facto venit cum duodecim. Et cum

facta esset hora, discubuit, & duodecim Apostoli cum eo.

Antè diem festum Paschæ, sciens IESVS quia venit hora eius, vt transeat ex hoc mundo ad Patrem, cùm dilexisset suos qui erant in mūdo, in finem dilexit eos. Et cœna facta, quum diabolus iam misisset in cor, vt traderet eum Iudas Simonis Iscariotes, sciens quia omnia dedit ei pater in manus, & quia à Deo exiuit, & ad Deum vadit, surgit à cœna, & ponit vestimenta sua, & cùm accepisset linteum, præcinxit se. Deinde misit aquam in peluim, & cœpit lauare pedes discipulorum, & extergere linteo, quo erat præcinctus. Venit ergo ad Simonem Petrum. Et dicit ei Petrus: Domine, tu mihi lauas pedes? Respondit IESVS, & dixit ei: Quod ego facio tu nescis modò, scies autem posteà. Dicit ei Petrus: Non lauabis mihi pedes in æternum. Respondit ei IESVS: Si non lauero te, non habebis partem mecum. Dicit ei Simon Petrus: Domine non tantùm pedes meos, sed & manus & caput. Dicit ei IESVS: Qui lotus est, non indiget nisi vt pedes lauet, sed est mundus totus. Et vos mundi estis, sed non omnes. Sciebat enim quisnam esset qui traderet eum, propterea dixit. Non estis mundi omnes. Postquàm ergo lauit pedes eorum, accepit vestimen

ta ſua, & cùm recubuiſſet, iterum dixit eis: Scitis quid fecerim vobis? Vos vocatis me Magiſter, & Domine, & benè dicitis, ſum etenim: Si ergo ego laui pedes veſtros Dominus & Magiſter, & vos debetis alter alterius lauare pedes. Exemplum enim dedi vobis, vt quemadmodum ego feci vobis, ita & vos faciatis. Amen amen dico vobis, non eſt ſeruus maior domino ſuo, neque Apoſtolus maior eo qui miſit illum. Si hæc ſcitis, beati eritis, ſi feceritis ea. Non de omnibus vobis dico, ego ſcio quos elegerim. Sed vt adimpleatur ſcriptura: Qui manducat mecum panem, leuabit cõtra me calcaneum ſuum. Amodò dico vobis priuſquàm fiat, vt cùm factum fuerit, credatis quia ego ſum. Amen amen dico vobis, Qui accipit ſi quem miſero, me accipit: qui autẽ me accipit, accipit eũ qui me miſit.

Et ait illis: Deſiderio deſideraui hoc Paſcha manducare vobiſcum, antequàm patiar. Dico enim vobis, Quia ex hoc non manducabo illud, donec impleatur in regno Dei. Et accepto calice gratias egit, & dixit: Accipite, & diuidite inter vos. Dico enim vobis, Quòd non bibam de generatione vitis, donec regnum Dei veniat. Et manducantibus illis accepit IESVS panem, & accepto pane gratias egit, & benedicens fregit, deditque diſcipulis ſuis: & ait: Acci-

pite & comedite, hoc eſt corpus meum quod pro vobis datur, HOC FACITE in meam commemorationem. Similiter & calicem accipiens poſtquam cœnauit, gratias egit, & dedit illis, dicens: Bibite ex hoc omnes. Et biberunt ex illo omnes: & ait illis. Hic eſt enim ſanguis meus noui teſtamenti, qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum. Amen dico vobis, Quia iam nõ bibam amodò de hoc genimine vitis, vſque in diem illum, cùm illud bibã vobiſcum nouũ in regno Dei Patris mei.

Quùm hæc dixiſſet IESVS, turbatus eſt ſpiritu, & diſcumbentibus eis & manducantibus illis, proteſtatus eſt, & dixit IESVS: Veruntamen, eccè manus tradentis me, mecum eſt in mẽſa. Amen amen dico vobis, Quia vnus ex vobis tradet me qui manducat mecum. Aſpiciebant ergo ad inuicem diſcipuli, hæſitantes de quo diceret. Alli cœperunt contriſtari; & contriſtati valde, cœperunt ſinguli dicere ei ſingulatim: Nunquid ego ſum Domine? At ipſe reſpondens, ait illis: Vnus ex duodecim qui intingit mecum manum in paropſide, hic me tradet, & filius quidem hominis vadit ſecundum quod definitum eſt, & ſicut ſcriptum eſt de eo. Væ autem homini illi per quem filius hominis tradetur: bonum erat ei ſi natus nõ fuiſſet homo ille.

Respondens autem Iudas, qui tradidit eum, dixit: Nunquid ego sum Rabbi? Ait illi: Tu dixisti. Et ipsi cœperunt quærere inter se, quis esset ex eis, qui hoc facturus esset. Erat ergo recumbēs vnus ex discipulis eius in sinu IESV, quem diligebat IESVS. Innuit ergo huic Simon Petrus, & dixit ei: Quis est de quo dicit? Itaque cùm recubuisset ille supra pectus IESV, dicit ei: Domine, quis est? Respondit IESVS Ille est, cui ego intinctum panem porrexero. Et cùm intinxisset panem, dedit Iudæ Simonis Iscariotę. Et post buccellam tunc introiuit in eum satanas. Et dicit ei IESVS: Quod facis fac citius. Hoc autem nemo sciuit discumbentium ad quid dixerit ei. Quidam enim putabant, quia loculos habebat Iudas, quòd dixisset ei IESVS: Eme ea quæ opus sunt nobis ad diem festum; aut egenis vt aliquid daret. Cùm ergo accepisset ille buccellam, exiuit continuò. Erat autem nox. Cùm ergo exisset, dixit IESVS: Nunc clarificatus est filius hominis & Deus clarificatus est in eo. Si Deus clarificatus est in eo, & Deus clarificabit eum in semetipso, & continuò clarificabit eum.

Facta est autem & contentio inter eos, quis eorum videretur esse maior. Dixit autem eis: Reges gentium dominantur eorum, & qui potesta-

testatem habent super eos, benefici vocantur. Vos autem non sic, sed qui maior est in vobis, sit sicut iunior: & qui præcessor est, sicut ministrator. Nã quis maior est, qui recumbit, an qui ministrat? nónne qui recumbit? Ego autẽ in medio vestrum sum, sicut qui ministrat. Vos autem estis qui permansistis mecum in tentationibus meis. Et ego dispono vobis, sicut disposuit mihi Pater meus regnum, vt edatis & bibatis super mensam meam in regno meo, & sedeatis super thronos iudicantes duodecim tribus Israël. Filioli, adhuc modicum vobiscum sum. Quęretis me, & sicut dixi Iudæis, Quò ego vado, vos non potestis venire. Et vobis dico modò: Mandatum nouum do vobis, Vt diligatis inuicem, sicut dilexi vos, vt & vos diligatis inuicem: in hoc cognoscent omnes, quia discipuli mei estis, si dilectionem habueritis ad inuicẽ. Dicit ei Simon Petrus: Domine, quò vadis? Respondit IESVS: Quô ego vado, non potes me modò sequi, sequêris autem posteà. Dicit ei Petrus: Quare non possum te sequi modò? animam meam pro te ponam. Respondit ei IESVS: Amimam tuam pro me pones? Ait autem Dominus: Simon, Simon, eccè satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum: EGO autem rogaui pro TE, vt non deficiat fides tua: & tu aliquando conuersus con

firma

firma fratres tuos. Et tunc dicit illis IESVS: Omnes vos ſcandalum patiemini in me in iſta nocte, ſcriptum eſt enim: Percutiam paſtorem, & diſpergentur oues gregis. Poſtquàm autem reſurrexero, præcedam vos in Galilæam. Reſpondens autem Petrus ait illi: Et ſi omnes ſcandalizati fuerint in te, ſed ego nunquàm ſcandalizabor. Domine, tecum paratus ſum, & in carcerem, & in mortẽ ire. Et ait illi IESVS: Amen amen dico tibi Petre, Quia tu hodiè in nocte hac priuſquàm gallus vocem bis dederit, ter me es negaturus, & non cantabit hodiè gallus, donec ter abneges noſſe me. At ille amplius loquebatur; & ait illi Petrus: Etiam ſi oportuerit me ſimul commori tibi, non te negabo. Similiter autem & omnes diſcipuli dixerunt. Et dixit eis: Quando miſi vos ſine ſacculo, & pera, & calceamẽtis, nunquid aliquid defuit vobis? At illi dixerunt? Nihil. Dixit ergo eis: Sed nunc qui habet ſacculum, tollat ſimiliter & peram & qui non habet vẽdat tunicam ſuam, emat gladium. Dico enim vobis, Quoniam adhuc hoc quod ſcriptum eſt, oportet impleri in me: & cum iniquis deputatus eſt. Etenim ea quæ ſunt de me, finem habent. At illi dixerunt: Domine, eccè duò gladij hic. At ille dixit eis: Satis eſt.

Non turbetur cor veſtrum. Creditis in Deũ,

&

& in me credite. In domo Patris mei mansiones multæ sunt. Si quo minus dixissem vobis, Quia vado parare vobis locum. Et si abiero, & præparauero vobis locum, iterum venio,& accipiam vos ad meipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis. Et quò ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas: Domine, nescimus quò vadis,& quomodò possumus viam scire? Dicit ei IESVS: Ego sum via, veritas, & vita: nemo venit ad Patrem, nisi per me. Si cognouissetis me,& Patrem meum vtique cognouissetis, & amodò cognoscitis eum,& vidistis eum. Dicit ei Philippus: Domine, ostende nobis Patrem, & sufficit nobis. Dicit ei IESVS: Tanto tempore vobiscum sum,& non cognouistis me? Philippe, qui videt me, videt & Patrē. Quomodò tu dicis, Ostende nobis Patrem? Non credis, quia ego in Patre,& Pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso nō loquor. Pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis, quia ego in Patre,& Pater in me est? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis: Qui credit in me opera quæ ego facio,& ipse faciet, & maiora horum faciet, quia ego ad Patrem vado, & quodcunque petieritis in nomine meo, hoc faciam; vt glorificetur Pater in filio. Si quid petieritis me in nomine meo, hoc faciam. Si
dilígi-

diligitiis me, mandata mea seruare. Et ego rogabo Patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternùm, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere, quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum, quia apud vos manebit, & in vobis erit. Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Adhuc modicum, & mundus me iam non videt. Vos autem videtis me, quia ego viuo, & vos viuetis. In illo die vos cognoscetis, quia ego sum in Patre meo, & vos in me, & ego in vobis. Qui habet mandata mea & seruat ea, ille est qui diligit me: qui autem diligit me, diligetur à Patre meo: & ego diligam eum, & manifestabo ei meipsum. Dicit ei Iudas non ille Iscariotes: Domine, quid factum est, quia manifestaturus es nobis teipsum, & non mundo? Respondit IESVS, & dixit ei: Si quis diligit me, sermonem meum seruabit, & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eũ faciemus. Qui nõ diligit me, sermones meos non seruat: & sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens: Paracletus autem Spiritussanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret vobis omnia quæcunq; dixero vobis. Pacem

relinquo vobis, pacem meam do vobis: non quomodò mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis, quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtique, quia vado ad Patrem, qui Pater maior me est. Et nunc dixi vobis, priusquam fiat, vt cùm factum fuerit credatis. Iam non multa loquar vobiscum. Venit enim princeps mundi huius, & in me non habet quicquam: sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & sicut mandatum dedit mihi Pater, sic facio. Surgite, eamus hinc.

Ego sum vitis vera, & Pater meus agricola est. Omnem palmitem in me non ferentem fructum, tollet eum: & omnem qui fert fructum, purgabit eum, vt fructum plus adferat. Iam vos mundi estis propter sermonem quem locutus sum vobis: Manete in me, & ego in vobis. Sicut palmes non potest ferre fructum à semetipso, nisi manserit in vite, sic nec vos, nisi in me manseritis. Ego sum vitis, vos palmites, qui manet in me, & ego in eo, hic fert fructum multum, quia sine me nihil potestis facere. Si quis in me non manserit, mittetur foras sicut palmes, & arescet, & colligent eum, & in ignem mittent, & ardet. Si manseritis in me, & verba mea in vobis manserint, quodcunque voRueritis

lueritis,petetis,& fiet vobis. In hoc clarificatus est Pater meus, vt fructum plurimũ adferatis,& efficiamini mei discipuli.Sicut dilexit mePater, & ego dilexi vos. manete in dilectione mea. Si præcepta mea seruaueritis,manebitis in dilectio ne mea: sicut & ego Patris mei præcepta seruaui,& maneo in eius dilectione.Hęc locutus sum vobis, vt gaudium meum in vobis sit, & gaudium vestrum impleatur. Hoc est præceptum meum,vt diligatis inuicem,sicut dilexi vos:maiorem hac dilectionem nemo habet,vt animam suam ponat quis pro amicis suis. Vos amici mei estis, si feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam nõ dico vos seruos,quia seruus nescit quid faciat dominus eius. Vos autem dixi amicos, quia omnia quæcunque audiui à Patre meo, no ta feci vobis. Non vos me elegistis, sed ego elegi vos,& posui vos vt eatis, & fructum adferatis, & fructus vester maneat, vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo, det vobis: hæc mando vobis,vt diligatis inuicem. Si mun dus vos odit, scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis, mundus quod suum erat diligeret: quia verò de mundo non estis,sed ego elegi vos de mundo, propterea odit vos mundus.Mementote sermonis mei quem ego dixi vobis. Non est seruus maior

domino suo. Si me persequuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum, quia nesciunt eum qui me misit. Si nō venissem & locutus nō fuissem eis, peccatum non haberent, nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit, & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit, peccatum non haberent, nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum. sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est: Quia odio habuerunt me gratis. Cùm autem venerit Paracletus quem ego mittam vobis à Patre spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me, & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecū estis: Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini: Absq; synagogis facient vos, sed venit hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo, & hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neq; me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora eorum reminiscamini, quia ego dixi vobis. Hęc autem vobis ab initio non dixi, quia vobiscum eram. Et nunc vado ad eum qui misit me, & nemo ex vobis interrogat me, Quò vadis? sed quia hæc lo-

cutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis, expedit vobis vt ego vadam: si enim non abiero, Paracletus non veniet ad vos: si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cùm venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidẽ, quia non crediderunt in me. De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam non videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem: non enim loquetur à semetipso, sed quæcunque audiet loquetur, & quæ ventura sunt annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Omnia quæcunque habet Pater, mea sunt, propterea dixi: Quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis. Modicum & iam non videbitis me, & iterum modicum & videbitis me, quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo discipuli eius ad inuicem: Quid est hoc quod dicit nobis: Modicum & non videbitis, & iterum modicum & videbitis me, & quia vadoad Patrem? Dicebant ergo: Quid est hoc quod dicit, modicum? nescimus quid loquitur. Cognouit autem IESVS quia volebant eum interroga-

re, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos, quia dixi, Modicum & non videbitis me, & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia plorabitis & flebitis vos, mundus autem gaudebit, vos autem contristabimini, sed tristitia vestra vertetur in gaudium. Mulier cùm parit, tristitiam habet, quia venit hora eius: cum autem peperit puerum, iam non meminit pressuræ propter gaudium, quia natus est homo in mundum. Et vos igitur nunc quidem tristitiam habetis, iterum autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium uestrum nemo tollet à uobis. Et in illo die me non rogabitis quicquã. Amen amen dico vobis: Si quid petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vsque modò non petistis quicquam in nomine meo. Petite, & accipietis, vt gaudium vestrum sit plenum. Hæc in prouerbiis locutus sum vobis. Venit hora cùm iam non in prouerbiis loquar vobis, sed palàm de Patre annuntiabo vobis. In illo die in nomine meo petetis, & nõ dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis, ipse enim Pater amat vos, quia vos me amastis & credidistis quia à Deo exiui. Exiui à Patre & veni in mundum, iterum relinquo mundum, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Eccè nunc palàm loqueris, & prouerbium nullum dicis: nunc scimus

quia

quia ſcis omnia, & non opus eſt tibi vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo exiſti. Reſpondit eis IESVS: Modò creditis? Ecce venit hora & iam venit, vt diſpergamini vnuſquiſque in propria, & me ſolum relinquatis: & non ſum ſolus, quia Pater mecum eſt. Hæc locutus ſum vobis, vt in me pacem habeatis. In mundo preſſuram habebitis, ſed confidite, ego vici mundum.

Hæc locutus eſt IESVS, & ſubleuatis oculis in cælum, dixit: Pater venit hora, clarifica filiũ tuum, vt filius tuus clarificet te, ſicut dediſti ei poteſtatẽ omnis carnis, vt omne quod dediſti ei, det ei vitam æternam. Hæc eſt autem vita æterna, vt cognoſcant te ſolum Deum verum, & quem miſiſti IESVM Chriſtum. Ego te clarificaui ſuper terram, opus conſummaui, quod dediſti mihi vt faciam, & nunc clarifica me tu Pater apud teipſum, claritate quã habui priuſquàm mundus eſſet, apud te. Manifeſtaui nomen tuum hominibus quos dediſti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dediſti, & ſermonem tuum ſeruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dediſti mihi, abs te ſunt. quia verba quæ dediſti mihi, dedi eis: & ipſi acceperunt & cognouerunt verè, quia à te exiui: & crediderunt quia tu me miſiſti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo

rogo, ſed pro his quos dediſti mihi, quia tui sũt. Et mea omnia tua ſunt, & tua mea ſunt, & clarificatus ſum in eis. Et iam non ſum in mundo, & hi in mundo ſunt, & ego ad te venio. Pater ſancte, ſerua eos in nomine tuo, quos dediſti mihi, vt ſint vnum, ſicut nos. Cùm eſſem cum eis, ego ſeruabam eos in nomine tuo. Quos dediſti mihi, cuſtodiui, & nemo ex eis periit, niſi filius perditionis, vt ſcriptura impleatur. Nunc autem ad te venio, & hæc loquor in mundo, vt habeant gaudium meum impletum in ſemetipſis. Ego dedi eis ſermonem tuum, & mundus eos odio habuit, quia non ſunt de mundo, ſicut & ego non ſum de mundo: non rogo vt tollas eos de mundo, ſed vt ſerues eos à malo. De mundo non ſunt, ſicut & ego non ſum de mundo. Sanctifica eos in veritate. Sermo tuus veritas eſt. Sicut tu me miſiſti in mundum, & ego miſi eos in mundum. Et pro eis ego ſanctifico meipſum, vt ſint, & ipſi ſanctificati in veritate. Non pro eis autem rogo tantum, ſed & pro eis qui credituri ſunt per verbũ eorum in me: vt omnes vnum ſint, ſicut tu Pater in me, & ego in te, vt & ipſi in nobis vnum ſint: vt credat mundus quia tu me miſiſti. Et ego claritatem quam dediſti mihi, dedi eis, vt ſint vnum, ſicut & nos vnus ſumus. Ego in eis, & tu in me, vt ſint conſummati in vnum, & cognoſcat

ſcat mundus, quia tu me miſiſti, & dilexiſti eos ſicut & me dilexiſti. Pater, quos dediſti mihi, volo vt vbi ſum ego, & illi ſint mecum, vt videant claritatem meam, quam dediſti mihi, quia dilexiſti me antè conſtitutionem mundi. Pater iuſte, mundus te cognouit: ego autem te cognoui, & hi cognouerunt quia tu me miſiſti. Et notum feci eis nomen tuum, & notum faciam, vt dilectio, qua dilexiſti me, in ipſis ſit, & ego in ipſis.

Hæc cum dixiſſet IESVS, & hymno dicto egreſſus eſt cum diſcipulis ſuis trans torrentem Cedrôn, & egreſſus ibat ſecundum conſuetudinem in montem Oliuarum. Secuti ſunt autem illum & diſcipuli eius. Et tunc venit IESVS cum illis in villam quæ dicitur Gethſemani, vbi erat hortus, in quem introiuit ipſe & diſcipuli eius. Et cùm perueniſſet ad locum, dixit diſcipulis ſuis: Sedete hîc donec vadam illuc & orem. Orate, ne intretis in tentationem. Et aſſumit Petrũ, & Iacobum, & Ioannem ſecum, & aſſumpto Petro, & duobus filiis Zebedæi, cœpit contriſtari, pauere, & mœſtus eſſe. Et tunc ait illis: Triſtis eſt anima mea vſque ad mortem, ſuſtinete hîc, & vigilate mecum. Et ipſe auulſus eſt ab eis, & progreſſus puſillum quantum iactus eſt lapidis, & poſitis genibus, procidit ſuper terram in fa-

ciem

ciem suam,& orabat, vt si fieri posset, transiret ab eo hora,& dixit: Abba Pater mi,si possibile est,transeat à me calix iste, omnia tibi possibilia sunt,si vis,transfer calicem hunc à me:verum tamen non mea voluntas, sed tua fiat. Et cùm surrexisset ab oratione,& venisset ad discipulos suos,inuenit eos dormientes præ tristitia,& ait illis:Quid dormitis?Et dicit Petro:Simon,dormis? Sic non potuisti vna hora vigilare mecũ? Surgite,vigilate,& orate, vt non intretis in tentationem;spiritus quidem promptus est,caro autem infirma.Et iterum secundò abiit, & orauit eundem sermonem dicens: Pater mi, si non potest hic calix transire, nisi bibam illum,fiat voluntas tua. Et reuersus venit,& iterum inuenit eos dormientes, erant enim oculi eorum grauati,& ignorabant quid responderent ei. Et relictis illis,iterum abijt, & orauit tertiò, eundem sermonem dicens. Apparuit autem illi angelus de cælo, confortans eum, & factus in agonia, prolixius orabat, & factus est sudor eius sicut guttæ sanguinis decurrentis in terram. Et tunc venit tertiò ad discipulos suos,& dicit illis:Dormite iam & requiescite, sufficit, eccè appropinquauit hora, & eccè filius hominis tradetur in manus peccatorum,Surgite,eamus,eccè appropinquauit hora, & eccè filius hominis tradetur

in

manus peccatorum, Surgite, eamus: eccè appropinquauit qui me tradet. Sciebat autem & Iudas qui tradebat eum, locum, quia frequenter IESVS conuenerat illuc cum discipulis suis. Iudas ergò cùm accepisset cohortem, & à pontificibus & Pharisæis ministros, venit illuc cùm lanternis, & facibus, & armis. Et adhuc eo loquente, eccè Iudas Iscariotes vnus de duodecim venit, & cum eo turba multa cum gladiis & fustibus, missi à principibus sacerdotum, & scribis, & senioribus populi. Qui autem tradidit eum, dedit illis signum, dicens: Quemcunq; osculatus fuero, ipse est, tenete eum, & ducite cautè. Et qui vocabatur Iudas vnus de duodecim, antecedebat eos, & appropinquauit IESV, vt oscularetur eum. Et cùm venisset, statim accedens ad IESVM, dixit: Aue Rabbi, & osculatus est eum. IESVS autem dixit illi: Amice, ad quid venisti? Iuda, osculo filium hominis tradis? IESVS itaque sciens omnia quæ ventura erãt super se, processit, & dixit eis, quem quæritis? Responderunt ei: IESVM Nazarenum. Dicit eis IESVS: Ego sum. Stabat autem & Iudas qui tradebat eum cum ipsis. Vt ergo dixit eis, Ego sum, abierunt retrorsum, & ceciderunt in terrã. Iterum ergo interrogauit eos: Quem quæritis? Illi autem dixerunt: IESVM Nazarenum. Re-

ſpondit IESVS: Dixi vobis, quia ego ſum. Si ergo me quæritis, ſinite hos abire, vt adimpleretur ſermo, quem dixit: Quia quos dediſti mihi, non perdidi ex eis quenquam. At illi tunc acceſſerunt, & manus iniecerunt in IESVM, & tenuerunt eum. Videntes autem hi qui circà ipſum erant, quod futurum erat, dixerunt ei: Domine, ſi percutimus in gladio? Et eccè vnus quidam de circunſtantibus ex his qui erant cum IESV, Simon Petrus habens gladium, extendens manum exemit gladium ſuum, & percuſſit ſeruum principis ſacerdotum, & percutiens ſeruum principis ſacerdotum amputauit illi auriculam eius dexteram. Erat autem nomen ſeruo Malchus. Reſpondens autem IESVS, ait: Sinite vſque huc. & cum tetigiſſet auriculam eius, ſanauit eum. Dixit ergo tunc IESVS Petro: Conuerte gladium tuum in locum ſuum in vaginam. Omnes enim qui acceperint gladium, gladio peribunt. Calicem quem dedit mihi Pater, non bibam illum? An putas, quia non poſſum rogare Patrem meum, & exhibebit mihi modò pluſquam duodecim legiones angelorũ? Quomodò ergo implebuntur ſcripturæ, quia ſic oportet fieri? Et in illa hora reſpondens IESVS dixit turbis, & ad eos, qui venerant ad ſe, principes ſacerdotum, & magiſtratus templi, & ſenio-

ſeniores: Tanquam ad latronem exiſtis cum gla
diis & fuſtibus comprehendere me. Quotidiè
eram apud vos, ſedebam in templo docens: &
cùm quotidiè vobiſcum fuerim in templo, non
extendiſtis manus in me, & non me tenuiſtis,
ſed hæc eſt hora veſtra, & poteſtas tenebrarum.
Hoc autem totum factum eſt vt adimplerentur
ſcripturæ Prophetarum. Tunc diſcipuli eius
omnes relicto eo fugerunt. Adoleſcens autem
quidam ſequebatur eum amictus ſindone ſuper
nudo, & tenuerunt eum. At ille reiecta ſindone
nudus profugit ab eis.

Cohors autem & tribunus & miniſtri Iudæorum comprehenderunt IESVM, & ligauerunt eum, & adduxerunt eum ad Annam primùm. Erat enim ſocer Caiphę, qui erat pontifex anni illius. Et duxerunt IESVM ad domum principis ſacerdotum, ad Caipham principem ſacerdotum vbi ſcribæ & ſeniores conuenerant. Erat autem Caiphas qui conſilium dederat Iudæis, Quia expedit vnum hominem mori pro populo. Et conuenerunt omnes ſacerdotes, & ſcribæ, & ſeniores. Sequebatur autem IESVM Simon Petrus a longè, & alius diſcipulus. Diſcipulus autem ille erat notus pontifici, & introiuit cum IESV in atrium pontificis. Petrus autem ſtabat ad oſtium foris. Exiuit ergo diſcipulus alius qui

erat notus pontifici, & dixit ostiariæ, & introduxit Petrum vsque intrò in atrium principis sacerdotum. Et ingressus intrò, accenso igne in medio atrij, & circumsedentibus illis, erat Petrus in medio eorum, & sedebat cum ministris ad ignem, & calefaciebat se, vt videret finem. Pontifex ergo interrogauit IESVM de discipulis suis, & de doctrina eius. Respondit ei IESVS: Ego palàm locutus sum mundo, ego semper docui in synagoga & in templo, quò omnes Iudæi cõueniunt, & in occulto locutus sum nihil. quid me interrogas? interroga eos qui audierunt, quid locutus sum ipsis, eccè hi sciunt quæ dixerim ego. Hæc autem cùm dixisset, vnus assistens ministrorum, dedit alapam IESV, dicens: Sic respondens pontifici? Respondit ei IESVS:: Si malè locutus sum, testimonium perhibe de malo: si autem benè, quid me cędis? Et misit eum Annas ligatum ad Caipham pontificem. Principes autem sacerdotum, & omne concilium quærebant falsum testimonium contra IESVM, vt eum morti traderent, & non inuenerunt: cum multi falsi testes accessissent. Multi enim testimonium falsum dicebant aduersus eum, & conuenientia testimonia non erant. Nouissimè autem venerunt duo falsi testes, & quidam surgentes falsum testimonium fere-

ferebant aduersus eum, & dixerunt: Quoniam hic dixit. Nos audiuimus eum dicẽtem: Possum destruere templum Dei, & post triduum reædificare illud. Ego dissoluam templum hoc manufactum & post triduum aliud non manufactũ ædificabo. Et non erat cõueniens testimonium illorum. Et exurgens summus sacerdos in medium, interrogauit IESVM, dicens illi: Non respondens quicquam ad ea quæ tibi obiiciuntur ab his, & quæ isti aduersum te testificantur? IESVS autem tacebat, & nihil respondit. Et rursum summus sacerdos interrogabat eum, & dixit ei: Tu es CHRISTVS filius Dei benedicti? Adiuro te per Deum viuum, vt dicas nobis, si tu es Christus filius Dei. IESVS autem dixit illi: Tu dixisti, Ego sum. Veruntamen dico vobis: Amodò videbitis filium hominis sedentem à dextris virtutis Dei, & venientem in nubibus cæli. Tunc princeps sacerdotum scidit vestimenta sua, dicens: Blasphemauit: quid adhuc desideramus testes? Eccè nunc audistis blasphemiam. quid vobis videtur? At illi omnes condemnauerunt eum esse reum mortis. Et respondentes dixerunt: Reus est mortis. Et tunc viri qui tenebant illum, illudebant ei, cædentes. Et expuerunt in faciem eius, & velauerunt eum, & colaphis eum ceciderunt: alij autem

tem palmas in faciem eius dederunt; & percutiebant faciem eius, & interrogabant eum, dicentes ei: Prophetiza nobis Christe, quis est qui te percussit? Et alia multa blasphemantes dicebant in eum. Et ministri alapis eum cædebant.

Petrus autem sedebat foris in atrio. Et cùm esset Petrus in atrio deorsum, accessit ad eum vna ancilla, ex ancillis summi sacerdotis, & cũ vidisset Petrum calefacientem se, & sedentem ad lumen, & eum fuisset intuita, dixit: Et hic cũ illo erat. Dixit ergo Petro ancilla ostiaria: Nunquid & tu ex discipulis es hominis istius? Et tu cum IESV Nazareno eras. At ille negauit eum coràm omnibus, dicens? Non sum. Mulier, non noui illum. neque scio, neque noui quid dicas. Stabant autem serui & ministri ad prunas, quia frigus erat, & calefaciebant se. Erat autem cum eis & Petrus stans, & calefaciens se. Et exiit foràs ante atrium, & gallus cantauit. Exeunte autem illo ianuam, vidit eum alia ancilla, & rursus cùm vidisset eum ancilla, cœpit dicere circunstantibus, his qui erant ibi: Quia & hic erat cum IESV Nazareno. Erat autem Simon Petrus stans & calefaciens se. Et post pusillum alius videns eum, dixit: Et tu de illis es. Dixerunt ergo ei: Nunquid & tu ex discipulis eius es?

Petrus verò iterum negauit cum iuramento, Quia non noui hominem, & dixit: O homo non sum. Et post pusillum rursus interuallo facto quasi horæ vnius, alius quidam affirmabat, dicens: Verè & hic cum illo erat, nam & Galilæus est. Et accesserunt qui astabant & dixerunt Petrò: Verè & tu ex illis es, nam & Galilæus es, & loquela tua manifestum te facit. Dicit ei vnus ex seruis pontificis, cognatus eius cuius abscidit Petrus auriculam: Nónne ego te vidi in horto cum illo? Iterum ergo negauit, & ait Petrus: Homo, nescio quid dicis. Ille autem tunc cœpit detestari, & iurare, quia nescio hominem istum, quem dicitis. Et statim adhuc illo loquente, gallus iterum cantauit. Et conuersus Dominus respexit Petrum. Et recordatus est Petrus verbi Domini IESV, quod dixerat ei, Quia priusquam gallus cantet bis, ter me negabis. Et egressus foràs Petrus, fleuit amarè.

Manè autem facto, conuenerunt & cōsilium inierunt omnes principes sacerdotum & seniores populi, & scribæ aduersus IESVM, vt eum morti traderent, & duxerunt illum in cōcilium suum, dicentes: Si tu es Christus, dic nobis. Et ait illis: Si vobis dixero, nō credetis mihi: Si autem & interrogauero, non respondebitis mihi, neque dimittetis. Ex hoc autem erit filius hominis

minis ſedens à dextris virtutis Dei. Dixerunt au
tem omnes: Tu ergo es filius Dei? Qui ait: vos di
citis: Quia ego ſum. At illi dixerunt: Quid ad-
huc deſideramus teſtimonium? ipſi enim audi-
uimus de ore eius. Et confeſtim manè conci-
lium facientes ſummi ſacerdotes, cum ſeniori-
bus & ſcribis, & vniuerſo concilio, & ſurgens
omnis multitudo eorum, vincientes IESVM
vinctum adduxerunt eum ad Pilatum, & tradi-
derunt Pontio Pilato præſidi. Tunc videns Iu-
das, qui eum tradidit, quòd damnatus eſſet, pœ-
nitentia ductus, retulit triginta argenteos prin-
cipibus ſacerdotum, & ſenioribus, dicens: Pecca
ui tradens ſanguinem iuſtum. At illi dixerunt:
Quid ad nos? tu videris. Et proiectis argenteis
in templo, receſſit, & abiens laqueo ſe ſuſpen-
dit Principes autem ſacerdotum acceptis argen
teis, dixerunt: Non licet eos mittere in corbo-
nam, quia pretium ſanguinis eſt. Conſilio au-
tem inito, emerunt ex illis agrum figuli in ſe-
pulturam peregrinorum. Propter hoc voca-
tus eſt ager ille, Haceldema, hoc eſt, Ager ſan-
guinis, vſque in hodiernum diem. Tunc imple-
tum eſt, quod dictum eſt per Hieremiam Pro-
phetam, dicentem. Et acceperunt triginta argen
teos pretium appretiati, quem appretiauerunt à
filiis Iſraël, & dederunt eos in agrum figuli, ſicut
conſti-

conftituit mihi Dominus.

Adducunt ergo IESVM à Caipha in prætorium. Erat autem manè,& ipfi non introierunt in prætorium,vt non contaminarentur, fed vt manducarẽt Pafcha. Exiuit ergo Pilatus ad eos foràs,& dixit: Quam accufationem affertis aduerfus hominem hunc? Refponderunt & dixerunt ei:Si non effet hic malefactor, non tibi tradidiffemus eum. Dixit ergo eis Pilatus: Accipite eum vos, & fecundum legem veftram iudicate eum. Dixerunt ergo ei Iudæi: Nobis non licet interficere quenquam. Vt fermo IESV impleretur, quem dixit,Significans qua morte effet moriturus. Cœperunt autem illum accufare,dicentes:Hunc inuenimus fubuertentem gentem noftram, & prohibentem tributa dare Cæfari,& dicentem fe Chriftum regem effe. Introiuit ergo iterum in prætorium Pilatus, & vocauit IESVM. IESVS autem ftetit ante præfidem,& interrogauit eum præfes Pilatus,& dixit illi:Tu es rex Iudęorum? Refpondit IESVS: A temetipfo hoc dicis, an alij tibi dixerũt de me? Refpondit Pilatus: Nunquid ego Iudæus fum? gens tua & pontifices tradiderunt te mihi, quid fecifti? Refpondit IESVS:Regnum meum non eft de hoc mundo, fi ex hoc mundo effet regnum meum, miniftri mei vtique decertarent,

vt non traderer Iudæis : nunc autem regnum meum non eſt hinc. Dixit itaq; ei Pilatus:Ergo rex es tu ? At ille reſpondens, ait illi IESVS: Tu dicis,quia rex ſum ego. Ego in hoc natus ſum, ad hoc veni in mundum, vt teſtimonium perhibeam veritati. Omnis qui eſt ex veritate,audit vocem meam. Dicit ei Pilatus: Quid eſt veritas?Et cùm hoc dixiſſet,iterum exiuit ad Iudæos, & dicit Pilatus ad principes ſacerdotum,& turbas: Ego nihil inuenio cauſæ in hoc homine. Et accuſabant eum ſummi ſacerdotes in multis. Et cùm accuſaretur à principibus ſacerdotum,& ſenioribus,nihil reſpondit. Tunc Pilatus rurſum interrogauit eum, dicens illi: Non audis quanta aduerſum te dicunt teſtimonia?Non reſpondes quicquam? Vide in quantis te accuſant.IESVS autem amplius nihil reſpondit ei ad vllum verbum,ita vt miraretur præſes vehementer. At illi inualeſcebant, dicentes: Commouit populum docens per vniuerſam Iudæam,incipiens à Galilæa vſque huc. Pilatus autem audiens Galilæam,interrogauit ſi homo Galilæus eſſet. Et vt cognouit ꝙ de Herodis poteſtate eſſet, remiſit eum ad Herodem, qui & ipſe Hieroſolymis erat illis diebus. Herodes autem viſo IESV, gauiſus eſt valdè,erat enim cupiens ex multo tempore videre eum,eò quòd audiret

multa

multa de eo, & ſperabat ſignum aliquod videre ab eo fieri. Interrogabat autem eum multis ſermonibus. At ipſe nihil illi reſpondebat. Stabant autem principes ſacerdotum & ſcribæ conſtanter accuſantes eum. Spreuit autem illum Herodes cum exercitu ſuo, & illuſit indutum veſte alba, & remiſit ad Pilatum. Et facti ſunt amici Herodes & Pilatus ipſa die, nam anteà inimici erant adinuicem.

Pilatus autem conuocatis principibus ſacerdotum, & magiſtratibus, & plebe, dixit ad illos: Obtuliſtis mihi hunc hominem, quaſi auertentem populum, & eccè ego coràm vobis interrogans, nullam cauſam inuenio in homine iſto, ex his in quibus eum accuſatis, ſed neque Herodes: nam remiſi vos ad illum, & eccè nihil dignum morte actum eſt ei: emendatum ergo illum dimittam. Per diem autem ſolennem conſueuerat & neceſſe habebat præſes populo dimittere vnum ex vinctis, quemcunque petiſſent habebat autem tunc vinctum inſignem, qui dicebatur Barabbas, qui cum ſeditioſis erat vinctus, qui in ſeditione fecerat homicidiũ. Et cùm aſcendiſſet turba, cœpit rogare, ſicut ſemper faciebat illis. Congregatis ergo illis, Pilatus reſpondit eis, & dixit: Eſt autem conſuetudo vobis, vt vnum dimittam vobis in Paſcha. Vultis

ergo dimittam vobis regem Iudæorum? Quem vultis? Dimittam vobis Barabbam, an IESVM, qui dicitur Christus? Sciebat enim quòd per inuidiã tradidissent eum summi sacerdotes. Sedente autem illo pro tribunali, misit ad eum vxor eius, dicens: Nihil tibi & iusto illi, multa enim passa sum hodiè per visum propter eum. Principes autem sacerdotum, & seniores concitauerunt turbam, & persuaserunt populis, vt magis peterent Barabbam, IESVM verò perderent. Respondens autem præses ait illis: Quem vultis vobis de duobus dimitti? At ille clamauerunt rursum omnes simul, dicentes: Non hunc, sed tolle hunc, & dimitte nobis Barabbam. Erat autem Barabbas latro, qui erat propter seditionẽ quandam factam in ciuitate, & homicidium missus in carcerem. Iterum autem Pilatus locutus est ad eos, volens dimittere IESVM. Pilatus autem iterum respondens, ait illis: Quid ergo vultis faciam de IESV, qui dicitur Christus? At illi iterum succlamabant, dicentes omnes: Crucifigatur, crucifige, crucifige eum. Pilatus verò tertiò dixit ad illos: Quid enim mali fecit iste? nullam causam mortis inuenio in eo. Corripiã ergo illum, & dimittam. At illi instabant vocibus magnis postulantes vt crucifigeretur, & inualescebant voces eorum, & magis clamabant,
dicen-

dicentes: Crucifigatur, Crucifige eum. Tunc ergo apprehendit Pilatus IESVM, & flagellauit. Et tunc milites præsidis suscipientes IESVM in prætorio, duxerunt eum in atrium prætorij, & congregauerunt ad eum vniuersam cohortem, & exeuntes eum, chlamydem coccineam circundederunt ei, & plectentes coronam de spinis posuerunt super caput eius, & arundinem in dextera eius. Et veniebant ad eum, & genuflexo ante eum, illudebant ei, & cœperunt salutare eum, & dicebant: Aue rex Iudæorum. Et conspuebant eum. Et expuentes in eum, acceperunt arundinem, & percutiebāt caput eius arundine, & dabant ei alapas, & ponentes genua adorabant eum. Exiuit ergo iterum Pilatus, & dicit eis: Eccè adduco vobis eum foràs, vt cognoscatis, quia in eo nullam inuenio causam. Exiuit ergo IESVS foràs portans coronam spineam, & purpureum vestimentum. Et dicit eis: Eccè homo. Cùm ergo vidissent eum pontifices, & ministri, clamabant, dicentes: Crucifige crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Accipite eum vos & crucifigite, ego enim non inuenio in eo causam. Responderunt ei Iudæi: Nos legem habemus, & secundum legem debet mori, quia filium Dei se fecit. Cùm ergo audisset Pilatus hunc sermonem, magis timuit. Et ingressus est prætorium

iterum,& dicit ad IESVM: Vnde es tu? IESVS autem responsum non dedit ei. Dicit ergo ei Pilatus: Mihi non loqueris? nescis quia potestatem habeo crucifigere te, & potestatem habeo dimittere te? Respondit IESVS: Non haberes potestatem aduersum me vllam, nisi tibi datum esset desuper. Propterea, qui me tradidit tibi, maius peccatum habet. Et exinde quærebat Pilatus dimittere eum, Iudæi autem clamabant, dicentes: Si hunc dimittis, non es amicus Cæsaris: omnis enim qui se regem facit, contradicit Cæsari. Pilatus autem quum audisset hos sermones, adducit foràs IESVM, & sedit pro tribunali in loco qui dicitur Lithostrotos, Hebraicè autem Gabbatha. Erat autem parasceues paschę hora quasi sexta, & dicit Iudæis: Eccè Rex vester: Illi autem clamabant: Tolle, tolle, crucifige eum. Dicit eis Pilatus: Regem vestrum crucifigam? Responderunt pontifices: Non habemus Regem nisi Cæsarem. Videns autem Pilatus quia nihil proficeret, sed magis tumultus fieret, accepta aqua lauit manus coràm populo, dicens: Innocens ego sum à sanguine iusti huius, vos videritis. Et respondens vniuersus populus, dixit: Sanguis eius super nos, & super filios nostros. Pilatus autem tunc volens populo satisfacere, adiudicauit fieri petitionem eorum. Di

misit

misit autem illis eum qui propter homicidium, & seditionem missus erat in carcerem, quem petebant, Barabbam, IESVM verò flagellatum tradidit eis voluntati eorum. Tunc ergo tradidit eis illum, vt crucifigeretur.

Susceperunt autem IESVM, & postquam illuserunt ei, exuerunt eum chlamydem, & induerunt eum vestimentis eius, & eduxerunt eũ vt crucifigerent eũ. Et baiulans sibi crucẽ, exiuit in eum qui dicitur Caluariæ locum, Hebraicè autem Golgotha. Exeuntes autem, & cùm ducerent eum, inuenerunt, apprehenderunt, & angariauerunt prætereuntem quempiam hominem Cyreneum, nomine Simonem venientem de villa, patrem Alexandri & Rufi, hunc angariauerunt, vt tolleret crucem eius, & imposuerunt illi crucem portare post IESVM. Sequebatur autem illum multa turba populi, & mulierum, quæ plangebant, & lamentabantur eum. Conuersus autem ad illas IESVS, dixit: Filiæ Hierusalẽ, nolite flere super me, sed super vosipsas flete, & super filios vestros; quoniam eccè venient dies, in quibus dicent: Beatæ steriles, & ventres qui non genuerunt, & vbera quæ non lactauerunt: tunc incipient dicere mõtibus, Cadite super nos: & collibus, Operite nos. Quia si in viridi ligno hæc faciunt, in arido

do quid fiet? Ducebantur autem & alii duo nequam cum eo, vt interficerentur. Et perducunt illum, & venerunt in locum qui dicitur Golgoltha, quod eſt interpretatum Caluariæ locus, & dederunt ei vinum myrrhatum bibere cum felle miſtum. Et cùm guſtaſſet, noluit bibere, & non accepit. Et poſtquam venerunt in locum, qui vocatur Caluariæ, ibi crucifixerunt eum, & tunc crucifigunt cum eo alios duos latrones hinc & hinc, vnum à dextris, & alterum à ſiniſtris eius, medium autem IESVM. Et impleta eſt Scriptura, quæ dicit: Et cum iniquis reputatus eſt. Scripſit autem & titulum Pilatus, & poſuit ſuper crucem. Et impoſuerunt ſuper caput eius cauſam ipſius ſcriptam. Et erat titulus cauſæ eius inſcriptus ſuper eum literis Græcis & Latinis, & Hebraicis: HIC EST IESVS NAZARENVS REX IVDAEORVM. Hunc ergo titulum multi Iudæorum legerunt, quia propè ciuitatem erat locus vbi crucifixus eſt IESVS. Et erat ſcriptum Hebraicè, Græcè, & Latinè. Dicebant ergo Pilato Pontifices Iudæorum: Noli ſcribere, Rex Iudæorum, ſed quia ipſe dixit, Rex ſum Iudæorum. Reſpõdit Pilatus: Quod ſcripſi, ſcripſi. IESVS autem dicebat: Pater dimitte illis, nõ enim ſciunt quid faciunt. Milites ergo cùm crucifixiſſent

eum, acceperunt veſtimenta eius (& fecerunt quatuor partes, vnicuique militi partem)& tunicam. Diuidentes verò veſtimenta eius, miſerunt ſortes ſuper eis, quis quid tolleret. Erat autem tunica inconſutilis, deſuper contexta per totum. Dixerunt ergo adinuicem: Non ſcindamus eam, ſed ſortiamur de illa cuius ſit. Vt ſcriptura impleretur, dicens, per Prophetam dicentem: Partiti ſunt veſtimenta mea ſibi, & in veſtem meam miſerunt ſortem. Et milites quidem hæc fecerunt. Et ſedentes ſeruabant eum. Erat autem hora tertia, & crucifixerunt eum. Prætereuntes autem blaſphemabant eum, mouentes capita ſua, & dicentes: Vah, qui deſtruis templum Dei, & in tribus diebus illud reædificas: ſaluum fac temetipſum, deſcendẽs de cruce, ſi filius Dei es, deſcende de cruce. Et ſtabat populus expectans. Et deridebat populus cum eis. Similiter enim & principes ſacerdotum illudentes ad alterutrum cum ſcribis & ſenioribus, dicebant: Alios ſaluos fecit, ſeipſum non poteſt ſaluum facere. Si Chriſtus Rex Iſraël eſt, deſcendat nunc de cruce, vt videamus, & credamus, & credimus ei: ſe ſaluum faciat, ſi hic eſt Chriſtus Dei electus. Confidit in Deo, liberet nunc eum, ſi vult. Dixit enim, Quia filius Dei ſum. Illudebant autem ei & milites accedentes,

&

& acetum offerentes ei, dicentes: Si tu es Rex Iudæorum, saluum te fac. Idipsum autem & latrones qui crucifixi erant cum eo, improperabant ei. Vnus enim de his qui pendebant latronibus, blasphemabat eum, dicens: Si tu es Christus, saluum fac te ipsum, & nos. Respondens autem alter, increpabat eum, dicens: Neq; tu times Deum, qui in eadem damnatione es? Et nos quidem iustè, nam digna factis recipimus, hic verò nihil mali gessit. Et dicebat ad IESVM: Domine memento mei cùm veneris in regnum tuum. Et dixit illi IESVS: Amen dico tibi, Hodiè mecum eris in paradyso. Stabant autem iuxta crucem IESV mater eius, & soror matris eius Maria Cleophæ, & Maria Magdalenæ. Cùm vidisset ergo IESVS matrem, & discipulum stãtem quem diligebat, dicit matri suæ: Mulier, eccè filius tuus. Deinde dicit discipulo: Eccè mater tua. Et ex illa hora accepit eam discipulus in suam. Erat autem ferè hora sexta, & facta hora sexta tenebræ factæ sunt super vniuersam terram, vsque in horam nonam. Et obscuratus est Sol. Et circa horam nonam exclamauit IESVS voce magna, dicens: Eli, Eli, lamma sabachthani, quod est interpretatum, Deus meus, Deus meus, vt quid dereliquisti me? Quidam autem illic stantes, & audientes, dicebant: Eccè

Eliam

Eliam vocat iste. Postea sciens IESVS, quia omnia iam consummata sunt, vt consummaretur Scriptura, dicit: Sitio. Vas ergo erat positum aceto plenum. Illi autem spongiam plenam aceto, hyssopo circumponentes, obtulerunt ori eius. Continuò enim currens vnus ex eis acceptam spongiam impleuit aceto, & imposuit arundini, & dabat ei bibere, dicens: Sinite, videamus si veniat Elias ad deponendum eum. Cæteri verò dicebant: Sine, videamus an veniat Elias liberans eum. Cùm ergo accepisset IESVS acetum, dixit: Consumatum est. IESVS autem iterum clamans voce magna, ait: Pater in manus tuas commendo spiritum meum. Et hæc dicens, emissa voce magna, & inclinato capite tradidit spiritum. Et eccè velum templi scissum est medium in duas partes a summo vsque deorsum, & terra mota est, & petræ scissæ sunt, & monumenta aperta sunt, & multa corpora sanctorum, qui dormierant, surrexerunt. Et exeuntes de monumentis post resurrectionem eius, venerunt in sanctam ciuitatem, & apparuerunt multis. Videns autem Centurio qui ex aduerso stabat, quod factum fuerat: quia sic clamans expirasset, glorificauit Deum, dicens: Verè hic homo iustus erat, verè hic homo filius Dei erat. Et qui cum eo erant custodientes IESVM, viso

terræ

terræ motu & his quæ fiebant, timuerunt valde, dicentes: Verè filius Dei erat iste. Et omnis turba eorum qui simul aderant ad spectaculum istud, videbant quę fiebant, percutientes pectora sua, reuertebantur. Erant autem ibi & mulieres multæ de longe aspicientes, quæ secutæ erant IESVM à Galilæa ministrantes ei, inter quas erat Maria Magdalene, & Maria Iacobi minoris, & Ioseph mater, & mater filiorum Zebedæi, Salome; & cùm esset in Galilæa, sequebantur eum, & ministrabant ei: & aliæ multæ, quæ simul cum eo ascenderant Hierosolymam. Stabant autem omnes noti eius à longè, & mulieres quæ secutæ eũ erãt à Galilæa hæc vidẽtes.

Iudæi ergo (quoniam parasceue erat) vt non remanerent in cruce corpora sabbato (erat enim magnus dies ille sabbati) rogauerunt Pilatum, vt frangerentur eorum crura, & tollerentur. Venerunt ergo milites, & primi quidem fregerunt crura, & alterius qui crucifixus est cum eo. Ad IESVM autem cùm venissent, vt viderunt eum iam mortuum, nõ fregerunt eius crura, sed vnus militum lancea latus eius aperuit, & continuò exiuit sanguis & aqua. Et qui vidit, testimonium perhibuit, & verum est testimonium eius. Et ille scit, quia vera dicit, vt & vos credatis: facta sunt enim hęc vt Scriptura impleretur, Os non comminue-

minuetis ex eo. Et iterum alia ſcriptura dicit: Videbunt in quem transfixerunt. Poſt hæc autem cùm iam ſerò factum eſſet (quia erat paraſceue, quod eſt ante ſabbatum) & eccè venit homo quidam diues ab Arimathea ciuitate Iudææ nomine Ioſeph, qui erat nobilis decurio, vir bonus & iuſtus, qui & ipſe diſcipulus erat IESV, hic non conſenſerat conſilio, & actibus eorum, qui expectabat & ipſe regnum Dei. Hic audacter introiuit ad Pilatum, & rogauit Pilatum Ioſeph ab Arimathea (eò quòd eſſet diſcipulus IESV, occultus autem propter metum Iudæorum) & petijt, vt tolleret corpus IESV. Pilatus autem mirabatur, ſi iam obiiſſet. Et accerſito Centurione interrogauit eum ſi iam mortuus eſſet. Et cùm cognouiſſet à Centurione, tunc Pilatus donauit corpus Ioſeph, & permiſit Pilatus, & iuſſit reddi corpus. Ioſeph autem mercatus ſindonem, venit & tulit corpus IESV, & deponens eum, accepto corpore, Ioſeph inuoluit illud depoſitum in ſindone munda, & poſuit illud in monumento ſuo nouo, quod exciderat in petra, in quo nondum quiſquam poſitus fuerat. Venit autem & Nicodemus, qui venerat ad IESVM nocte primùm, ferens mixturã myrrhę, & aloës, quaſi libras centum. Acceperunt ergo corpus IESV, & ligauerunt illud linteis cum

aro-

aromatibus, ſicut mos eſt Iudæis ſepelire. Erat autem in loco, vbi crucifixus eſt, hortus, & in horto monumentum nouum, in quo nondum quiſquam poſitus erat. Ibi ergo propter paraſceuen Iudæorum, quia iuxtà erat monumentum, poſuerunt IESVM. Et aduoluit Ioſeph ſaxum magnum ad oſtium monumenti, & abiit. Erant autem ibi Maria Magdalene: & altera Maria, ſedentes contra ſepulchrum. Maria autem Magdalene, & Maria Ioſeph aſpiciebant vbi poneretur. Et dies erat paraſceues,& ſabbatum illuceſcebat. Subſecutæ autem mulieres, quæ cum eo venerant de Galilæa,viderunt monumentum, & quemadmodum poſitum erat corpus eius. Et reuertentes parauerunt aromata & vnguenta, & ſabbato quidem ſiluerunt ſecundum mandatum. Altera autem die,quæ eſt poſt paraſceuen, conuenerunt principes ſacerdotum & Phariſæi ad Pilatum, dicentes: Domine recordati ſumus,quia ſeductor ille dixit adhuc viuens: Poſt tres dies reſurgam. Iube ergo cuſtodiri ſepulchrum vſque in diem tertium,ne fortè veniant diſcipuli eius,& furentur eum,& dicant plebi: Surrexit à mortuis; & erit nouiſſimus error peior priore. Ait illis Pilatus: Habetis cuſtodiam,ite,cuſtodite ſicut ſcitis. Illi autem abeuntes, munierunt ſepulchrum, ſignantes lapidem cum cuſtodibus.

Ora-

Oratio Ecclesiæ.

Deus, à quo & Iudas reatus sui pœnam, & confessionis suæ latro præmium, &c. vt suprà pag 274.

SABBATO SANCTO.

SVMMARIVM. Sequens epistola partim congratulatio, partim exhortatio est ad baptizatos. Olim enim præscriptus & constitutus hic erat dies, quo Catechumeni baptizarentur. Ex Euangelio discimus, & cras iterum clariusq; intelligemus, deuotarum Christo mulierum pia obsequia. Adhæret pars historiæ de Dominica resurrectione, vt piis matronis consolationem, sic impiis militibus formidinem vehementer adferens.

EPISTOLA AD COLOSS. III.

FRatres, Si consurrexistis cũ Christo, QVAE SVRSVM sunt quærite, vbi Christus est in dextera Dei sedens: quæ sursum sunt sapite, non quæ super terram. Mortui enim estis, & vita vestra abscondita est cum Christo in Deo. Cùm autem Christo apparuerit, vita vestra: tunc & vos apparebitis cum ipso in gloria.

EVANGELIVM MATH. XXVIII.

VEspere autem Sabbati, quæ lucescit in prima Sabbati, venit Maria Magdalena, & altera Maria videre sepulchrum. Et eccè terræ motus factus est magnus. Angelus enim Domini descendit de cælo: Et accedens reuoluit lapidem, & sedebat super eum. Erat autem aspectus eius

sicut fulgur: & vestimentum eius sicut nix. Præ timore autem eius exterriti sunt custodes, & facti sunt velut mortui. Respondens autem Angelus, dixit mulieribus: Nolite timere vos, scio enim quòd IESVM, qui crucifixus est, quæritis. Non est hîc: surrexit enim sicut dixit. Venite & videte locum, vbi positus erat Dominus. Et citò euntes dicite discipulis eius, quia surrexit: & eccè præcedet vos in Galilæam. Ibi eum videbitis: eccè, prædixi vobis.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui hanc sacratißimam noctem gloria Dominicæ resurrectionis illustras, conserua in noua familiæ tuæ progenie adoptionis spiritum quem dedisti: vt corpore & mente renouati, puram tibi exhibeant seruitutem, Per eundem Dominum nostrum

Hymnus Prudentij.

INVENTOR *rutili Dux bone luminis,*
Qui certis vicibus tempora diuidis:
Merso sole chaos ingruit horridum,
Lucem Christe tuis redde fidelibus.
Quamuis innumero sydere regiam,
Lunariq; polum lampade pinxeris,
Incußu silicis lumina nos tamen
Monstras saxigeno semine quærere.
Hoc signas opere Conditor inclyte,
Lumen veridicum mentibus omnium.

In Christo Domino quærere iugiter,
Quem petram loquitur doctor egregius.
Ne nesciret homo spem sibi luminis
In Christi solido corpore conditam,
Qui dici stabilem se voluit petram;
Nostris igniculis vnde genus venit.
Pinguis quos olei rore madentibus
Lychnis, aut facibus pascimus aridis:
Quin & fila fauis scirpea floreis,
Presso melle prius collita fingimus, &c.

DIE SANCTO PASCHÆ, VEL DOMINICA RE- surrectionis.

SVMMARIVM. *Hæc dies quam fecit Dominus: exultemus & lætemur in ea, Halleluia. Verè sancta, & incomparabilis planè diei huius Paschalísque festi in resurgente Christo celebritas: vnde totius anni Dominicæ suum vigorem ac splendorem, veluti à sole sydera, mutuantur. Honorificatus est Christus, vt Cypriani verbis vtamur, & gloriosæ laudis triumphos lætabunda hodiè canit Ecclesia: agunt in cælestibus hæc Paschalia gaudia ipsi Angelici spiritus, & resurgentis Domini gloriam admirantur, lætantur, & delectantur. Honorificatus est Christus resurgens à mortuis, victor mortis spolians inferos & captiuos præmittens ad superos. Huc vsque per humilitatis gra-*

dus ascendens modò & gloria & honore coronatus, nil mortale, nil paßibile retinens, impaßibilitatis & immortalitatis donauit nos gloria, & resurgentes in beatitudine constituit sempiterna. Celebrat hunc quoque diem insigni carmine Lactantius, & in eo canit:

Salue festa dies, toto venerabilis æuo,
Qua Deus infernum vicit, & astra tenet.
Ecce renascentis testatur gratia mundi,
Omnia cum Domino dona rediße suo.
Namque triumphanti post tristia tartara Christo,
Vndique fronde nemus, gramina flore fauent.
Legibus inferni oppreßis, super astra meantem,
Laudant ritè Deum lux, polus, arua, fretum.
Qui crucifixus erat Deus, ecce per omnia regnat
Dantq; creatori cuncta creata precem.

Verum huius festi vsum Epistola docet baptizatos, vt qui per baptismum azymi euaserunt, à peccati fermento se seruent immunes, vtque sic in vitæ nouitate ambulent quomodo Christus ad nouam & immortalem vitam nunquam iterum moriturus resurrexit. Iudæi suum Pascha in vmbra celebrant: nos in veritate & luce sic Pascha nostrum celebrare decet, vt à vitiis ad virtutē, & ex hoc mundo ad patrem lætum transitum faciamus. Marcus autem Euangelista, vt verum mystici Leonis rugitum agnoscas, sanctæ Christi resurrectionis nuncium primò per Angelum, deinde per mulieres sanctas allatum eße declarat, addens easrundem

rundem erga Christum sepultum pietatem officiosam, vt quem viuum egregiè dilexerant, mortuum etiam amicis obsequiis, piisqúe studiis cohonestarent. Augustinus de hoc festo die sic iudicat: Pascha Christi regnum est cæli, salus mundi, occasus inferni, gloria supernorum, resurrectio mortuorum, testimonium resurrectionis diuinæ, pretium redemptionis humanæ, cognitio mortis abolitæ. Hæc dies, quam fecit Dominus, celsior cunctis, lucidior vniuersis, qui defunctis vita, peccatoribus venia, sanctis est gloria.

EPISTOLA I. CORINTH. V.

FRatres, EXPVRGATE vetus fermentum, vt sitis noua conspersio, sicut estis azymi. Etenim Pascha nostrum immolatus est CHRISTVS: Itaque EPVLEMVR, non in fermento veteri, neque in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis.

EVANGELIVM MARC. XVI.

IN illo tempore, Maria Magdalene, & Maria Iacobi, & Salome, emerunt aromata, vt venientes vngerent IESVM. Et valdè mane vna sabbatorum, veniunt ad monumentum, orto iam sole, & dicebant ad inuicem: Quis reuoluet nobis lapidem ab ostio monumenti? Et respicientes, viderunt reuolutum lapidem. Erat quippe magnus valde. Et introeuntes in monumentum, viderunt iuuenem sedentem in dex-

tris, coopertum ſtola candida: & obſtupuerunt. Qui dixit illis: Nolite expaueſcere: IESVM quæritis Nazarenum crucifixum, ſurrexit, non eſt hic. Eccè locus vbi poſuerunt eum. Sed ite, dicite diſcipulis eius & Petro, quia præcedet vos ĩ Galilæã: ibi eũ videbitis, ſicut dixit vobis.

OBSERVATIO.

Vide Chriſtum Päſcha noſtrum tanquam cibalem Agnum immolatum, quo nobis epulandum eſt in Azimis &c. & ſacrificium incruentum recognoſce in Epiſtola, prout in Euangelio commendata erga ſepultum pietatis officia.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum, deuicta morte, reſeraſti, vota noſtra, quæ præueniendo aſpiras, etiam adiuuando proſequere, Per eundem Dominum noſtrum Ieſum &c.

Cantica Paſchalia.

Hæc dies quam fecit Dominus, exultemus & lætemur in ea. Confitemini Domino quoniam bonus: quoniam in ſeculũ miſericordia eius, Halleluia. Paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Epulemur in azymis ſynceritatis & veritatis, Halleluia.

Hymnus.

Victimæ paſchali laudes immolent Chriſtiani. Agnus redemit oues: Chriſtus innocens Patri reconciliauit peccatores. Mors & vita duello conflixere

miran-

mirando, Dux vitæ mortuus, regnat viuus. Dic nobis Maria, quid vidisti in via? Sepulchrum Christi viuentis, & gloriam vidi resurgentis. Angelicos testes, sudarium & vestes. Surrexit Christus spes mea, præcedet suos in Galilæa. Credendum est magis soli Mariæ veraci, quàm Iudæorum turbæ fallaci. Scimus Christum surrexisse ex mortuis verè: tu nobis victor Rex miserere. Amen. Halleluia.

FERIA II. PASCHÆ

SVMMARIVM. *Epistola insigne testimonium est de resurrectione Christi, quod Petrus edidit Cæsareæ apud Centurionē, cùm ei primum de Christo euangelizat, vitam, mortem, resurrectionem & potestatem Redemptoris breuiter explicans. Euangelium est de apparitione Christi iam rediuiui, facta duobus discipulis apud Emaus, in fractione panis. Hinc docemur in fide constantes esse, minimeq; dubitare, de sacris libenter colloqui, benè arguentem audire, erga peregrinos humaniter agere, mœstos consolari, & accepta Dei beneficia celebrare. Theophylactus Chrysostomum & Augustinum sequens, hîc fractionem panis de Domini carne interpretatur, & pulchrè hoc subiicit: Magnam & ineffabilem vim habet Domini caro: aperiuntur enim oculi sumentibus sacrum hunc panem, vt eum agnoscant: Præclarè & illud Tertullianus: Offeramus patientiam spiritus, patientiam carnis, qui resurrectionem carnis & spiritus credimus.*

EPISTOLARIS LECTIO ACT. XX.

IN diebus illis, Stans Petrus in medio plebis, dixit: Viri fratres, vos ſcitis quod factum eſt verbum per vniuerſam Iudęam: incipiens enim à Galilæa poſt baptiſmum quod prædicauit Ioannes, IESVM à Nazareth, quomodo vnxit eum Deus Spiritu ſancto & virtute, qui pertranſiuit benefaciendo, & ſanandó omnes oppreſſos à diabolo, quoniam Deus erat cum illo. Et nos teſtes ſumus omnium quę fecit in regione Iudęorum & Hieruſalem, quem occiderunt ſuſpendentes in ligno. Hunc Deus ſuſcitauit tertia die, & dedit eum manifeſtum fieri non omni populo, ſed teſtibus præordinatis à Deo, nobis qui manducauimns & bibimus cum illo, poſtquam ſurrexit à mortuis. Et præcepit nobis prædicare populo & teſtificari, quia ipſe eſt qui conſtitutus eſt à Deo iudex viuorum & mortuorum. HVIC OMNES PROPHETAE teſtimoniū perhibent, remiſſionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum.

EVANGELIVM LVC. XXIIII.

IN illo tempore, Duo ex diſcipulis IESV ibant ipſa die in caſtellum, quod erat in ſpatio ſtadiorum ſexaginta ab Hieruſalem, nomine Emaus: & ipſi loquebantur ad inuicem de his omnibus quæ acciderant. Et factum eſt, dum fabula-

bularentur & secum quærerent, & ipse IESVS appropinquans, ibat cum illis. Oculi autem illorum tenebantur, ne eum agnoscerent. Et ait ad illos: Qui sunt hi sermones quos confertis ad inuicem, ambulantes, & estis tristes? Et respondens vnus cui nomen Cleophas, dixit ei: Tu solus peregrinus es in Hierusalē, & non cognouisti quæ facta sunt in illa his diebus? Quibus ille dixit: Quæ? Et dixerunt: De IESV Nazareno, qui fuit VIR PROPHETA, POTENS in opere & sermone corām Deo & omni populo: & quomodò eum tradiderunt summi sacerdotes & principes nostri in damnationem mortis, & crucifixerunt eum. Nos autem sperabamus quia ipse esset redempturus Israël. Et nūc super hæc omnia tertia dies est hodiè, quòd hæc facta sunt. Sed & mulieres quædam ex nostris, terruerunt nos, quæ antè lucem fuerunt ad monumentum, & non inuento corpore eius, venerunt, dicentes se etiam visionem Angelorum vidisse, qui dicunt eum viuere. Et abierunt quidam ex nostris ad monumentum, & ita inuenerunt sicut mulieres dixerunt, ipsum verò non inuenerunt. Et ipse dixit ad eos: O STVLTI ET TARDI corde ad credendum in omnibus quæ locuti sunt Prophetæ. Nónne hæc oportuit pati Christum, & ita intrare in gloriam

ſuam? Et incipiens à Moyſe & omnibus Prophetis, interpretabatur illis in omnibus ſcripturis, quæ de ipſo erant. Et appropinquauerunt caſtello quò ibant, & ipſe ſe finxit longius ire. ET COEGERVNT ILLVM, dicentes: MANE nobiſcum, quoniam adueſperaſcit, & inclinata eſt iam dies. Et intrauit cum illis. Et factum eſt, dũ recumberet cũ eis, accepit panẽ, & benedixit ac fregit, & porrigebat illis. Et aperti ſunt oculi eorũ, & cognouerunt eũ: & ipſe euanuit ex oculis eorũ. Et dixerunt ad inuicem: NONNE COR NOSTRVM ardens erat in nobis, dũ loqueretur in via, & aperiret nobis ſcripturas? Et ſurgentes eadem hora, regreſſi ſunt in Hieruſalem: & inuenerunt congregatos vndecim, & eos qui cum illis erant, dicentes: Quòd ſurrexit Dominus verè, & apparuit Simoni. Et ipſi narrabant quæ geſta erant in via, & quomodò cognouerunt eum in fractione panis.

OBSERVATIO.

Confidendum ſanè de Diuina in Chriſto, & per Chriſtum miſericordia ita tamen, vt meminerimus iuſtitiæ; ſiquidem iuſſi ſunt Apoſtoli prædicare Chriſtum conſtitutum iudicem viuorum atque mortuorum in quem qui viua fide credunt remiſſionem peccatorũ accipiunt. Dogma de Euchariſtia ex Tertulliano annotauit ſummarium præcedens, tu in eandem ſententiam

tiã Augustinum lege fractionem panis Eucharistiam interpretantem.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui solennitate Paschali mundo remedia contulisti, populum tuum, quæsumus, cælesti dono prosequere: vt & perfectam libertatem consequi mereatur, & ad vitam proficiat sempiternam. Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

Hymnus Paschalis.

AD cœnã agni prouidi,
Et stolis albis candidi,
Post trãsitũ maris rubri,
Christo canamus prĩcipi.
Cuius corpus sanctißimũ,
In ara crucis torridum,
Cruore eius roseo
Gustãdo, viuimus Deo.
Protecti Paschæ vespere,
A deuastante Angelo,
Erepti de durißimo
Pharaonis imperio.
Iam Pascha nostrum Christus est,
Qui ĩmolatus agnus est;
Synceritatis azyma,
Caro eius oblata est.
O' verè digna hostia,
Per quam fracta sũt tartara,
Redẽpta plebs captiuata,
Reddita vitæ præmia.
Cõsurgit Christ' tumulo,
Victor redit de barathro,
Tyranni trudẽs vinculũ,
Et reserans paradisum.
Quæsumus author omniũ,
In hoc Paschali gaudio,
Ab omni mortis impetu
Tuũ defẽde populũ. Amẽ.

FERIA III. PASCHÆ.

SVMMARIVM. *Aliud testimonium de Christi resurrectione, quod Apostolus Paulus Antiochia prodi-*

prodidit apud Iudæos, eôdem adductis Propheticis oraculis. In Euangelio Christus resurrectionem suam discipulis comprobat, cùm se illorum oculis videndum, manibus contrectandum, in sumendo cibo mensæ socium, in docendo præceptorem & scripturarum interpretem præbet. Obserua, difficilem esse scripturarum cognitionem, & Euangelium non minus versari circa prædicationem pœnitentiæ, quàm circa promißionem gratiæ: nusquam verò præterquam in Catholica Ecclesia (illic enim Christus apud suos manet) rectè scripturas intelligi, & pœnitentiam agi salutarem. Ad has Paschales ferias pertinent illæ voces, scilicet quæ viuam fidem exigunt: Si Christus resurrexit, & nos resurgemus. Sicut in Adam omnes moriuntur: ita & in Christo omnes viuificabuntur. Deo gratias, qui dedit nobis victoriam per Dominum nostrum Iesum Christum. Si credimus quòd Iesus mortuus est & resurrexit, ita & Deus eos qui dormierunt per Iesum, adducet cum eo. 1 Cor. 15. 1. Thessal. 4. Sed & præcipua Iob afflicti consolatio fuit, Scio quòd Redemptor meus viuit, & in nouißimo die de terra surrecturus sum.

EPISTOLARIS LECTIO

Actorum XIII.

IN diebus illis, Surgens Paulus & manu silentium indicens, ait: Viri fratres, filij generis Abraham, & qui in vobis timent Deum, vobis ver-

verbum salutis huius missum est. Qui enim habitant Hierusalem & principes eius, ignorantes IESVM & voces Prophetarum, quæ per omne sabbatum leguntur, iudicantes impleuerunt. Et nullam causam mortis inuenientes in eo, petierunt à Pilato, vt interficerent eum. Cumque consummassent omnia quæ de eo scripta erant, deponentes eum de ligno, posuerunt in monumento. Deus vero suscitauit eum à mortuis tertia die: qui visus est per dies multos his qui simul ascenderant cum eo de Galilæa in Hierusalem, qui vsque nunc sunt testes eius ad plebem. Et nos vobis annuntiamus eam, quæ ad patres nostros repromissio facta est: quoniam hanc Deus adimpleuit filijs vestris, resuscitans IESVM CHRISTVM Dominum nostrum.

EVANGELIVM LVC. XXIIII.

IN illo tempore, Stetit IESVS in medio discipulorum suorum, & dixit eis: PAX VOBIS: EGO SVM: NOLITE TIMERE. Conturbati verò & conterriti, existimabant se spiritum videre. Et dixit eis: Quid turbati estis, & cogitationes ascendunt in corda vestra? Videte manus meas & pedes meos, quia ego ipse sum. Palpate & videte, quia spiritus carnem & ossa non habet, sicut me videtis habere. Et cum hoc dixisset, ostendit eis manus & pedes. Adhuc

huc autem illis non credentibus, & mirantibus præ gaudio, dixit: Habetis hîc aliquid quod manducetur? At illi obtulerunt ei partem piscis assi, & fauum mellis. Et cùm máducasset coràm eis, sumens reliquias, dedit eis. Et dixit ad eos: Hæc sunt verba quæ locutus sum ad vos, cum adhuc essem vobiscú: quoniam necesse est IMPLERI omnia quę scripta sunt in lege Moysi, & Prophetis, & Psalmis de me. Tunc aperuit illis sensum, vt intelligerent scripturas, & dixit eis. Quoniam sic scriptum est, & sic OPORTEBAT CHRISTVM pati, & resurgere à mortuis tertia die: & prędicari in nomine eius POENITENTIAM ET REMISSIONEM peccatorum in omnes gentes.

OBSERVATIO.

Quam multa inexpleta erunt, incruentum si tollas sacrificium Missæ, vt sunt Melchisedechi sacrificium, ac sacerdotium, Agni Paschalis immolatio antè manducationem, ruffa vitula libri, & tabernaculi aspersio totiusq; populi emundatio, Hirci duo, Danielis iuge sacrificium, oblatio munda omni in loco nomini domini oblata, & alia propemodum infinita.

Oratio Ecclesiæ.

Deus; qui Ecclesiam tuam nouo semper fœtu multiplicas, concede famulis tuis, vt sacramentum viuendo teneant, quod fide perceperunt, Per Dominum.

SVMMARIVM. *Et hîc perspicuè testatur Petrus, crucifixum à Iúdæis Christum reuixisse: nec solum Meßiæ necem, vt nephandum crimen, illis authoribus obiicit, sed etiam vt bonus medicus vulneratis medicinam salutarem, id est, pœnitentiam adhibet. Euangelium docet, Christum suis ad mare Tyberiadis seu Galileæ piscantibus ita, vt omnes rediuiuum agnoscerent, apparuisse, simulqúe adumbrasse munus illorum, quibus ad homines in Christi verbo piscandos Euangelicum rete commissum est. Laborantibus libenter adest Christus, præsertim qui operibus obedientiæ & charitatis dant operam, aut necessarium victum iustè sibi aliisqúe quæritant.*

EPISTOLA EX ACT. APOST. III.

IN diebus illis, Aperiens Petrus os suum, dixit: Viri Israëlitæ, & qui timetis Deum, audite: Deus Abraham, Deus Isaac, & Deus Iacob, Deus patrum nostrorum, glorificauit filium suũ IESVM, quem vos quidem tradidistis, & negastis antè faciem Pilati, iudicante illo dimitti: Vos autem sanctum & iustum negastis, & petistis, virum homicidam donari vobis: authorem verò vitæ interfecistis: quem Deus suscitauit à mortuis: cuius nos testes sumus: & in fide nominis eius, hunc quem vos videtis & nostis, confirmauit nomen eius: & fides quæ per eum est,

dedit integram sanitatem istam in conspectu omnium vestrûm. Et nunc fratres scio, quia per ignorantiam fecistis, sicut & principes vestri. Deus autem qui prænuntiauit per os omnium suorum Prophetarum pati Christum suum, sic impleuit. POENITEMINI igitur, & conuertimini, vt deleantur peccata vestra.

OBSERVATIO.

Qui prænunciauit filii mortem, impleuit, qua ratione scilicet prædixit, peruersa voluntaria seruorum contra hæredem molimina, nefariosq; ausus patre non volente quidem, sed filium, (vt se filius) hominum voluntati permittente, salutem mundi sitiente quamuis eorum scelere illata morte, à libero arbitrio profecta.

EVANGELIVM IOAN. XXI.

IN illo tẽpore, Manifestauit se iterum IESVS discipulis suis ad mare Tyberiadis. Manifestauit autem sic: Erant simul Simon Petrus & Thomas qui dicitur Didymus, & Nathanael qui erat à Canà Galilęæ: & filij Zebedæi, & alij ex discipulis eius duo. Dicit ei Simon Petrus: Vado piscari. Dicunt ei: Venimus & nos tecum. Et exierunt & ascenderunt in nauim, & illa nocte nihil prehendiderunt. Mane autem iam facto, stetit IESVS in litore: non tamen cognouerunt discipuli quia IESVS est. Dic ergo ei IESVS: Pueri, nunquid pulmentariu it

habetis?m

habetis? Reſponderunt ei: Non. Dicit eis: Mittite in dexteram nauigij rete, & inuenietis. Miſerunt ergo, & iam non valebant illud trahere præ multitudine piſcium. Dicit ergo diſcipulus ille quem diligebat IESVS, Petro: DOMINVS EST. Simon Petrus cùm audiſſet quia Dominus eſt, tunica ſuccinxit ſe (erat enim nudus) & miſit ſe in mare. Alij autem diſcipuli nauigio venerunt. Non enim longè erant à terra, ſed quaſi cubitis ducentis trahentes rete piſcium. Vt ergo deſcenderunt in terram, viderunt prunas poſitas, & piſcem ſuperpoſitum & panem. Dicit eis IESVS: Afferte de piſcibus quos prehendidiſtis nunc. Aſcendit Simon Petrus & traxit rete in terram plenum magnis piſcibus, centum quinquaginta tribus Et cùm tanti eſſent, non eſt ſciſſum rete. Dicit eis IESVS: Venite, prandete. Et nemo audebat diſcumbentium interrogare eum, Tu quis es: ſcientes quia Dominus eſt. Et venit IESVS, & accepit panem, & dabat eis, & piſcem ſimiliter. Hoc iam tertiò manifeſtatus eſt IESVS diſcipulis ſuis, cùm reſurrexiſſet à mortuis.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui nos reſurrectionis Dominicæ annua ſolennitate lætificas, concede propitius, vt per tempo-

valia festa quæ agimus, peruenire ad gaudia æterna mereamur, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

FERIA V. PASCHÆ.

SVMMARIVM. *Profertur historia de nobili Eunucho, quem in curru sedentem Philippus ex Esaia fidem Christi docuit, & citò edoctum baptizauit. Habet Euangelium & suam historiam de Magdalena plorante ad Dominicum monumentum. Tantæ charitati rependit hanc gratiam Christus, vt sub hortulani specie videndum se illi præbeat, ac per vnam velut Apostolam, Apostolos omnes consoletur. Vna Magdalena & doloris in domo Simonis, & hic amoris lachrymas docet nos fundere. Alibi Christus peregrini, nunc hortulani, & aliam subinde atque aliam speciem induit, cùm suis apparet. Qualis enim quisq; est, talis ei ferè videtur & apparet Deus, agnis agnus, leonibus leo; vt verum sit illud: Cum sancto sanctus eris, & cum peruerso peruerteris.*

LECTIO ACT. VIII.

IN diebus illis, Angelus Domini locutus est ad Philippum, dicens: Surge, & vade contrà meridianum ad viam quæ descendit ab Hierusalem in Gazam: Hæc est deserta. Et surgens, abijt. Et eccè vir Æthiops Eunuchus potens Candacis Reginæ Æthiopum, qui erat super omnes gazas eius, venerat adorare in Hierusalem, & reuertebatur sedens suprà currum suum, legensq;

legensque Esaiam Prophetam. Dixit autem spiritus Philippo: Accede, & adiunge te ad currum istum. Accurrens autem Philippus, audiuit eum legentem Esaiam Prophetam, & dixit: Putásne intelligis quę legis? Qui ait: Et quomodo possum, si nō aliquis ostenderit mihi? Rogauitque Philippum vt ascenderet, & sederet secum. Locus autem scripturæ quam legebat, erat hic: TANQVAM OVIS ad occisionem ductus est, & sicut agnus coràm tondente se sine voce, sic non aperuit os suum. In humilitate iudicium eius sublatum est. Generationem eius quis enarrabit? quoniam tolletur de terra vita eius. Respondens autem Eunuchus Philippo, dixit: Obsecro te, de quo Propheta dicit hoc? de se, an de alio aliquo? Aperiens autem Philippus os suū, & incipiens à scriptura ista, euangelizauit illi IESVM. Et dum irent per viam, venerunt ad quandam aquam. Et ait Eunuchus: Eccè aqua, quid prohibet me baptizari? Dixit autem Philippus: Si credis ex toto corde, licet. Et respondens, ait: CREDO FILIVM DEI ESSE IESVM CHRISVM. Et iussit stare currum: Et descenderunt vterque in aquam, Philippus & Eunuchus: & baptizauit eum. Cum autem ascendissent de aqua, spiritus Domini rapuit Philippum, & amplius nō vidit eum Eunuchus.

Ibat autem per viam suam gaudens. Philippus autem inuentus est in Azoto, & pertransiens euangelizabat ciuitatibus cunctis, donec veniret Cæsaream, nomen Domini nostri IESV Christi.

OBSERVATIO.

Vtinam Idiotæ, atque ii omnes qui negocia curant, nec ad opus ministerii spiritualis vocati sunt, Eunucho isti similes essent, nõ alta sapientes aut ob ducto supercilio scripturas sacras tractantes quæ non intelligũt ostendi sibi postularent a Philippis, Augustinis, Hieronymis &c. At quærimonia Hieronymiana ad Paulinum si vnquam antehac, nunc tempus quammaximè, Sola scripturarum ars est &c.

EVANGELIVM IOAN. XX.

IN illo tempore, Maria stabat ad monumentum foris plorans. Dum ergo fleret, inclinauit se, & prospexit in monumentum. Et vidit duos Angelos in albis sedentes, vnum ad caput & vnum ad pedes, vbi positum erat corpus IESV. Dicunt ei illi: Mulier quid ploras? Dicit eis: QVIA TVLERVNT DOMINVM MEVM, & nescio vbi posuerunt eum. Hæc cùm dixisset, conuersa est retrorsum, & vidit IESVM stantem, & non sciebat quia IESVS est. Dicit IESVS: Mulier quid ploras, quem quæris? Illa existimãs quia hortulanus esset, dicit ei: Domine, si tu sustuli-

ſtuliſti eum, dicito mihi vbi poſuiſti eum: & ego eum tollam. Dicit ei IESVS: Maria. Conuerſa illa, dicit ei: Rabboni, quod dicitur magiſter. Dicit ei IESVS: Noli me tangere. Nondum enim aſcendi ad Patrem meum. VADE autem ad fratres meos, & dic eis: Aſcendo ad Patrem meum & Patrem veſtrum, Deum meum, & Deum veſtrum. Venit Maria Magdalena annuntians diſcipulis, quia vidi Dominum, & hęc dixit mihi.

Oratio Eccleſiæ.

Deus qui diuerſitatem gentium in confeſſione tui nominis adunaſti, da vt renatis fonte baptiſmatis vna ſit fides mentium, & pietas actionum, Per Domin.

FERIA VI. PASCHÆ

SVMMARIVM. *Proponit Epiſtola ingentem fructum paßionis, mortis, & reſurrectionis Chriſti, & ad baptizatos applicat, vt ritè ſciamus vti tanto beneficio Redemptoris. Eôdem quoque ſpectat Euangeliū, quo Chriſti reſurrectio, & euangelizandi Baptizandíque munus Apoſtolis Eccleſiæq; verè miniſtris commendatus. Manet perpetuo Chriſtus in Eccleſia, ſed qui profit tantùm obedientibus, quia doceri & ſeruari vult omnia quæ ipſe mandauit.*

EPISTOLA I. PETRI III.

CHariſſimi, Chriſtus ſemel pro peccatis noſtris mortuus eſt, iuſtus pro iniuſtis: vt nos

offerret Deo, mortificatos quidem carne, viuificatos autem ſpiritu. In quo, & his qui in carcere erant ſpiritibus, veniens prædicauit: qui increduli fuerant aliquandò, quando expectabant Dei patientiam in diebus Noë, cũ fabricaretur arca, in qua pauci, id eſt, octo animæ ſaluæ factę ſunt per aquam. Quod & vos nunc ſimilis formę ſaluos facit baptiſma: non carnis depoſitio ſordium, ſed conſcientiæ bonæ interrogatio in Deum per reſurrectionem Domini noſtri IESV Chriſti, qui eſt in dextera Dei.

EVANGELIVM MATH. XXVIII.

IN illo tempore, Vndecim diſcipuli abierunt in Galilæam in montem vbi conſtituerat illis IESVS. Et videntes eum adorauerunt: Quidam autem dubitauerunt. Et accedens IESVS, locutus eſt eis, dicens: Data eſt mihi omnis poteſtas in cœlo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes, baptizãtes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti: DOCENTES eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. ET ECCE EGO vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi.

OBSERVATIO.

Eccè tibi Baptiſma ſalutis inſtrumentum, non ſignum tantummodò: Doctrinam Chriſtianam obſeruantiam mandatorum Dei requirentem, fideiq;

firmitatem quod ecclesiæ suæ in finem vsque seculi Christus aßistat.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, qui Paschale sacramentum in reconciliationis humanæ fœdere contulisti, da mentibus nostris, vt quod proceßione celebramus, imitemur effectu, Per Dominum nostrum.

SABBATO POST PASCHA.

SVMMARIVM. *Pro veteri quidem more Patrum hoc tempore agit Ecclesia cum recens baptizatis, quos instar infantium hodiè & cras prouocat ad innocentiam ac vitæ simplicitatem retinendam: quibus & Christum suæ salutis authorem, & Christianæ profeßionis dignitatem ob oculos ponit atq; commendat. Hæc in Epistola tractantur, cui adhæret Euangelium de studio Magdalenæ, Petri & Ioannis in monumento Dominico inuisendo. Latet autem pulchrum hîc mysterium, quod è gentibus baptizatos recreet. Currebant duo simul, Petrus & Ioannes. hic prior ad monumentum venit & non introiuit, nempè synagogam significans, quæ habens legem & Prophetas, prior Dominicam Paßionem legit, sed credere in mortuum noluit. Petrus autem posterior venit, sed prior introiuit, vt typum videas gentium, qui posterius ad paßionis Christi notitiam peruenerunt, sed prius ad fidem accesserunt. Magna prudentiæ pars est, in*

tempore Christum quærere diligenter, et gratiam eius, ardenter desiderare.

EPISTOLA I. PET. II.

CHarissimi, Deponétes omnem malitiam, & omnem dolum, & simulationes, & inuidias, & omnes detractiones, SICVT MODO geniti infantes, rationabiles sine dolo lac concupiscite: vt in eo crescatis in salutem, si tamen gustastis quoniam dulcis est Dominus. Ad quem accedentes lapidem viuum, ab hominibus quidem reprobatum, à Deo autem electum & honorificatum: & ipsi tanquam lapides viui superædificamini domos spirituales, sacerdotium sanctum, offerre spirituales hostias, acceptabiles Deo per IESVM Christum. Propter quod cõtinet Scriptura, Eccè ponam in Sion lapidem summum angularem, probatum, electum, pretiosum, & qui crediderit in illum, non confundetur. Vobis igitur honor credentibus: non credentibus autem lapis quẽ reprobauerunt ædificantes, hic factus est in caput anguli: ET LAPIS OFFENSIONIS ET PETRA SCANDALI his qui offendunt verbo, nec credunt in quo & positi sunt. Vos autem genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis: vt virtutes annuntietis eius qui de tenebris vos vocauit in

admi-

admirabile lumen ſuum. Qui aliquandò non populus, nunc autem populus DEI: qui non conſecuti miſericordiam, nunc autem miſericordiam conſecuti.

OBSERVATIO.

Quod regale ſacerdotium populus Chriſtianus appelletur à Io. non efficit ſacerdotes omnes vt ſint eo ſacerdotio in quo gratia per manuum impoſitionem recipitur de qua Paulus. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. ſed illud aſtruit electos nos à Deo, vt illi ſacrificemus vitulos labiorum noſtrorũ, eadem ratione ſacerdotium facti, qua & regnum, non offendentes ad petram ſcandali.

EVANGELIVM IOAN. XX.

IN illo tempore, Vna ſabbati Maria Magdalenæ venit manè, cùm adhuc tenebræ eſſent, ad monumentum: & vidit lapidem ſublatum à monumento. Cucurrit ergo & venit ad Simonem Petrum, & ad alium diſcipulum quem diligebat IESVS, & dixit eis: Tulerunt Dominum de monumento, & neſcimus vbi poſuerunt eum. Exiit ergo Petrus & ille alius diſcipulus, & venerunt ad monumentum. Currebant autem duo ſimul; & ille alius diſcipulus præcucurrit citiùs Petro, & venit primus ad monumentum. Et cùm ſe inclinaſſet, vidit linteamina poſita: non tamen introiuit. Venit ergo Simon Petrus ſequens eum, & introi-

uit

uit in monumentum. Et vidit linteamina posita, & sudarium quod fuerat super caput eius, nō cum linteaminibus positum, sed separatim inuolutum in vnum locum. Tunc ergo introiuit & ille discipulus qui venerat primus ad monumentum: & vidit & credidit. Nondum enim sciebant scripturas, quia oporteret eum à mortuis resurgere.

OBSERVATIO.

O terq; quaterq; beata Sabauda inclyta domus, cuius religiosissimæ custodiæ sacra Sindō cōmissa est.

Oratio Ecclesiæ.

Concede, quæsumus omnipotens Deus, vt qui festa Paschalia venerando egimus, per hæc contingere ad gaudia æterna mereamur, Per Dominum nostrum.

DOMINICA I. POST PASCHA, QVAE ET IN ALBIS DICTA.

SVMMARIVM. *Veteris Ecclesiæ fuit institutum, baptizare fidei nostræ candidatos sabbato sancto, id est, pridie Paschatis, & baptizatos albis vestibus induere, quas postquàm hebdomada tota gestassent, hesterno sabbato deponebant. Hinc durant etiānum hæc nomina, sabbatum & Dominica in albis. Admonebat autem illa ceremonia baptizatos partim acceptæ, partim retinendæ atque confirmandæ puritatis & innocentiæ, quam in baptismo per Christum accepissent. Atque huc non malè quadrat Epi-*

Stola

stola Ioannis, quæ baptizatis repetit ac proponit mirabilem Dei filiorum generationem, & regeneratorum in Christo virtutem, veramq; fidei operationem in mundo vincendo, & Christo cognoscendo. Euangelium quoque clarum fidei testimonium præbet, dum sicut alia totius hebdomadæ superioris Euangelia, resurrectionem Christi (quæ fidei, spei & salutis Christianæ basis existit) euidenter astruit, ac præcipuè per Thomæ prius dubitantis confeßionem potenter illustrat. Sunt & alii insignes hîc loci, de pace vera, de gaudio Christiano, de clauibus Ecclesiæ: de dignitate itidem, mißione, vocatione & potestate sacerdotum, de pastorum erga oues errantes officio, de fide gentium, & fidei virtute atque commendatione, de pluribus etiam credendis, quàm quæ scripta legimus.

EOISTOLA I. IOAN. V.

CHarissimi, Omne quod natũ est ex Deo, vincit mundum: & hæc est victoria, quæ vincit mundum, fides nostra. Quis autem est qui vincit mundum, nisi qui credit, quoniam IESVS est filius Dei? Hic est enim qui venit per aquã & sanguinem IESVS Christus. Non in aqua solùm, sed in aqua & sanguine. Et spiritus est qui testificatur, quoniam spiritus est veritas, quoniam tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus: & hi

hi tres vnum sunt. ET TRES sunt qui testimonium dant in terra: spiritus, aqua & sanguis: & hi tres vnum sunt: Si testimonium hominum accipimus, testimonium Dei maius est: quoniam hoc est testimoniũ Dei quod maius est, quia testificatus est de filio suo: Qui credit in filium Dei, habet testimonium Dei in se.

EVANGELIVM IOAN. XX.

CVm serò esset die illo vna sabbatorum, & fores essent clausæ, vbi erant discipuli cõgregati propter metum Iudæorum, venit IESVS & stetit in medio, & dicit eis: PAX VOBIS. Et cùm hoc dixisset, ostendit eis manus & latus. Gauisi sunt ergo discipuli, viso Domino. Dixit ergo eis iterum: Pax vobis Sicut misit me Pater, & ego mitto vos. Hæc cùm dixisset, INSVFflauit, & dixit eis: Accipite Spiritum sanctum. QVORVM remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retẽta sunt. Thomas autem vnus ex duodecim, qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit IESVS. Dixerunt ergo ei alij discipuli: Vidimus Dominum. Ille autem dixit eis: Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius, non credam. Et post dies octo iterum erant discipuli

eius intus,& Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis,& stetit in medio,& dixit eis:Pax vobis. Deinde dixit Thomæ: Infer digitum tuum huc,& vide manus meas:& affer manum tuam,& mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis. Respondit Thomas,& dixit ei: DOMINVS meus, & DEVS meus. Dicit ei IESVS: Quia vidisti me Thoma, credidisti: BEATI qui non vidérunt & crediderunt. Multa quidem & alia signa fecit IESVS in conspectu discipulorum suorum, quæ non sunt scripta in libro hoc. Hæc autem scripta sunt vt credatis, quia IESVS est Christus filius Dei,& credentes,vitã habeatis in nomine eius.

OBSERVATIO.

Cæremoniam insufflationis,qua sæpè vtitur Ecclesia,à Christo dimanaße vides, Auctoritatem peccata remittendi agnoscis,ex qua Pœnitentiæ sacramentum,& eius partem alteram, Confeßionem, Patres conciliaq; depromunt. Demum non omnia scripta eße quæ Christianum credere oportet.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta quæsumus omnipotens Deus, vt qui Paschalia festa peregimus,hæc,te largiente, moribus & vita teneamus,Per dominum nostrum IESVM Chri.

Canticum Paschale.

Halleluia, Surrexit pastor bonus, qui posuit animam

mam suam pro ouibus suis, & pro suo grege mori dignatus est, Halleluia.

DOMINICA II. POST PASCHA.

SVMMARIVM. *Habet hæc Epistola commune cum Euangelio, quod vtrobique Christus verè & summè bonus esse pastor ostenditur. Pascit ille nos verbo, doctrina, & exemplo vitæ sanctissimæ, proponens ouibus imitandam suam mansuetudinem, patientiam, innocentiam, iustitiam, veluti Petrus ostendit. Pascit sacrificio corporis & sanguinis sacrosancti, sicut sese in cruce pro nobis obtulit: pascit in venerabili sacramento, vbi se panem viuum edentibus tribuit. Tractat prætereà Euangelium de infideli mercenario, de lupo rapaci, & amatis Christi ouibus, quas probè pasci atque conseruari maximè conuenit. Habent ministri Ecclesiæ: habent & oues, quod in summo optimóque pastore Christo & ament, & imitentur. Bonus pastor cum Christo colligit, & suum gregem fide curat maxima. Ouium est, pastoris audire vocem, lupum fugere, & cum reliquo grege in pascuis & ouili coniunctum versari.*

LECTIO I. PETRI II.

CHarissimi, CHRISTVS passus est pro nobis, vobis relinquens exemplum, vt sequamini vestigia eius. Qui peccatum nō fecit, nec inuentus est dolus in ore eius. QVI CVM ma-

malediceretur, nō maledicebat: cum pateretur, non comminabatur. Tradebat autem iudicanti se iniustè, quia peccata nostra ipse pertulit in corpore suo super lignum VT PECCATIS mortui, iustitiæ viuamus, cuius liuore sanati estis. Eratis enim sicut oues errantes, sed conuersi estis nunc ad pastorem & episcopum animarum vestrarum.

OBSERVATIO.

Vides non satis esse ad salutem peccata nostra super lignum perlata fuisse, sed illud oportere peccatis ita mori nos, vt viuamus iustitiæ. cætera summariū continet.

EVANGELIVM IOAN. X.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Ego sum pastor bonus. BONVS pastor animam suam dat pro ouibus suis. Mercenarius autem, & qui non est pastor, cuius non sunt oues propriæ, videt lupum venientem, & dimittit oues, & fugit: et lupus rapit & dispergit oues. Mercenarius autem fugit, quia mercenarius est, & non pertinet ad eum de ouibus. Ego sum pastor bonus, & cognosco oues meas, & cognoscunt me meæ. Sicut nouit me Pater, & ego agnosco Patrem, & animam meam pono pro ouibus meis. Et alias oues habeo, quæ non sunt ex hoc ouili. Et illas oportet me adducere, &

vocem meam audient, fiet vnum ouile & vnus pastor.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui in filii tui humilitate iacẽtem mundum erexisti, fidelibus tuis perpetuam concede lætitiam: vt quos perpetuæ mortis eripuisti casibus, gaudiis facias perfrui sempiternis, per eundem Dominum nost.

DOMINICA III. POST PASCHA, QVAE DICITVR. Iubilate.

SVMMARIVM. *In Epistola refelluntur, qui Christianam libertatem sic accipiunt atque iactant, vt ea licenter ac turpiter abutantur. Vera in Christo libertas hominem vitiis carnísque desideriis liberat, Deo & magistratibus obedientem reddit, & ad omne officium proximis deferendum instruit, promptiorémque facit. Tollunt igitur & abrogant Euangelicam libertatem, qui prætextu Euangelii suis inseruiunt cupiditatibus, & noua tuentur dogmata, qui contrà Ecclesiam & ecclesiasticas leges excipiunt insolenter, qui spiritualem libertatem in carnalem vitæ licentiam transformant, vt quæ libent, etiam in religione sibi suíque similibus licere arbitrentur. Hæc præpostera & perniciosa libertas est, quam Petrus & Apostolicæ literæ damnant. Euangelium non solum Apostolis, sed & verè piis omnibus crucem prænunciat, quam cum Christo duce ferre necesse sit: &*

rursus

rursus afflictos promißione futuri successus, & æternæ vitæ præmiis consolatur. Fœlix profectò huius seculi tristitia, aut certè leuis omnis ærumna putanda est, quæ cum immensa illa & nunquam desitura cæli lætitia piis commutatur. Rursus fallax & momentanea impiorum voluptas, lætitiáque censenda, quæ perpetuis lamentis atque tormentis apud inferos acerbissimis terminatur. Ducunt enim in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. Multæ autem tribulationes iustorum: & de his omnibus liberabit eos Dominus.

EPISTOLA I. PETRI II.

CHarissimi, Obsecro vos, tanquam aduenas & peregrinos, abstinere vos à carnalibus desideriis, quæ militant aduersus animam: conuersationem vestram inter gentes habentes bonam, vt in eo quod detractant de vobis tanquam de malefactoribus, ex bonis operibus vos considerantes, glorificent Deum in die visitationis. SVBIECTI igitur estote omni humanæ creaturæ propter Deum; siue regi, quasi præcellenti; siue ducibus, tanquam ab eo missis ad vindictam malefactorum, laudem verò bonorum: quia SIC EST voluntas Dei, vt benè facientes obmutescere faciatis imprudentium hominum ignorantiam: QVASI liberi, & non quasi velamen habentes malitiæ libertatem,

ſed ſicut ſerui Dei. Omnes honorate, fraternitatem diligite, Deum timete, Regem honorificate. SERVI, ſubditi eſtote in omni timore dominis, non tantùm bonis & modeſtis, ſed etiam diſcolis. Hæc eſt enim gratia Dei in Chriſto IESV Domino noſtro.

EVANGELIVM IOAN. XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Modicum, & iam non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me: quia vado ad Patrem. Dixerunt ergo ex diſcipulis eius ad inuicem: Quid eſt hoc, quod dicit nobis, Modicum, & non videbitis me: & iterum, modicum, & videbitis me, & quia vado ad Patrem. Dicebant ergo, Quid eſt hoc quod dicit, Modicum? neſcimus quid loquitur. Cognouit autem IESVS, quia volebant eum interrogare, & dixit eis: De hoc quæritis inter vos quia dixi, Modicum, & non videbitis me: & iterum modicum, & videbitis me. Amen amen dico vobis, quia PLORABITIS & flebitis vos, mundus autem gaudebit: vos autem contriſtabimini, ſed triſtitia veſtra vertetur in gaudiũ. MVLIER cùm parit, triſtitiam habet, quia venit hora eius: cùm autem peperit puerum, iam non meminit preſſuræ propter gaudium, quia natus eſt homo in mundum. Et vos igitur

nunc quidem tristitiam habetis: ITERVM autem videbo vos, & gaudebit cor vestrum, & gaudium vestrum nemo tollet à vobis.

OBSERVATIO.

Et dogmatis & morum, plenè summarium obseruationem continet diligenter certè perpendendum.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui errantibus (vt in viam possint redire iustitiæ) veritatis tuæ lumen ostendis: da cunctis qui Christiana professione censentur, & illa respuere quæ huic inimica sunt nomini, & ea quæ sunt apta sectari, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA IIII. POST PASCHA, QVAE CANTATE dicitur.

SVMMARIVM. *Ex Epistola discimus, diuinitùs dari præstantia munera, & præcipuè quod in Christo regeneramur. Regeneratis autem cauenda sunt hæc vitia, loquacitas, iracundia, malitia, & id genus alia carnis ac spiritus inquinamenta. Euangelium partim est consolatorium, vt tristes discipulorum animi lenius ferant magistri discessum atque mortem: partim credentes omnes instruit & confirmat de futuro semper in Ecclesia paracleto. Nunquam enim officio suo deest promissus & datus ille Christi spiritus, sed vsque pergit esse quod dicitur, Spiritus & doctor veritatis, qui & mundum arguit, &*

inter iustitiam hominum iniustitiámque discernit, & oppugnatam Christi gloriam omnemqúe fidei veritatem vindicat, nihil vt contra Ecclesiam efficiant portæ inferorum. Confirmatur hic Bernardi sententia: Delicata est diuina consolatio, non datur admittentibus alienam.

EPISTOLA IACOBI I.

CHarissimi, OMNE datum optimum, & omne donum perfectum, desursum est, descendens à Patre luminum, apud quem non est transmutatio, nec vicissitudinis obumbratio. Voluntariè enim genuit nos verbo veritatis, vt simus initium aliquod creaturæ eius. Scitis fratres mei dilectissimi: Sit autem omnis homo velox ad audiendum, tardus autem ad loquendum, & tardus ad iram. Ira enim viri, iustitiam Dei nõ operatur. Propter quod abiicientes omnem immunditiam & abundantiam malitiæ, in mansuetudine suscipite insitum verbum, quod potest saluare animas vestras.

EVANGELIVM IOAN. XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Vado ad eum qui me misit, & nemo ex vobis interrogat me, quò vadis. Sed quia hæc locutus sum vobis, tristitia impleuit cor vestrum. Sed ego veritatem dico vobis: expedit vobis vt ego vadam. Si enim non abiero, pa-

racletus non veniet ad vos. Si autem abiero, mittam eum ad vos. Et cum venerit ille, arguet mundum de peccato, & de iustitia, & de iudicio. De peccato quidem, quia non crediderunt in me. De iustitia verò, quia ad Patrem vado, & iam nõ videbitis me. De iudicio autem, quia princeps huius mundi iam iudicatus est. Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Non enim loquetur à semetipso: sed quęcunque audiet, loquetur: & quæ ventura sunt, annuntiabit vobis. Ille me clarificabit, quia de meo accipiet, & annuntiabit vobis.

OBSERVATIO.

Si Apostoli dicenda omnia ferre non poterant spiritu sancto nondum accepto, quæ illa est in perscrutandis religionis nostræ mysteriis improbißimorum hominum intemperantia? Porrò si scripta sunt quæ dixit Christus, vbi ea omnia quæ spiritus sanctus, qui in finem vsque mundi docturus est? in ecclesiæ sanè Catholicæ pectore exarata.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui fidelium mentes vnius efficis voluntatis, da populis tuis id amare quod præcipis, id desiderare quod promitis: vt inter mundanas varietates ibi nostra fixa sint corda, vbi vera sunt gaudia, Per.

DOMINICA V. POST PASCHA, QVAE DICITVR Vocem Iucunditatis.

SVMMARIVM. *Non sat est Christiano Dei verbum audire, Euangelium profiteri, veritatem scire, fidémque iactare. Vera religio beat hominem, si obedientia charitatísque operibus comprobetur, & animus à vitiis mundi seruetur immunis, sicut Epistola docet. In Euangelio suos Christus consolatur, & mæstos ingentibus promissis erigit, precationis virtutem commendans maximè. Multa verò ad rectè perfectéque precandum pertinent, vtpotè fides, humilitas, pœnitentia, constantia. In Christi nomine precatur, & precata est semper Ecclesia, etiam cùm Dei sanctos & angelos inuocat, eósque apud Deum intercessores implorat. Nam propter Dominum amicos eius honorat, & in membris potioribus caput Christum prædicat, illúmque sanctorum precatione & mutua intercessione delectari nouit. Postrema Euangelii pars est confessio eximia discipulorum, qua suã de Christi sapientia fidem explicant.*

EPISTOLA IACOBI I.

CHarissimi, ESTOTE factores verbi, & non auditores tantùm, fallentes vosmetipsos. Quia si quis auditor est verbi, non factor, hic comparabitur viro consideranti vultum natiuitatis suæ in speculo: considerauit enim

enim ſe,& abiit,& ſtatim oblitus eſt qualis fuerit. Qui autem perſpexerit in lege perfectæ libertatis, & permanſerit in ea, non auditor obliuioſus factus, ſed factor operis, hic beatus in facto ſuo erit. SI QVIS autem putat ſe religioſum eſſe, non refrenans linguam ſuam, ſed ſeducens cor ſuum, huius vana eſt religio. RELIGIO munda & immaculata apud Deum & Patrem hæc eſt, viſitare pupillos & viduas in tribulatione eorum, & immaculatum ſe cuſtodire ab hoc ſeculo.

OBSERVATIO.

Et adhuc audito Iacobo de ſola fide gloriatur hæretici? Obſeruationem dogmatis de ſanctorum inuocatione ſummarium continet: abutantur enim Euangelicis verbis, in nomine meo, hæretici, qui ad ſuum peruerſum ſenſum ſcripturam trahunt repugnantem.

EVANGELIVM IOAN. XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis, SI QVID petieritis Patrem in nomine meo, dabit vobis. Vſque modò non petiſtis quidquam in nomine meo. PETITE, & accipietis, vt gaudium veſtrum ſit plenum. Hæc in prouerbiis locutus ſum vobis. Venit hora, cùm iam non prouerbiis loquar vobis, ſed palàm de Patre meo annuntiabo vobis. In illo die in nomi-

ne meo petetis. Et non dico vobis, quia ego rogabo Patrem de vobis. Ipse enim pater amat vos, quia vos me amastis, & credidistis quia à Deo exiui. EXIVI à patre, & veni in mundum: iterum relinquo mundū, & vado ad Patrem. Dicunt ei discipuli eius: Eccè nunc palàm loqueris & prouerbium nullum dicis. Nunc scimus quia scis omnia, & non opus est tibi, vt quis te interroget. In hoc credimus, quia à Deo existi.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, à quo bona cuncta procedunt, largire supplicibus tuis, vt cogitemus te inspirante quæ recta sunt, & te gubernante eadem faciamus, Per Domin.

DIEBVS ROGATIONVM QVAS ET LITANIAS vocant.

SVMMARIVM. *Vetus mos in Ecclesia Dei obtinet, supplicationes publicas & triduanas solennes rogationes, mox ante Christi ascensionem institui & obseruari. Sic autem orandi sedulitas populo commendatur, vt omnes velut iam iam abituro in cælum Domino sese & negotia sua, imò & totius Ecclesiæ accuratè commendent, & singularem ab illo benedictionem quæ Apostolis obtigit, petere videantur. Igitur de precando precandiq; vsu ac fructu tùm præcedentes, tùm sequentes lectiones monent. Vetus autem valdéque celebris in Ecclesia vsus est Litaniæ, in quo*

sanctos

sanctos honoramus ac imploramus, partim indignitatis nostræ ad exorandum Deum nobis conscii, partim Catholica fide suffulti, nimirum confidentes, non modò nostras sed etiam aliorum, & maximè sanctorum pro nobis in cælo preces propter Christum efficaces fore, quod in Christi nomine & illi à Patre pro nobis petant accipiantqúe. In hunc modum orarunt, & orare cum Ecclesia docuerunt Chrysostomus, Basilius, Ambrosius, Augustinus, Gregorius, Aliiq; tùm Græci, tùm Latini Patres, vt eorũ scripta testãtur. Irenæus hæreticis exprobrat, quod ad beneficia miseris exibẽda nullam à Deo gratiã impetrent: de Catholicis autem ita scribit: Sæpissimè propter aliquid necessarium ea quæ est in quoquo loco Ecclesia vniuersa postulante per ieiunium & supplicationem multam, reuersus est spiritus mortuo, & donatus est homo orationibus sanctorum. Sic ille lib. 2 cap. 57. Tùm apud Iustinum & Tertullianum extat nobilis historia de Marco Aurelio Cæsare, qui cùm in Germanica esset expeditione, per Christianos milites Deum comprecantes impetrauit imbres, vt grauissima sitis exercitus depelleretur. Et addit Tertullianus: Quando non geniculationibus & ieiunationibus nostris etiam siccitates sunt depulsæ? Libro ad Scapulam.

EPISTOLA IACOBI V.

CHarissimi, Confitemini alterutrũ peccata vestra: & ORATE pro inuicem, vt salue

mini. MVLTVM enim valet deprecatiò iùſti aſſidua. Helias homo erat ſimilis nobis paſſibilis:& oratione orauit, vt non plueret ſuper terram, & non pluit annos tres & menſes ſex. Et rurſum orauit, & cælum dedit pluuiam, & terra dedit fructum ſuum. Fratres mei, SI QVIS ex vobis errauerit à veritate, & conuerterit quis eum: ſcire debet, quoniam qui conuerti fecerit peccatorem ab errore viæ ſuæ, ſaluabit animam eius à morte, & operit multitudinem peccatorum.

OBSERVATIO.

Confeßionem quæ fieri debet ſacerdoti non tollit vox illa alterutrum, quandoquidem peccata mortalia remittere ſoli illi poßunt, qui inſufflatione & manuū impoſitione ſpiritum ſanctum acceperunt. Io. 20. 1. Tim. 4. 2. Tim. 1. Nihil autem prohibet venialia etiam alii quā ſacerdoti confiteri humilitatis cauſa.

EVANGELIVM LVC. XI.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Quis veſtrum habebit amicum, & ibit ad illum media nocte, & dicet illi: Amice, cōmoda mihi tres panes, quoniā amicus meus venit de via ad me, & non habeo quod ponam antè illum: Et ille intus reſpondens, dicat: Noli mihi moleſtus eſſe, iam oſtium clauſum eſt, & pueri mei mecum ſunt in cubili: non poſſum ſurgere

&

& dare tibi. Et ille si perseuerauerit pulsans, dico vobis etsi nõ dabit illi surgens, eò quòd amicus eius sit, propter improbitatem tamen eius surget, & dabit illi quotquot habet necessarios. Et ego vobis dico: PETITE, & dabitur vobis: quærite, & inuenietis: pulsate, & aperietur vobis. OMNIS enim qui petit, accipit: & qui quærit, inuenit: & pulsanti aperietur. Quis autẽ ex vobis patrem petit panem, nunquid lapidem dabit illi? Aut piscem: nunquid pro pisce serpentem dabit illi? Aut si petierit ouum: nunquid porriget illi scorpionem? Si ergo, vos cùm sitis mali, nostis bona data dare filiis vestris quanto magis Pater vester cælestis dabit Spiritum sanctum petentibus se.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, vt qui in afflictione nostra de tua pietate confidimus, contra aduersa omnia tua semper protectione muniamur, Per.

IN VIGILIA ASCENSIONIS DOMINI.

SVMMARIVM. *De ascensione Domini testatur Epistola, simulquè confirmat Christi charitatem & prouidentiam erga suam Ecclesiam, cuius vt vnitati, paci, ac gubernationi prospectum esset, varia illi dona impertiit, certósque ministros dedit. Sed & Euangelium ad festum Ascensionis diem mox sequuturum*

turum spectat, Christiq; iam iam ad mortem abituri precationem continet. Fructus autem & effectus eiusdem precationis tunc sese prodidit, cùm Dominus peracto iam redēptionis nostræ mysterio in cælum ascendit, & in carne fuit apertè clarificatus, vt eius gloriam Apostoli quoque cernerēt, & publicè celebrarēt.

EPISTOLA AD EPHES. IIII.

FRatres, VNICVIQVE nostrûm data est gratia secundum mensuram donationis Christi. Propter quod dicit: Ascendens in altum, captiuam duxit captiuitatem: dedit dona hominibus. Quòd autem ascendit quid est nisi quia & descendit primùm in inferiores partes terræ? Qui descendit, ipse est & qui ascendit super omnes cælos, vt adimpleret omnia. ET IPSE dedit quosdam quidem Apostolos, quosdam autem Prophetas, alios verò Euangelistas, alios autem pastores & doctores ad consummationem sanctorum in opus ministerij in ædificationem corporis Christi: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi.

OBSERVATIO.

Si diuersa est mensura donationis Christi, et aliud his aliud datum est illis, vnde tanta hæreticorum insolentia apud quos omnes tument, omnes scientiā pollicen-

licentur, omnes docent, omnes sunt sacerdotes, omnes scripturæ interpretes etiam vilissimæ quæq; mulierculæ? Nescit hæresis ordinem, sponsa autem Christi est, vt castrorum acies ordinata.

EVANGELIVM IOAN. XVII.

IN illo tempore, Subleuatis IESVS oculis in cælum, dixit: Pater, venit hora, clarifica filium tuum, vt filius tuus clarificet te sicut dedisti ei potestatem omnis carnis, vt omne quod dedisti ei, det eis vitam æternam, Hæc est autẽ vita æterna, vt cognoscant te solum Deum verum, & quem misisti IESVM Christum. Ego te clarificaui super terram, opus consummaui, quod dedisti mihi vt faciam: & nunc clarifica me tu Pater apud temetipsum, claritate, quam habui priusquàm mundus esset, apud te. Manifestaui nomen tuum hominibus, quos dedisti mihi de mundo: tui erant, & mihi eos dedisti, & sermonem tuum seruauerunt. Nunc cognouerunt quia omnia quæ dedisti mihi, abs te sunt. quia verba quæ dedisti mihi, dedi eis: & ipsi acceperunt & cognouerunt verè, quia à te exiui: & crediderunt quia tu me misisti. Ego pro eis rogo. Non pro mundo rogo, sed pro his quos dedisti mihi, quia tui sunt. Et mea omnia, tua sunt, & tua, mea sunt, & clarificatus sum in eis. Et iam non sum in mundo, & hi in mundo sunt, & ego ad te venio.

OBSER-

OBSERVATIO.

Vita æterna cognitione aperta Dei & Christi in futuro constabit, nunc illa comparatur, qua ita Deus fide agnoscitur, vt ei etiam Charitate pareatur.

Oratio Ecclesiæ.

Præsta, quæsumus omnipotens Deus, vt nostræ mentis intentio, quo solennitatis venturæ gloriosus auctor ingressus est, semper intendat, et quò fide pergit conuersatione perueniat, Per eundem Dominum.

SANCTO DIE ASCENSIONIS DOMINI.

SVMMARIVM. *Præclarus & sacer hic est dies: ac velut clausula, vt Bernardus dixit, itinerarii filii Dei. Proponit verò illustrem historiam de Christo Domino, qui quadragesimo post suam resurrectionem die, spectantibus discipulis, & confirmantibus angelis, velut gloriosus victor mirabiliter in cælum ascendit. Eam historiam Lucas describit. Marcus hoc adiicit in Euangelio, Christum cum suis discubuisse, & resurrectionis suæ fidem verbis grauibus adstrinxisse, quædam etiam in mandatis dedisse, præsertim de negotio euangelizandi & baptizandi, verósque fideles agnoscendi, ac post hæc omnia suam carnem in cælum subuexisse. Ornauit hunc diem Leo Magnus sequenti præconio: Reuera magna & ineffabilis est causa gaudendi, quum in conspectu sanctæ multitudinis, supra omnium creaturarum cælestium dignitatem*

tem

tem, humani generis natura conscendit, supergressura angelicos ordines, & vltra archangelorum altitudines eleuanda, nec vllis sublimitatibus modum suæ prouectionis habitura, nisi æterni Patris recepta consessu, illius gloriæ sociaretur in throno cuius naturæ copulabatur in filio. Sicut enim à summo cælo egressio eius, ita, & occursus vsque ad summum eius. Felices, qui cum Stephano & Paulo oculos animosqúe in Christum thesaurum suum vnicum defixos tenēt, & à rebus curisqúe terrenis expediti, ad illum gloriæ regem velut aquilæ subinde subuolant pertinguntqúe.

LECTIO ACTORVM I.

PRimum quidem sermonem feci de omnibus, ô Theophile, quæ cœpit IESVS facere & docere, vsque in diem, qua præcipiens Apostolis per Spiritum sanctum, quos elegit, assumptus est: Quibus & præbuit seipsum viuū post passionem suam in multis argumentis, per dies quadraginta apparens eis, & loquens de regno Dei. Et conuescens, præcepit eis, ab Hierosolymis ne discederent, sed expectarent promissionem Patris, Quam audistis (inquit) per os meum: quia Ioannes quidem baptizauit AQVA, vos autem baptizabimini SPIRITV SANCTO non post multos hos dies. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum, dicentes: Domine, si in tempore hoc restitues regnum

gnum Iſraël? Dixit autem eis: Non eſt veſtrum noſſe tempora vel momenta, quæ Pater poſuit in ſua poteſtate: ſed accipietis virtutē ſuperuenientis Spiritus ſancti in vos. Et eritis mihi teſtes in Hieruſalem & in omni Iudæa & Samaria, & vſque ad vltimum terræ. Et cùm hæc dixiſſet, videntibus illis, eleuatus eſt: & nubes ſuſcepit eum ab oculis eorum. Cumque intuerentur in cælum euntem illum, ecce duo viri adſtiterunt iuxtà illos in veſtibus albis, qui & dixerunt: VIRI Galilæi, quid ſtatis aſpicientes in cęlum? Hic IESVS qui aſſumptus eſt à vobis in cælum, ſic veniet quemadmodum vidiſtis eum euntem in cælum.

EVANGELIVM MARC. XVI.

IN illo tempore, Recumbentibus vndecim diſcipulis, apparuit illis IESVS, & exprobrauit incredulitatem eorum & duritiam cordis, quia his qui viderant eum reſurrexiſſe, non crediderunt. Et dixit eis: EVNTES in mundum vniuerſum, prædicate Euangelium omni creaturæ. Qui crediderit & baptizatus fuerit, ſaluus erit. Qui verò non crediderit, condemnabitur. Signa autem eos qui crediderint hæc ſequentur: IN NOMINE meo dæmonia eiicient: Linguis loquentur nouis: Serpentes tollent: Et ſi mortiferum quid biberint, non eis

nocebit

nocebit: Super ægros manus imponent, & benè habebunt. Et Dominus quidem IESVS, postquàm locutus eſt eis, aſſumptus eſt in cælum, & ſedet à dextris Dei. Illi autem profecti prædicauerunt vbique, Domino cooperante, & ſermonem confirmante ſequentibus ſignis.

OBSERVATIO.

Quantum ſit inter Ioannis, Chriſtiq; baptiſma diſcrimen vel ipſo Chriſto docente & Luca recitante, diſce, quæ tamen idem eſſe impudentia hæretica dicere non dubitat, vt alias eſt annotatum. Vide & baptiſmi neceßitatem, ac fidei, quam qui afferre, vt paruuli, non poſſunt, his credere idem eſt quod baptiZari Auguſtino. Neque repetitur, Qui non crediderit, & baptiZatus non fuerit. Nam qui non credet adultus, is nec baptiZari volet: Paruulus autem ſi nõ crediderit ideſt ſi baptiZatus non fuerit condemnabitur pœnam æterni damni paßurus. Oratio Ecc.

Concede, quæſumus omnipotens Deus, vt qui hodierna die vnigenitum tuum redemptorem noſtrum ad cælos aſcendiße credimus, ipſi quoque mente in cæleſtibus habitemus, Per eundem Dominum.

Canticum.

O Rex gloriæ Domine virtutum, qui triumphator hodie ſuper omnes cælos aſcendiſti, ne derelinquas nos orphanos: ſed mitte promiſſum Patris in nos Spiritum veritatis, Halleluia.

Hymnus de eodem festo.

IESV nostra redemptio,
Amor & desiderium,
Deus creator omnium,
Homo in fine temporum.
Quæ te vicit clementia,
Vt ferres nostra crimina,
Crudelem mortẽ patiens,
Vt nos à morte tolleres:
Inferni claustra penetrãs,
Tuos captiuos redimens,
Victor triumpho nobili,
Ad dextrã Patris resides.
Ipsa te cogat pietas,
Vt mala nostra superes,
Parcẽdo, et voti cõpotes;
Nos tuo vultu saties.
Tu esto nostrum gaudium,
Qui es futurus præmium:
Sit nostra in te gloria,
Per cũcta semper secula.
Amen.

DOMINICA POST ASCENSIONEM POST PASCHA verò septima.

SVMMARIVM. *Dominicæ huius officium, vt Rupertus Tuitiensis admonet, vox est Apostolorum, qui iuxtà præceptum Domini ascendentis sedebant in ciuitáte, quoadusque induerentur virtute ex alto, & erant vnanimiter orantes cum mulieribus & matre* IESV, *sicut in Actis legitur Apostolorum. Igitur vt ad horum exemplum nos componamus, accedit per Epistolam Apostolica commonitio, quæ prouocamur omnes ad sectandas præclaras illas virtutes, prudentiam, vigilantiam, orationem, ac præcipuè charitatem, quam corde, ore ac opere fratribus exhibeamus. Ita enim preparatos & instru-*

ctos esse nos conuenit, qui salutarem diuini spiritus aduentum expectamus. In Euangelio repetitur Christi promissio, quæ sæpe facta est Apostolis, de aduentu Paracleti, per quem illi penitus innouarentur. Nec dubium, quin ablato iam sponso, hunc Paracletum illi sæpe multumque desiderarint, in Christi promissionem sedulò intendentes, neque minus vigilantes ac orantes, fortaßis & ieiunantes ad diem vsque sanctißimum Pentecostes. Egemus & nos aduentu gratiaq; tanti hospitis, si nostræ & Ecclesiæ domui probè consultum esse velimus.

EPISTOLA I. PETRI IIII.

CHarissimi, Estote prudentes & vigilate in orationibus. Antè omnia autem mutuam in vobismetipsis charitatem continuam habentes, quia CHARITAS operit multitudinem peccatorum. Hospitales inuicem sine murmuratione. Vnusquisque sicut accepit gratiam, in alterutrum illam administrantes, sicut boni dispensatores multiformis gratiæ Dei. Si quis loquitur, quasi sermones DEI: si quis ministrat, tanquam ex virtute quam administrat DEVS, vt in omnibus honorificetur Deus per IESVM Christum Dominum nostrum.

OBSERVATIO.

Superioribus epistolis, & hac etiam quantum charitati & bonis operibus ad salutem consequendam

tribuendum sit animaduertito diligenter, ne de sola fidei iustitia, quæ nulla est, inaniter glorieris.

EVANGELIVM IOAN. XV. ET XVI.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Cùm venerit Paracletus, quem ego mittam vobis à Patre, spiritum veritatis, qui à Patre procedit, ille testimonium perhibebit de me: & vos testimonium perhibebitis, quia ab initio mecum estis. Hæc locutus sum vobis, vt non scandalizemini. Absque synagogis facient vos. Sed VENIT hora, vt omnis qui interficit vos, arbitretur obsequium se præstare Deo. Et hæc facient vobis, quia non nouerunt Patrem, neque me. Sed hæc locutus sum vobis, vt cùm venerit hora, eorum reminiscamini; quia ego dixi vobis.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, fac nos tibi semper & deuotam gerere voluntatem, & maiestati tuæ sincero corde seruire, Per Dominum nostrum Iesum.

SANCTO DIE PENTECOSTES.

SVMMARIVM. *Adest tandem promissus ille Spiritus sanctus, qui discipulorum expectantium animos, Ecclesiamq; totam summis & amplissimis implet charismatibus. Donat sapientiæ splendorẽ, per quẽ discipuli summi Theologi repentè sunt effecti. Donat*

charitatis ardorẽ, vt hinc labores omnes perferre & exantlare facilè potuerint. Donat virtutum ac signorum operationem, quibus primi Euangelii testes fidem & authoritatem doctrinæ suæ conciliarunt. Addit donum quoque linguarum, per quod illi tanquam legati omnium nationum, ab omnibus etiam externis sunt intellecti. Hinc tanta tamquẽ subita & verè diuina in Apostolis mutatio ac innouatio cunctis maximæ fuit admirationi. De qua festi huius diei historia tam præclarè & copiosè Lucas agit, vt nihil sit opus addere. Proponit autem Euangelium non pauca de Spiritu sancto, qui sit Paracletus & Spiritus veritatis, Ecclesiæquẽ doctor fidus atque perpetuus, quem Apostoli suo & Ecclesiæ summo bono munificum & efficacem esse senserunt. Et rectè charitatem commendat hoc Euangelium, quomodo Spiritus sanctus, sicut aliorum donorum omnium, sic vel maximè charitatis fons & author existit. Tum in quibus habitet hic Spiritus, nullo indicio certius, quàm charitatis percipi potest. Peccant hodie sectarii, quòd Spiritum in patribus loquentem, & in Ecclesia residentem negligant planè, ac spiritu interim erroris & vertiginis circumagantur. Peccant & Catholici, quòd Christi quidem spiritum inhabitantem vel non quærant & ament, vel præsentem facilè excutiant, contristent & extinguant. Si quis autem Christi spiritum non habet, hic non est eius, Apostolo teste.

LECTIO ACTVVM II.

DVm complerentur dies Pentecostes, erāt omnes discipuli pariter in eodem loco: Et factus est repentè de cælo sonus, tanquàm aduenientis spiritus vehementis, & repleuit totam domum vbi erant sedentes. Et apparuerunt illis dispertitæ linguæ tanquàm ignis, seditque suprà singulos eorum. ET REPLETI sunt omnes Spiritu sancto, & cœperunt loqui variis linguis, pro vt spiritus dabat eloqui illis. Erant autem in Hierusalem habitantes Iudæi viri religiosi, ex omni natione quæ sub cælo est. Facta autem hac voce, cōuenit multitudo, & mente confusa est, quoniam audiebat vnusquisque lingua sua illos loquentes. Stupebant autem omnes & mirabantur, ad inuicem dicentes: Nónne eccè omnes isti qui loquuntur, Galilæi sunt? Et quomodo nos audiuimus vnusquisque linguam nostram, in qua nati sumus? Parthi & Medi & Elamitæ, & qui habitant Mesopotaniam, Iudæam & Cappadociā, Pontum & Asiam, Phrygiam & Pamphiliam, Ægyptum & partes Libyæ, quæ est circa Cyrenem, & aduenæ Romani; Iudæi quoque & Proselyti; Cretes & Arabes, AVDIVIMVS eos loquentes nostris linguis magnalia Dei.

EVANGELIVM IOAN. XIIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: SI QVIS diligit me, sermonem meum seruabit: & Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & mansionem apud eum faciemus. Qui non diligit me, sermones meos non seruat: Et sermonem quem audistis, non est meus, sed eius qui misit me, Patris. Hæc locutus sum vobis, apud vos manens. PARACLETVS autem Spiritus sanctus, quem mittet Pater in nomine meo, ille vos docebit omnia: & suggeret vobis omnia, quæcunque dixero vobis. PACEM relinquo vobis, pacem meam do vobis, non quomodo mundus dat, ego do vobis. Non turbetur cor vestrum, neque formidet. Audistis quia ego dixi vobis: Vado & venio ad vos. Si diligeretis me, gauderetis vtiq;, quia vado ad Patrem, quia Pater maior me est. Et nunc dixi vobis priusquàm fiat, vt cùm factũ fuerit, credatis. Iam non multa loquar vobiscum. VENIT enim princeps mundi huius, & in me non habet quidquam. Sed vt cognoscat mundus, quia diligo Patrem, & SICVT mandatum dedit mihi Pater, sic facio.

OBSERVATIO.

Spiritus sanctus vnitatis amator, iis qui in eodem loco sunt, idest vna ecclesia datur, cuius sonitum au-

diunt cæteri, accipiunt minime. Illi charitatem habent cuius tanta vis eſſe in Euangelio dicitur, vt eũ in nos ducat, manſionem apud nos facturum. Atque hæc illa eſt quæ auditis & creditis ſermonibus obtemperat.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui hodierna die fidelium corda ſancti Spiritus illuſtratione docuiſti, da nobis in eodem Spiritu recta ſapere, & de eius ſemper conſolatione gaudere, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

Canticum de feſto.

Hodiè completi ſunt dies Pentecoſtes, Halleluia: Hodiè Spiritus ſanctus in igne diſcipulis apparuit, & tribuit eis chariſmatum dona: miſit eos in vniuerſum mundum prædicare et teſtificari: Qui crediderit & baptiZatus fuerit, ſaluus erit, Halleluia.

Hymnus de Spiritu ſancto.

SANCTI *Spiritus adſit nobis gratia: quæ corda noſtra ſibi faciat habitacula, expulſis inde cunctis vitiis ſpiritualibus.*

Spiritus alme illuſtrator hominum, horridas noſtræ mentis purga tenebras.

Amator ſanctè ſenſatorum ſemper cogitatuum, infunde vnctionem tuam clemens noſtris ſenſibus.

Tu purificator omnium flagitiorum Spiritus, purifica noſtri oculum interioris hominis: vt videri ſupremus genitor poſſit à nobis, mundi cordis quem

ſoli cernere poſſunt oculi.

Prophetas tu inſpiraſti, vt præconia Chriſti præcinuiſſent inclyta:

Apoſtolos confortaſti, vti trophæum Chriſti per totum mundum veherent.

Quando machinam per verbum ſuum fecit Deus cæli, terræ, marium: tu ſuper aquas, foturus eas, numen tuum expandiſti Spiritus.

Tu animabus viuificandis aquas fæcundas.

Tu aſpirando das ſpiritales eſſe homines.

Tu diuiſum per linguas mundum & ritus adunaſti Domine: Idolatras ad cultum Dei reuocas magiſtrorum optime.

Ergo nos ſupplicantes tibi, exaudi propitius ſancte Spiritus: ſine quo preces omnes caſſæ creduntur & indignæ Dei auribus.

Tu qui omnium ſeculorum ſanctos tui numinis docuiſti inſtinctu amplectendo Spiritus: Ipſe hodiè Apoſtolos Chriſti donans munere inſolito, & cunctis inaudito ſeculis, hunc diem glorioſum feciſti.

FERIA II. PENTECOSTES.

SVMMARIVM. *Euangelizat & baptizat Petrus in domo Centurionis apud Cæſaream. Vbi palàm in credentibus ſe prodit Spiritus ſanctus, & oſtendit non modò linguarum donum, ſed etiam gratiam & ſalutem gentibus, æquè ac Iudæis, in Chri-*

ſto

sto tribui indiscriminatim. Euangelium porrò commendat summam Dei erga nos bonitatem atque charitatem per Christum orbi communicatam, & à multis tamen repudiatam, cùm hi vel credere nolint, vel credentes, pro bonitate iniquitatem amplectantur, suamqúe negligant vocationem. Adeò vix apud paucos manet Spiritus sanctus, qui vt ipsa est charitas, ita sanè charitatis studiosos & in redamando Deo sedulos Christi cultores amat & requirit. Hi non solùm audiunt, sed & faciunt veritatem, fugiunt tenebras, in luce ambulant, ita credentes in Christum, vt quæcunq; operantur, in Deo operentur, & hominem, nedum Ecclesiam habere iudicem non reformident. Quanta vis veræ fidei per charitatem operantis? Sine charitate fides inesse potest, prodesse non potest, ex Augustini sententia.

LECTIO ACTORVM X.

IN diebus illis, Aperiens Petrus os suum, dixit: Viri fratres & patres, nobis præcepit Dominus prædicare populo & testificari, quia ipse est qui constitutus est à Deo iudex viuorũ & mortuorũ. Huic omnes Prophetæ testimonium perhibent, remissionem peccatorum accipere per nomen eius omnes qui credunt in eum. Adhuc loquente Petro verba hæc, cecidit Spiritus sãctus super omnes qui audiebant verbum. Et obstupuerunt ex circuncisione fideles

deles qui venerant cum Petro, quia & in nationes gratia Spiritus sancti effusa est: audiebant enim illos loquentes linguis, & magnificantes Deum. Tunc respondit Petrus: Nunquid aquam quis prohibere potest, vt non baptizentur hi qui Spiritum sanctum acceperunt, sicut & nos? Et iussit eos baptizari in nomine Domini nostri IESV Christi.

EVANGELIVM. IOAN. III.

IN illo tempore, Dixit IESVS Nicodemo: Sic Deus dilexit mundum, vt filium suum vnigenitum daret: vt omnis qui credit in eum, non pereat, sed habeat vitam æternam: Non enim misit Deus filium suum in mundum, vt iudicet mundum, sed vt saluetur mundus per ipsum. Qui credit in eum, non iudicatur. QVI AVTEM non credit, iam iudicatus est: quia non credit in nomine vnigeniti filij Dei. Hoc EST autem iudicium, quia lux venit in mundum, & dixerũt homines magis tenebras quàm lucem. Erant enim mala eorum opera. OMNIS ENIM qui malè agit, odit lucem: & non venit ad lucem, vt non arguantur opera eius. QVI AVTEM facit veritatem, venit ad lucem, vt manifestentur opera eius, quia in Deo sunt facta. Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui apostolis tuis sanctum dedisti Spiritum,

concede plebi tuæ, piæ petitionis effectum: vt quibus dedisti fidem, largiaris & pacem, Per Dominum no.

Hymnus Ambrosij de Spiritu sancto.

VEni creator Spiritus,
Mētes tuorum visita:
Imple superna gratia,
Quæ tu creasti pectora.
Qui Paracletus diceris,
Donum Dei Altißimi,
Fōs viuus, ignis, charitas,
Et spiritalis vnctio.
Tu septiformis munere,
Dextræ Dei tu digitus,
Tu ritè promisso patris
Sermone ditans guttura.
Accende lumen sensibus,
Infunde amorē cordibus,
Infirma nostri corporis
Virtute firmans perpeti.
Hostem repellas longius,
Pacemq; dones protinus;
Ductore sic te præuio,
Vitemus omne noxium.
Da gaudiorum præmia,
Da gratiarum munera:
Dissolue litis vincula,
Adstringe pacis fœdera.
Per te sciamus da patrem,
Noscamus atque filium,
Teq; vtriusque spiritum,
Credamus omni tempore.
Sit laus patri cum filio,
Sancto simul paracleto,
Nobisq; mittat filius,
Charisma sctī spūs, Amē.

FERIA III. PENTECOSTES.

SVMMARIVM. *Est hoc quoque testimonium de aduentu Spiritus sancti, quem non Apostoli tantùm ac Iudæi, sed Samaritani etiam ac gentiles in Christum credentes acceperunt. Quod verò Samaritani à Philippo baptizantur, & baptizatis Apostoli manus imponunt, satis ostendit Spiritum sanctum in Baptismo quidem primum accipi, sed in sacramen-*

to

to Confirmationis, quod successores Apostolorum Episcopi conferunt, vberius dari, & in baptizatis augeri. Euangelium docet, Christum nobis esse pastorem & ostium ouium, a quo Christianæ simplicitatis obseruantes verè pasci volunt, ac in gratia crescere. Sed vide iterum, vt obserues ostiarium, id est, Spiritum sanctum, qui ministris Ecclesiæ aperit ostium, vt illi legitimi, per sacramentum scilicet ordinis & ordinariæ vocationis introeuntes, à furibus & latronibus, qui aliundè irrepunt ouile, certò discernantur. Docet ac regit oues Christi Spiritus sanctus, sed per ministros et præpositos Ecclesiæ, in quibus etiam Christi Pastoris vocem agnoscere, sequi ac reuereri Scriptura præcipit. Actor. 20. Luc. 10. Ephes. 4. Visum est hîc adiungere verba doctissimi Ruperti: In officio tertiæ feriæ prædicatur nobis, extra Catholicam Ecclesiam non posse dari Spiritum sanctum: solísque Apostolicæ fidei præsulibus esse datum, vt per impositionem manus ipsorum, hi qui confirmandi vel ordinandi accedunt, accipiant eiusdem Spiritus sancti donum.

EPISTOLA ACTORVM VIII.

IN diebus illis, Cùm audissent Apostoli qui erant Hierosolymis, quia recepisset Samaria verbum Dei: miserunt ad eos Petrum & Ioannem. Qui cùm venissent, orauerunt pro ipsis, vt acciperent Spiritum sanctum. Non-

dum enim in quenquam illorum venerat, sed baptizati tantum erant in nomine Domini IESV. Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum.

EVANGELIVM IOAN. X.

IN illo tempore, Dixit IESVS Pharisæis: Amen amen dico vobis, QVI non intrat per ostium in ouile ouium, sed ascendit aliunde, ille fur est & latro. Qui autem intrat per ostium, pastor est ouium. huic ostiarius aperit: & oues vocem eius audiũt: & proprias oues vocat nominatim, & educit eas. Et cum proprias oues emiserit, ante eas vadit: & oues illum sequuntur, quia sciunt vocem eius. ALIENVM autem non sequuntur, sed fugiunt ab eo: quia non nouerunt vocem alienorum. Hoc prouerbium dixit eis IESVS. Illi autem non cognouerunt quid loqueretur eis. Dixit ergo eis iterum IESVS: Amen amen dico vobis, quia ego sum ostium ouium. Omnes quotquot venerunt, fures sunt & latrones: sed non audierunt eos oues. EGO sum ostium, per me si quis introierit, saluabitur, & ingredietur, & egredietur, & pascua inueniet. Fur non venit, nisi vt furetur & mactet & perdat. EGO veni vt vitam habeant, & abundantius habeant.

OBSERVATIO.

De confirmatione dogma summarium obseruauit. Vltima autem Euangelii verba, vt fiduciam magnam salutis præbent ouibus Christi, quarum gratia venit Pastor bonus, sic ab eis vt vocem eius audiant, & alienos fugiant superiora postulant, quorum vtpotè furum & hæreticorum vox non sit audienda.

Oratio Ecclesiæ.

Adsit nobis, quæsumus Domine, virtus Spiritus sancti, quæ & corda nostra clementer expurget, & ab omnibus tueatur aduersis, Per Dominum nostrũ.

FERIA IIII. PENTECOSTES.

SVMMARIVM. *Admiranda virtus Spiritus sancti, quæ vt ecclesiæ Christianæ primordia constabiliret atque proueheret, etiam per vmbram Petri quosuis curat ægrotos. Habet Euangelium de Christo pane viuo, qui dignè sumptus pariat immortalitatem: vt fructum videas sacrosanctæ Eucharistiæ, quam post aduentum Spiritus primi Christiani quotidie percepisse leguntur. Habet item Euangelium de Patre cælesti, qui trahit ad Christum, suaui certè & optabili tractu Spiritus sancti. Nec est otiosum quod solennes ieiunationes (quatuor temporum appellant) hoc tempore celebrentur. Non enim contristat aut obscurat, vt Tuitiensis loquitur, sed magis illustrat obseruantia ieiuniorum illam de aduentu*

sancti

sancti Spiritus solennitatem. Quippe quia delitiæ sancti Spiritus, delitiarum carnalium fastidium important electorum mentibus, & quia sponsus ablatus est ieiunandum est filiis eius: hoc spiritu sancto paracleto sic suam dispensante gratiam & consolationẽ, vt delectentur gemitibus inenarrabilibus, gementes vt columbæ gemitúmque pro cantu habẽtes. Hæc ille.

LECTIO EX ACTIS APOST. V.

IN diebus illis, Per manus Apostolorum fiebant signa & prodigia multa in plebe. Et erant vnanimiter omnes in porticu Salomonis. Ceterorum autem nemo audebat coniungere se illis, sed magnificabat eos populus. Magis autem augebatur credentium in Domino multitudo virorum ac mulierum: ita vt in plateas eiicerent infirmos & ponerent in lectulis ac grabatis: vt veniente Petro saltem VMBRA illius obumbraret quemquam illorum, & liberarentur omnes ab infirmitatibus suis. Concurrebat autem & multitudo vicinarum ciuitatum Hierusalem, afferentes ægros, & vexatos à spiritibus immundis; qui curabantur omnes.

EVANGELIVM IOAN. VI.

IN illo tempore, Dixit IESVS turbis Iudæorum, NEMO potest venire ad me, nisi Pater qui misit me, traxerit eum, & ego resuscita-

ſcitabo eum in nouiſſimo die. Eſt ſcriptum in Prophetis: Et erunt omnes docibiles Dei. Omnis qui audiuit à Patre, & didicit, venit ad me. Non quia Patrem vidit quiſquam, niſi is qui eſt à Deo, hic vidit Patrem. Amen amen dico vobis, qui credit in me, habet vitam æternam. EGO SVM PANIS VITAE. Patres veſtri manducauerunt manna in deſerto, & mortui ſunt Hic eſt panis de cælo deſcendens, vt ſi quis ex ipſo manducauerit, non moriatur. Ego ſum panis viuus, qui de cælo deſcendi. Si quis manducauerit ex hoc pane, viuet in æternum. ET PANIS quem ego dabo, CARO mea eſt, pro mundi vita.

OBSERVATIO.

Si corda obdurare hæretici nolent Chriſti vocem audirent, corporis ſui in Sacramento Panis veritatem aſſerentis, Panis quem ego dabo caro mea eſt inquit, nec ad tropos miſeri fruſtrà falsóque confugerent.

Oratio Eccleſiæ.

Mentes noſtras, quæſumus Domine, paracletus, qui à te procedit, illuminet, & inducat in omnem, ſicut tuus promiſit filius, veritatem: Qui tecum viuit & regnat in vnitate ſpiritus ſancti Deus.

DOMINICA SANCTÆ TRINITATIS.

SVMMARIVM. *Adorandum eſt magis quàm*

perscrutandum sanctæ & indiuiduæ Trinitatis mysterium. Vt hinc meritò cum Paulo admirabundus exclames, prout Epistola docet. Euangelium de tribus personis diuinis clarißimè loquitur, quarum certè fides & baptizantibus, & his qui baptizantur, Christóque initiantur, imprimis est necessaria. Beat fides & confeßio Trinitatis, si accedat obedientia mandatorum, quæ Christus non modò doceri, sed etiam præstari postulat, suam interim gratiam & in Ecclesia perpetuitatem pollicens. Aliis placet huc Euangelium de Nicodemo transferre, qui magna fidei nostræ & spiritualis, quæ fit in Baptismo, regenerationis arcana non est aßecutus, ac velut Catechumenus à Christo instituitur, simulqúe redarguitur, quòd humano sensu & captu ea metiri vellet, quæ tantùm fide comprehenduntur. Ad fidei simplicitatem simul & sinceritatem retinendam imprimis illud pertinet: Tres sunt qui testimonium dant in cælo: Pater, Verbum, & Spiritus sanctus, & hi tres vnum sunt. Contrà hæreticos autem de Trinitate impiè disputantes opponenda sunt Ecclesiæ symbola & decreta. Rectè Augustino visum est, nec periculosius alicubi errari, nec laboriosius aliquid quæri, aut fructuosius inueniri, quàm vbi de Trinitatis vnitate disputatur. Nos puris tantùm animis colamus, celebremus, amemus bonum illud æternum, quo vno frui, non hominum modò, sed angelorum etiam summa pax, voluptas & beatitudo est.

EPI-

EPISTOLA ROMAN. XI.

O Altitvdo diuitiarum ſapientiæ & ſcientiæ Dei: quàm incomprehenſibilia ſunt iudicia eius, & inueſtigabiles viæ eius? Quis enim cognouit ſenſum Domini? aut quis conſiliarius eius fuit? aut quis prior dedit illi, & retribuetur ei? Quoniam EX IPSO, ET PER IPSVM, ET IN IPSO ſunt omnia: ipſi honor & gloria in ſecula ſeculorum, Amen.

EVANGELIVM MATH. XXVIII. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Data eſt mihi omnis poteſtas in cælo & in terra. Euntes ergo docete omnes gentes: baptizantes eos in nomine Patris, & filij, & Spiritus ſancti. Docentes eos ſeruare omnia quæcunque mandaui vobis. Et eccè ego vobiſcum ſum omnibus diebus, vſque ac conſummationem ſeculi.

EVANGELIVM IOAN. III.

Iuxtà vſum aliarum Eccleſiarum.

IN illo tempore, Erat homo ex Phariſæis, Nicodemus nomine, princeps Iudæorum: Hic venit ad IESVM nocte, & dixit ei. Rabbi, ſcimus quia à Deo veniſti magiſter. NEMO enim POTEST HAEC SIGNA facere quæ tu facis, niſi fuerit Deus cum eo. Reſpondit IESVS, & dixit ei: Amen amen

dico tibi; NISI QVIS RENATVS fuerit denuò, non poteſt videre regnum Dei Dixit ad eum Nicodemus: Quomodo poteſt homo renaſci, cùm ſit ſenex? Nunquid poteſt in ventrem matris ſuæ iteratò introire, & renaſci? Reſpondit IESVS: Amen amen dico tibi, niſi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu ſancto, non poteſt introire in regnum Dei. Quod natum eſt ex carne, caro eſt: & quod natum eſt ex ſpiritu, ſpiritus eſt. Non mireris quia dixi tibi, oportet vos naſci denuò SPIRITVS vbi vult, ſpirat, & vocem eius audis, ſed neſcis vnde veniat, aut quò vadat. Sic eſt omnis qui natus eſt ex ſpiritu. Reſpondit Nicodemus, & dixit ei: Quomodò poſſunt hæc fieri? Reſpondit IESVS & dixit ei: Tu es magiſter in Iſraël, & hęc ignoras? Amen amen dico tibi, quia quod ſcimus, loquimur: & quod vidimus, teſtamur: & teſtimonium noſtrum non accipitis. SI TERrena dixi vobis, & non creditis: quomodo, ſi dixero vobis cæleſtia, creditis? Et nemo aſcendit in cęlum, niſi qui deſcendit de cælo, filius hominis qui eſt in cælo. ET SICVT Moyſes exaltauit ſerpentem in deſerto, ita exaltari oportet filium hominis: vt omnis qui credit in ipſum, non pereat, ſed habeat vitam æternam.

OBSERVATIO.

Si incomprehensibilia iudicia Dei, qui sciunt hæretici prædestinatos se, qui norunt odio an amore digni sint aut de certitudine salutis cur gloriantur? Porrò baptismum omnibus ita necessarium animaduerte, sine eo nemo regnum vt Dei sit intraturus non modo adultus, sed etiam paruulus infans, vnde Aug. Quisquis dicit quod in Christo viuificabuntur etiã paruuli &c. Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, qui dedisti famulis tuis in confessione veræ fidei, æternæ Trinitatis gloriam agnoscere, & in potentia maiestatis adorare vnitatem: quæsumus, vt eiusdem fidei firmitate ab omnibus semper muniamur aduersis, Per dominum.

Canticum Ecclesiæ.

Te Deum Patrem ingenitum, te Filium vnigenitum, te Spiritum paracletum: sanctam & indiuiduam Trinitatem, toto corde & ore confitemur, laudamus atque benedicimus, tibi gloria in secula.

Aliud Canticum de sanctissima Trinitate.

Verè dignum & iustum est, æquum & salutare: nos tibi semper & vbique gratias agere, Domine sancte, Pater omnipotens, æterne Deus. Qui cum vnigenito filio tuo, & Spiritu sancto vnus es Deus, vnus es Dominus, non in vnius singularitate personæ, sed in vnius Trinitate substantiæ. Quod enim de tua gloria reuelante te credimus, hoc de filio tuo, hoc de Spi-

ritu sancto, sine differentia discretionis sentimus: vt in confeßione veræ sempiternæq; deitatis, & in personis proprietas, & in essentia vnitas, & in maiestate adoretur æqualitas.

EADEM DOMINICA I.

POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epistola est charitatis tùm diuinæ, tùm fraternæ illustris commendatio: distinguit etiam inter charitatem perfectam, quæ foras mittit timorem, & imperfectam, quæ cum timore coniuncta est, satisq; declarat fidem charitate Dei & proximi destitutam nulli vnquam ad salutem conferre. Sine charitate vani & mendaces eße possumus: in Deo autem qui charitas est, manere, vel ipsum in nobis retinere non poßumus. Euangelium de charitate & misericordia præstanda docet ac præcipit, vitiaq; contraria vetat, nimirum vt ne temerè iudicemus, nec in remittendis fratri offensis nos difficiles præbeamus, néue ad carpendos alios simus præcipites, nostris interim vitiis indulgentes atque adblandientes. In aliis Ecclesiis Euangelium de diuite traditur epulone, & qui vel canibus erga egenos crudelior, vitam à Dei & proximi charitate alienam exegit, dignus sanè, cuius linguam in flammis tartareis ardentē, ne aquæ quidē petita guttula refocillaret. Docet autē hæc historia de diuite ac Lazaro (negant enim Chrysostomus, Ambrosius & Gregorius parabolam eße) quàm*

quàm dispar sit conditio cùm in præsenti, tùm in futura vita filiorum seculi & electorum Dei. Illi seipsos amantes ducunt in bonis dies suos, & in puncto ad inferna descendunt. hos verò Deum amantes ac proximum, per multas tribulationes in Dei regnũ oportet introire. Fallunt seipsos Epicurei, & quot quot in luxu delitiisq; modò viuentes, ad cælestes delitias peruenire confidunt. Vtatur, fruatur suis opibus, copiis, voluptatibus diues: à delitiis porrò ad delitias transire non potest. Egere & miserum esse præstat cum Lazaro, vt perpetuò recreeris, quàm florere cum diuite purpurato, vt in flãmis tartareis ardeas. Tertullianus dilectionem proximi summum fidei sacramentum, & thesaurum christiani nominis vocat.

EPISTOLA I. IOAN. IIII.

CHarissimi, Deus charitas est. IN hoc apparuit charitas Dei in nobis, quoniam filium suum vnigenitum misit Deus in mũdum, vt viuamus per eum. In hoc est charitas: non quasi nos dilexerimus Deum, sed quoniam ipse prior dilexit nos, & misit filium suum propitiationem pro peccatis nostris, CHARISsimi, si Deus dilexit nos, & nos debemus alterutrum diligere. Deum nemo vidit vnquam. SI DILIgimus inuicem, Deus in nobis manet, & charitas eius in nobis perfecta est. In hoc cognoscimus, quoniam in eo manemus, & ipse in nobis,

quoniam de ſpiritu ſuo dedit nobis. Et nos vidimus & teſtificamur, quoniam Pater miſit filium ſuum Saluatorem mundi. Quiſquis confeſſus fuerit, quoniam IESVS eſt filius Dei, Deus in eo manet, & ipſe in Deo. Et nos cognouimus & credidimus charitati, quam habet Deus in nobis. DEVS charitas eſt: & qui manet in charitate, in Deo manet, & Deus in eo. In hoc perfecta eſt charitas Dei nobiſcum, vt fiduciam habeamus in die iudicij: quia ſicut ille eſt, & nos ſumus in hoc mundo. Timor non eſt in charitate: ſed PERFECTA charitas foràs mittit timorem, quoniam timor pœnam habet. Qui autem timet, non eſt perfectus in charitate. Nos ergo diligamus Deum, SI QVIS DIXERIT, quoniam diligo Deum, & fratrem ſuum oderit, mendax eſt. Qui enim non diligit fratrem ſuũ quem videt, Deum quem non videt, quomodò poteſt diligere? ET HOC mandatum habemus à Deo, vt qui diligit Deum, diligat & fratrem ſuum.

EVANGELIVM LVC. VI. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: ESTOTE miſericordes, ſicut & Pater veſter miſericors eſt. Nolite iudicare & non iudicabimini. Nolite condemnare & non con-

condemnabimini. Dimittite:& dimittemini. Date, & dabitur vobis. MENSVRAM bonam & confertam & coagitatam & super effluentem dabunt in sinum vestrum. EADEM quippe MENSVRA, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus suprà Magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, EIICE PRIMVM TRABEM de oculo tuo, & tūc pspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

ALIVD EVANGELIVM LVC. XVI.

Iuxtà aliarum Ecclesiarum vsum.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Homo quidam erat diues, & induebatur purpura & bysso, & epulabatur quotidiè splendidè. Et erat quidam mendicus, nomine Lazarus, qui iacebat ad ianuam eius, vlceribus plenus, cupiens saturari de micis, quæ cadebant de mensa diuitis, & nemo illi dabat. Sed & canes veniebant, & lingebant vlcera eius. Factum

ctum est autem vt moreretur mendicus,& portaretur ab Angelis in sinum Abrahæ. Mortuus autem est & diues,& sepultus est in inferno. Eleuans autem oculos suos, cùm esset in tormentis, vidit Abraham à longè, & Lazarum in sinu eius,& ipse clamans,dixit: PATER Abraham, miserere mei, & mitte Lazarum,vt intingat extremum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia crucior in hac flamma. Et dixit illi Abraham: FILI, RECORDARE, quia recepisti bona in vita tua, & Lazarus similiter mala. Nunc autem hic cõsolatur, tu verò cruciaris. Et in his omnibus inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos, non possint, neque indè huc trãsmeare. Et ait: Rogo ergo te Pater,vt mittas eum in domum patris mei. Habeo enim quinque fratres, vt testetur illis, ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Et ait illi Abraham: Habent Moysen & Prophetas: audiant illos. At ille dixit: Non Pater Abraham, sed si quis ex mortuis ierit ad eos, pœnitentiam agent. Ait autem illi: SI MOYSEN ET PROPHETAS non audiunt, neque si quis ex mortuis resurrexerit, credent. *OBSERVATIO.*

Vide obseruata fer. 5. Dom. secundæ Quadrag.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Deus in te ſperantium fortitudo, adeſto propitius inuocationibus noſtris: & quia ſine te nihil poteſt mortalis infirmitas, præſta auxilium gratiæ tuæ, vt in exequendis mandatis tuis, & voluntate tibi & actione placeamus, Per Dominum noſtrum IESVM.

FESTO DIE VENERABILIS SACRAMENTI SEV CORporis Chriſti.

SVMMARIVM. *Aequiſsimum eſt, ſacros aliquos ſtatutos eſſe dies, inquit ſynodus Tridentina, cùm Chriſtiani omnes ſingulari ac rara quadam ſignificatione gratos & memores teſtentur animos erga communem Dominum & Redemptorem pro tam ineffabili & planè diuino beneficio, quo mortis eius victoria & triumphus repræſentetur. Hoc igitur in primis die teſtatur ſuam fidem Eccleſia, & apertè confitetur, in ſacroſancta Euchariſtia verum Chriſti corpus pro nobis in cruce traditum, eiuſquée ſanguinem in mundi redemptionem effuſum, adeóque totum Chriſtum Deum & hominem verè ac integrè contineri. Præterea lætè gratulatur, hoc maximum & auguſtiſsimum ſacramentum ſic inſtitutum, traditum & relictum eſſe fidelibus, vt non modò perenne ſit paſsionis Dominicæ monumentum, & diuini erga nos amoris fidiſsimum teſtimonium, ſed & certiſsimum pignus noſtræ immortalitatis, & reme-*

medium illorum efficacißimum, quos velut membra inter se ; & cum ipso capite Christo coniunctißimos esse decet. Epistola sequens huius tanti sacramenti primam repetit institutionem, & legitimum eius vsum aduersus Corinthiorum abusus vindicat, qui multa indecenter, contentiosè, prophanè in Eucharistiæ iniuriam designabant. Vult Paulus hoc summum mysterium ad memoriā Christi pro nobis traditi digne ac religiosè tractari, ne alioquin salutis antidotum vertatur in exitium abutentibus, sicut plerisque quidem Corinthiis obfuit magis quàm profuit. Euangelium veram fidem de hoc sacramento imprimis retinendam astruit, omnésque Capharnaitas refellit, qui Christum in hoc sacramento verè perfectéque contineri & sumi pernegant; atque ita dulcissimum & amplißimum Eucharistiæ fructum simul è medio tollunt. At quò sectarii sunt huic sacramento diuinißimo iniquiores, qui nunquam atrocius & sceleratius rem Eucharisticam oppugnarunt, eò maiore tùm fide, tùm reuerentia nobis illud hodiè complectendum est. Tanta Christi gratia quid gratitudinis, quid venerationis & obsequii non requirit à nobis, qui maiore thesauro ne poteramus quidem locupletari? Ad hunc omnis gratiæ fontem accurrant, qui modò iustitiæ sitim sentiunt: hic salutis aquas hauriant: hunc panem cælestem edant & frequenter quidem, qui ritè cupiunt in hoc deserto peregrinari.

Nam

Nam & Augustinus hortatur, vt Dominicis saltē diebus ad corpus Dominicum accedant christiani, quos constat primùm vel quotidie pane hoc supersubstantiali summo cum fructu vsos fuisse.

EPISTOLA I. CORINTH. XI.

FRatres, Ego accepi à Domino, quod & tradidi vobis, quoniam Dominus IESVS in qua nocte tradebatur, accepit panē, & gratias agens, fregit, & dixit: Accipite & manducate: HOC EST CORPVS MEVM, quod pro vobis tradetur: hoc facite in meam commemorationem. Similiter & calicem, postquam cœnàuit, dicens: HIC CALIX NOVVM TESTAMENTVM est in meo sanguine: hoc facite, quotiescunque bibetis, in meam commemorationem. Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annunciabitis, doneç veniat. Itaque quicunque manducauerit panē hūc, vel biberit calicem Domini indignè, reus erit corporis & sanguinis Domini. PROBET autem seipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat & bibit indignè, iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini.

EVANGELIVM IOAN. VI.

IN illo tempore, Dixit IESVS turbis Iudęorum

rum: CARO mea verè eſt cibus,& ſanguis meus verè eſt potus. Qui manducat meam carnem,& bibit meum ſanguinem,in me manet, & ego in illo. Sicut miſit me viuens pater, & ego viuo propter patrem. Et qui manducat me,& ipſe viuet propter me. HIC EST panis qui de cælo deſcendit. Non ſicut manducauerunt patres veſtri manna,& mortui ſunt. QVI MANducat hunc panem viuet in æternum.

ORSERVATIO.

Vide obſeruata fer. 5. in Cœna Domini.

Oratio Eccleſiæ.

Deus qui nobis ſub ſacramento mirabili paßionis tuæ memoriam reliquiſti, tribue quæſumus, ita nos corporis & ſanguinis tui ſacra myſteria venerari, vt redemptionis tuæ fructum in nobis iugiter ſentiamus. Qui viuis & regnas cũ Patre et Spiritu ſancto Deus.

Canticum.

O ſacrum conuiuium, in quo Chriſtus ſumitur: recolitur memoria paßionis eius: mens impletur gratia, & futuræ gloriæ nobis pignus datur. Halleluia.

Hymnus Thomæ Aquinatis de Sacramento Euchariſtiæ.

Pange lingua glorioſi
Corporis myſterium,
Sanguinisq; precioſi,
Quẽ in mundi precium,
Fructus ventris generoſi,
Rex effudit gentium.
Nobis datus, nobis natus
Ex intacta virgine,

Et in mundo cõuersatus,
Sparso verbi semine,
Sui moras incolatus
Miro clausit ordine.
In supremæ noctæ cœnæ
Recumbẽs cum fratrib',
Obseruata lege plenè,
Cibis in legalibus
Cibum turbæ duodenæ
Se dat suis manibus.
Verbum caro, panẽ verũ,
Verbo carnem efficit,
Fitq; sãguis Christi merũ:
Et si sensus deficit,
Ad firmandũ cor syncerũ
Sola fides sufficit.
Tantum ergo sacramentũ
Veneremur cernui,
Et antiquum documentũ
Nouo cedat ritui,
Præstet fides supplemẽtũ
Sensuum defectui.
Genitori genitoque
Laus & iubilatio,
Salus, honor, virtus quoq;
Sit & benedictio,
Procedenti ab vtroque
Cõpar sit laudatio, Amẽ.

DOMINICA II. POST PENTECOSTEN, QVAE INFRA OCTAVAS corporis Christi celebratur.

SVMMARIVM. *Rursus de charitate docet Epistola, præsertim ad dilectionem fraternam nos prouocans; signa & argumenta quibus cognoscatur, ostendens. In Euangelio præclara est parabola de inuitatis ad cœnam, qui vocantis hospitis humanitate, & seruorum admonitione nihil commouentur. Hinc tacitè monemur, non Dei, sed hominum esse culpam, cur è vocatis multis pauci demùm saluentur. Preterea discimus, salutis nostræ impedimenta non tantum in crassis vitiis fœdisq; criminibus versari, vt vulgus*

nunc hominum iudicat , sed etiam ea amplecti, qu ad honorum, opum & voluptatum studium haud sin specie quadam boni, & animo non pessimo sæpe instituuntur. Angusta profecto & paucis trita via est, quæ vocatos & hospiti seruisq; obsequentes ducit ad vitã. Vocati ferè negligimus, excusamus, otiamur, cessamus, nec Dei causam, neque salutem nostram satis ponderamus. Sic imparatos, & aliud semper agentes mors demùm opprimit, & gehenna excipit. boniq; omnis occasio destituit infœlices. Verè igitur dictum est illud:

Villa, boues, vxor cœnam clausère vocatis:
Mundus, cura, caro cælum clausère renatis.

CHarissimi, Nolite mirari fratres, si odit vos mundus. Nos scimus quoniam translati sumus de morte ad vitam, quoniam diligimus fratres. QVI NON diligit, manet in morte. OMNIS qui odit fratrem suum, homicida est. Et scitis, quoniam omnis homicida non habet vitam æternam in se manentem. IN HOC cognouimus charitatem Dei, quoniam ille animam suam pro nobis posuit, & nos debemus pro fratribus animas ponere. QVI HAbuerit substantiam huius mundi, & viderit fratrem suũ necesse habere, & clauserit viscera sua ab eo, quomodo charitas Dei manet in eo? FILIOLI mei, non diligamus verbo neq; lingua, sed opere & veritate.

EVAN-

EVANGELIVM LVCAE XIIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam fecit cœnã magnam, & vocauit multos: & misit seruum suum hora cœnæ dicere inuitatis, vt venirent, quia iam parata sunt omnia. Et cęperunt simul OMNES EXCVsare. Primus dixit ei: Villam emi, & necesse habeo exire, & videre illam. Rogo te, habe me excusatum. Et alter dixit: Iuga boum emi quinque, & eo probare illa. Rogo te, habe me excusatum. Et alius dixit: Vxorem duxi, & ideò non possum venire. Et reuersus seruus, nunciauit hæc domino suo. Tunc iratus paterfamilias, dixit seruo suo: Exi citò in plateas & vicos ciuitatis, & pauperes ac debiles, & cæcos & claudos introduc huc. Et ait seruus: Domine, factum est vt imperasti, & adhuc locus est. Et ait dominus seruo. Exi in vias & sepes, ET COMPELLE intrare, vt impleatur domus mea. Dico autem vobis, quòd nemo virorum illorum, qui vocati sunt, gustabit cœnam meam.

OBSERVATIO.

Caritatis neceßitatem ad salutem notat epiſtola Repugnans vocanti Deo & inuitanti liberum arbitrium Euangelium. Oratio Ecclesiæ.

Sancti nominis tui Domine timorem pariter &

 amorem

amorem fac nos habere perpetuum: quia nunquam tua gubernatione destituis, quos in soliditate tuæ dilectionis instituis, per Dominum nostrnm Iesum. &c.

DOMINICA III. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. Epistola sanctè instituit ad humilitatē summo Deo exhibendam, & ad fiduciam in eum coniiciendam: monet præterea, impugnationes dæmonis, qui nobis nunquam non insidiatur, omnesq; mundi afflictiones quæ comitantur electos, fortiter superandas esse. Euangelium duabus parabolis constat, de errante nimirum oue, & dragma perdita. Nec solùm verbo, sed exemplo etiam Christi Pharisaica iustitia retunditur, quæ hominem nimium sibi placentem, & peccantes alios contemnentem reddit. Habes & præclarum exemplum Christianæ modestiæ, mansuetudinis atque lenitatis proximo debitæ, quādo Christus omnium pastor è summo cœlo descendens, nihil nō agit ac sustinet ad oues errantes in hoc deserto colligendas. Habes & necessitatem pœnitentiæ: venit enim Christus ad pœnitentiam vocare peccatores, nec aliis quam pœnitentiam agentibus beneficium suum impertit. Habes propositum etiam præmium pœnitentibus, qui omnes lætificant angelos, & communem cælitum congratulationem excitant. Rectè autem admonet Ambrosius: Qui agit pœnitentiam, non solùm diluere lachrymis debet peccatum suum, sed etiam emen-

emendatioribus factis operire & tegere peccata superiora, vt non ei imputetur peccatum. At nulla virtus magis quàm pœnitentia, nunc iacere videtur, siue illa coràm Deo, siue coràm Ecclesia dignè peragenda sit.

EPISTOLA I. PETRI V.

CHarissimi, HVMILIAMINI sub potenti manu Dei, vt vos exaltet in tempore visitationis: omnem solicitudinem vestram proiicientes in eum, quoniam ipsi cura est de vobis. SOBRII estote, & vigilate: quia aduersarius vester diabolus, tanquam Leo rugiens circuit, quærens quem deuoret, cui resistite fortes in fide: scientes, eandem passionem ei, quæ in mundo est, vestræ fraternitati fieri. Deus autem omnis gratiæ, qui vocauit nos in æternam suam gloriam in Christo IESV, MODICVM passos ipse perficiet, confirmabit, solidabitque. Ipsi gloria & imperium in secula seculorum. Amen.

EVANGELIVM LVCAE XV.

IN illo tempore, Erant appropinquantes ad IESVM publicani & peccatores, vt audirét illum. Et murmurabant scribæ & Pharisæi, dicentes: Quia hic peccatores recipit, & manducat cum illis Et ait ad illos parabolam istam, dicens: Quis ex vobis homo?, qui habet centum oues: & si perdiderit vnam ex illis, nónne dimit

tit nonaginta nouem in deserto, & vadit ad illam quæ perierat, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit eam, imponit in humeros suos, gaudens. Et veniens domum, conuocat amicos & vicinos, dicens illis: CONGRAtulamini mihi, quia inueni ouem meam, quæ perierat. Dico vobis, quòd ITA gaudium erit in cælo super vno peccatore pœnitentiam agente, quàm super nonaginta nouem iustis, qui non indigent pœnitentia. Aut quæ mulier habens drachmas decem, si perdiderit drachmam vnam, nónne accendit lucernam, & euerrit domum, & quærit diligenter, donec inueniat eam? Et cùm inuenerit, conuocat amicas & vicinas, dicens: Congratulamini mihi, quia inueni drachmam quam perdideram. ITA DICO VOBIS, gaudium erit coram Angelis Dei super vno peccatore pœnitentiam agente.

OBSERVATIO.

Nota pœnitentiæ tùm necessitatem, tùm efficaciam ad salutem consequendam.

Oratio Ecclesiæ.

Protector in te sperantium Deus, sine quo nihil est validum, nihil sanctum: multiplica super nos misericordiam tuam, vt te rectore, te duce, sic transeamus per bona temporalia, vt non amittamus æterna, per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

DOMINICA IIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Admonet nos Epiſtola, præſentis temporis ærumnas patienter ferre, & conſolatur ſpe certa promiſſæ gloriæ & eius præmii magnitudine, quod erit electis in corporis reſurrectione, cùm totus etiam mundus innouabitur, ſuámque integritatem per peccatum amiſſam recuperabit. Euangelium agit de piſcationis Petri ſucceſſu copioſóque prouentu. Ex inope & vili piſcatore primarius creatur Apoſtolus: quia Chriſtus exaltat humiles, fauet obedientibus, & adiuuat laborantes. A turba docemur, ad audiendum Dei verbum alacritatem & auiditatem adferre. Qui vocantur diſcipuli, admonent, humilitatem cum precatione coniungere, quia ſupplex orat Petrus, & ad proximum iuuandum paratas exhibere operas, cùm ſic vſus vel aliena poſtulat neceſſitas. Certè quàm diu in huius mundi pelago fluctibúſque iactamur, tempus piſcandi eſt, nihilque magis cupit Chriſtus, quàm probos habere piſcatores, & ſuam nauim bonis impleri piſcibus, qui capti non rumpant ac lacerent, ſed ornent Euangelicum rete. Multi nunc prædicant verbum, ſéque piſcatores oſtẽtant, ſed Chriſtus Petri nauim elegit, in qua ſyncerum Euangelium ſemper prædicatum eſt, & ad mundi vſque finem prædicabitur. Extrà Petri nauim malè piſcantur, & velut nocte laborant, qui licet Petri*

non sint socii, neque suprà petram fundati maneant, tamen piscandi officium sumunt sibi. Alterum Euangelium fraternæ charitatis & misericordiæ Christianæ officia multis præceptis explicat, eósque simul arguit, qui veram proximi charitatẽ cogitatione & affectu frequẽter offendũt, sicut & anteà monuimus.

EPISTOLA AD ROM. VIII.

FRatres EXISTIMO quòd non sunt condignæ passiones huius temporis, ad futuram gloriam quæ reuelabitur in nobis. Nam expectatio creaturæ, reuelationem filiorum Dei expectat. VAnitati enim creatura subiecta est, non volens, sed propter eum qui subiecit eam in spe: quia & ipsa creatura liberabitur à seruitute corruptionis, in libertatem gloriæ filiorum Dei. Scimus enim quod omnis creatura ingemiscit & parturit vsque adhuc. Non solùm autem illa, sed & nos ipsi primitias spiritus habentes, & ipsi intrà nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis nostri, IN CHRISTO IESV Domino nostro.

EVANGELIVM LVCAE V. R.

IN illo tempore, Cùm turbæ irruerent in IESVM, vt audirent verbum Dei, & ipse stabat secus stagnum Genezareth, & vidit duas naues stantes secus stagnum. Piscatores autem descen-

deſcenderant, & lauabant retia. Aſcendens autem in vnam nauim, quæ erat Simonis, rogauit eum à terra reducere puſillum: & ſedens, docebat de nauicula turbas. Vt ceſſauit autem loqui, dixit ad Simonem: Duc in altum, & laxate retia veſtra in capturam. Et reſpondés Simon, dixit illi: PRAEceptor, per totam noctem laborantes, nihil cepimus: in verbo autem tuo laxabo rete. Et cùm hoc feciſſent, concluſerunt piſcium multitudinem copioſam. Rumpebatur autem rete eorum. Et annuerunt ſociis qui erant in alia naui, vt venirent, & adiuuarent eos. Et venerunt, & impleuerunt ambas nauiculas, ita vt penè mergerentur. Quod cùm videret Simon Petrus, procidit ad genua IESV, dicens: EXI à me, quia homo peccator ſum Domine. Stupor enim circundederat eum, & omnes qui cum illo erant, in captura piſcium quã ceperant. Similiter autem Iacobum & Ioannem filios Zebedæi, qui erant ſocii Simonis. Et ait ad Simonem IESVS: Noli timere, ex hoc iã homines eris capiés. Et ſubductis ad terrã nauibus, RELICTIS omnibus ſecuti ſunt eũ.

OBSERVATIO.

Vides ſolam Petri nauim electam a Chriſto & ex ea docentem ipſum. Sola enim Romana Eccleſia eſt illa naui figurata veritatis magiſtra & arbitra pro

cuius fide rogauit ne deficiat Christus.

ALIVD EVANGELIVM LVCAE VI.

Iuxta vsum quarundam Ecclesiarum.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Estote misericordes, sicut & pater vester misericors est. Nolite iudicare, & non iudicabimini. Nolite condemnare, & non condemnabimini. Dimittite, & dimittetur vobis. Date, & dabitur vobis. MENsuram bonam & confertam & coagitatam & supereffluentem, dabunt in sinum vestrum. EADEM quippe MENSVRA, qua mensi fueritis, remetietur vobis. Dicebat autem illis & similitudinem: Nunquid potest cæcus cæcum ducere? Nónne ambo in foueam cadunt? Non est discipulus suprà magistrum. Perfectus autem omnis erit, si sit sicut magister eius. Quid autem vides festucam in oculo fratris tui, trabem autem quæ in oculo tuo est, non consideras? Aut quomodo potes dicere fratri tuo: Frater, sine eiiciam festucam de oculo tuo, ipse in oculo tuo trabem non vides? Hypocrita, EIICE primum trabem de oculo tuo, & tunc perspicies vt educas festucam de oculo fratris tui.

Oratio Ecclesiæ.

Da nobis quæsumus, vt & mundi cursus pacificè nobis tuo ordine dirigatur, & ecclesia tua tranquilla deuotione lætetur, per Dominum nostrum IESVM.

DO-

DOMINICA V. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epistola christianæ professionis, & præsertim fraternæ charitatis officia præscribit, neque tantùm vt bonum & pacem colamus, sed etiam vt hostes & aduersa modestè perferamus postulat. Sic enim Christus à Christianis verè sanctificatur, cùm illi propter iustitiam non grauatim crucem patiuntur. Euangelium Christianam iustitiam à Iudaica seu Pharisaica distinguit. Hæc in externa & ciuili probitate versatur: illa simul internam & externam iustitiam exigit, vt non solùm opere, sed & corde præcepta diuina seruemus Explicatur igitur illud præceptũ, Nõ occides, vt sciamus etiã homicidas esse coràm Deo, non solùm qui palàm cædem perpetrant, sed & qui fratrem latenter oderunt; ac eos etiam peccare, qui temerè irascuntur, aut indignationis verba, & signa produnt impatienter. Fraterna pax & concordia cum omnibus etiam qui nos læserunt, integrè constare, vt & iniuriarum obliuiscamur, & indignanti contrà nos fratri vltrò reconciliemur. O timendam diuini iudicii seueritatem quando gehennæ pœna leui etiam verbo conuitióque decreta est, & nullum Deo sacrificium placet nisi hominis etiam aduersario reconciliati. Perit omnis iustitiæ fructus, qui radice & rigore charitatis destitutus est. De altero Euangelio proximè diximus.*

EPISTOLA I. PETRI III.

CHariſſimi, OMNES vnanimes in oratione eſtote, compatientes, fraternitatis amatores, miſericordes, modeſti, humiles, non reddentes malum pro malo, nec maledictum pro maledicto, ſed è contrario benedicẽtes: QVIA in hoc vocati eſtis, vt benedictionem hæreditate poſſideatis. Qui enim vult vitam diligere, & dies videre bonos, coerceat linguam ſuam à malo, & labia eius ne loquantur dolum: declinet à malo, & faciat bonum: inquirat pacem, & ſequatur eam: Quia oculi Domini ſuper iuſtos, & aures eius in preces eorum: vultus autem Domini, ſuper facientes mala. ET QVIS eſt qui vobis noceat, ſi boni æmulatores fueritis? Sed & ſi quid patimini propter iuſtitiam, beati. Timorem autem eorum ne timueritis, vt non conturbemini. Dominum autem Chriſtum ſanctificate in cordibus veſtris.

EVANGELIVM MATTH. V. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Amen dico vobis, niſi abundauerit iuſtitia veſtra plus quàm ſcribarum & Phariſæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Audiſtis quia dictum eſt antiquis: Non occides, qui autem occiderit, reus erit iudicio. Ego autem dico vobis, quia omnis qui iraſcitur fratri

ſuo, reus erit iudicio: qui autem dixerit fratri ſuo, racha, reus erit concilio: QVI AVTEM dixerit fatue, reus erit gehennæ ignis. Si ergo offers munus tuum ad altare, & ibi recordatus fueris, quia frater tuus habet aliquid aduerſum te, relinque ibi munus tuum antè altare, & vade prius reconciliari fratri tuo: & tūc veniens, offeres munus tuum.

OBSERVATIO.

Iam nemo negabit qui Epiſtolam Euangeliumq́; lege iuſtitiam chriſtianam operibus contineri, qua fiat vt in regnum cælorum intremus.

ALIVD EVANGELIVM LVC. V.

Iuxta vſum quarundam Eccleſiarum.

IN illo tempore, Cùm turbæ irruerent in IESVM, &c. *Sicut in præcedente mox Dominica reperies.*

Oratio Eccleſiæ.

Deus qui diligentibus te bona inuiſibilia præparaſti, infunde cordibus noſtris tui amoris affectum: vt te in omnibus, & ſuper omnia diligentes, promiſſiones tuas, quæ omne deſiderium ſuperāt, conſequamur, per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium tuum.

DOMINICA VI. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *In Epiſtola reuocamur ad memoriam accepti ſacri baptiſmi, qui non ſolùm*

Christum pro nobis mortuum, & ad vitam nouam resuscitatum designat, sed baptizatos etiam admonet, capiti Christo se maximè conformare, ne mortuum semel peccatum in nobis reuiuiscat, qui propterea perpetuam cum peccato & carne pugnam exercere, tũ ad vitam verè nouam & sanctam in Christo aspirare debemus In euangelio narratur miraculum de ingenti turba, quæ Christo adhærens septem ab eo panibus in deserto saturatur. Ita certam suorum curã gerit Deus, vt & animo & corpore ritè pascantur; ne desit quicquam timentibus Dominum. Frangunt, aut certè distribuunt Apostoli panem suum esurientibus, plus etiã daturi, si potuissent pro sua liberalitate. Et rursus illi panum fragmenta in sportas colligunt, vt exemplum præbeant seruandæ frugalitatis, præsertim ne quicquam de superuacaneo victu perire sinamus. Non repetemus, quæ dicta sunt de altero Euangelio.

EPISTOLA AD ROM. VI.

FRatres, QVICVNQVE baptizati sumus in Christo IESV, in morte ipsius baptizati sumus. Consepulti enim sumus cum illo per baptismum in mortem, vt quomodò surrexit Christus à mortuis per gloriam patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. Si enim cõplantati facti sumus similitudini mortis eius, simul & resurrectionis erimus: Hoc scien-

ſcientes quia vetus homo noſter ſimul crucifixus eſt, vt deſtruatur corpus peccati, & vltrà non ſeruiamus peccato. Qui enim mortuus eſt, iuſtificatus eſt à peccato. Si autem mortui ſumus cum Chriſto, credimus quia ſimul etiam viuemus cum illo: ſcientes quòd Chriſtus reſurgens à mortuis, iam non moritur: mors illi vltra non dominabitur. Quod enim mortuus eſt peccato, mortuus eſt ſemel: quod autem viuit, viuit Deo. ITA ET VOS exiſtimate, vos mortuos quidem eſſe peccato, viuentes autē Deo, in Chriſto IESV Domino noſtro.

EVANGELIVM MARC. VIII. R.

IN illo tempore, Cùm turba multa eſſet cū IESV, nec haberent quod manducarent, conuocatis diſcipulis, ait illis, MISEREOR SVPER TVRBAM, quia eccè iam triduo ſuſtinent me, nec habent quod manducent: & ſi dimiſero eos ieiunos in domum ſuam, deficient in via. Quidam enim éx eis de longè venerunt. Et reſponderunt ei diſcipuli ſui: Vnde iſtos quis poterit hîc ſaturare panibus in ſolitudine? Et interrogauit eos, Quot panes habetis? Qui dixerunt: Septem. Et præcepit turbæ diſcumbere ſuper terram. Et accipiens ſeptem panes, GRATIAS AGENS, FREGIT, & dabat diſcipulis ſuis vt apponerent,

& apposuerunt turbæ. Et habebant pisciculos paucos: & ipsos benedixit, & iussit apponi. Et manducauerunt, & saturati sunt: & sustulerunt quod superauerat de fragmentis, septem sportas. Erant autem qui manducauerant, quasi quatuor milia, & dimisit eos.

OBSERVATIO.

Habes in summario necessitatem imitationis Christi, ne credere sat esse putes.

ALIVD EVANGELIVM MATH. V.

Iuxtà vsum aliarum Ecclesiarum.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Amen dico vobis, Nisi abundauerit, &c. *Reliqua superiore Dominica præcesserunt.*

Oratio Ecclesiæ.

Deus virtutum, cuius est totum, quod est optimum: insere pectoribus nostris amorem tui nominis, & præsta in nobis religionis augmentum: vt quæ sunt bona, nutrias, ac pietatis studio, quæ sunt nutrita, custodias, Per Dominum nostrum Iesum.

DOMINICA VII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epistola duplex proponit seruorum genus, quorum alii peccato & satanæ, alii iustitiæ, & Deo seruiunt: & vtrique suam, sed disparem habent remunerationem. Renatorum est non seruire vitiis, sed iustitiæ seruos semper agere, vt Christianam*

ſtianam aſſerant libertatem, & ſuam perficiant ſanctificationem. Euangelium agit de fugiendis Pſeudo prophetis, qui partim doctrina peruerſa, partim corruptæ vitæ moribus ſuam nobis ſcabiem affricare poſſũt. Chriſtiano imprimis cauendi ſunt hoſtes veræ fidei & pietatis, quamlibet virtutis ſpeciem præ ſe ferant, multaq; ſuo inſtituto ſpecioſè prætexant. O quot lupos ouilla veſte tectos noſtra videt ætas! & tantum abeſt vt timeat ac fugiat nocentiſſimas peſtes, vt paſſim eos & doctores & paſtores aſciſcat, horumq; ſcriptis et conſuetudine maximè delectetur. Poſtrema verò nunc cura eſt, vt nos probas arbores dignis teſtemur fructibus, vtq; Chriſtum corde, ore, opere confiteamur, hoc eſt, vt voluntatem Patris faciamus. Aliis errores, aliis abuſus nimium placent: & tamen regnum cælorum ſibi ſuiq; ſimilibus audent polliceri.

EPISTOLA AD ROM. VI.

FRatres, Humanum dico, propter infirmitatem carnis veſtræ. SICVT enim EXHIBVISTIS membra veſtra ſeruire immunditiæ & iniquitati ad iniquitatem: ita nunc exhibete membra veſtra ſeruire iuſtitiæ in ſanctificationem. Cùm enim ſerui eſſetis peccati, liberi fuiſtis iuſtitiæ. Quem ergo fructum habuiſtis tunc in illis, in quibus nunc erubeſcitis? Nam finis illorum mors eſt. NVNC VERO liberati à peccato, ſerui autem facti Deo, habetis fructum

vestrum in sanctificationem, finem verò vitam æternam. STIPENDIA enim peccati mors. Gratia autem Dei, vita æterna, in Christo IESV Domino nostro.

EVANGELIVM MATH. VII.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: ATTENDITE à falsis Prophetis qui veniunt ad vos in vestimentis ouium, intrinsecus autem sunt lupi rapaces. A FRVCTIBVS eorũ cognoscetis eos. Nunquid colligunt de spinis vuas, aut de tribulis ficus? Sic omnis arbor bona, fructus bonos facit: mala autem arbor, malos fructus facit. Non potest arbor bona, malos fructus facere, neque arbor mala fructus bonos facere. OMNIS arbor quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. Igitur ex fructibus eorum cognoscetis eos. NON omnis qui dicit mihi Domine, Domine, intrabit in regnum cælorum: sed QVI FACIT voluntatem Patris mei qui in cælis est, ipse intrabit in regnum cælorum.

OBSERVATIO.

Gratia Dei vita æterna, ea quamuis bonis operibus promereatur, nam vt essent merita, data est gratia. quibus qui abundant intrabunt in regnum cælorum, non qui fide nuda Deum, dominum agnoscunt et confitentur.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Deus, cuius prouidentia in sui dispositione non fallitur: te supplices exoramus, vt noxia cuncta submoueas: & omnia nobis profutura concedas, Per dominũ.

DOMINICA VIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Docet Epistola Christianos, qui Dei sunt spiritu in baptismo donati, secundum spiritum viuere, & duce spiritu carnem coërcere, quam doctrinam à pœnis & præmiis quoque confirmat. Ducuntur autem spiritu Dei, & libertatem Euangelicam tenent in quibus vetus Adam crucifixus est, vt in carne sine carne viuant, carnis & facta & desideria Christi gratia supprimentes. Euangelica parabola villicum seu œconomum iniquum quidem, sed suis tamen commodis astutè consulentem depingit, vt hinc Christus virtutem eleemosynæ, quæ in hac futuráque vita homini prosit, illustriorem faciat. Amat Deus non anxiè corradentes, nec auarè conseruantes, sed in pauperes potius prodigentes bona isthæc temporaria. Vtinam verè simus lucis filii, non segniores quidem in opibus cælo recondendis, quæ perpetuò durant atque beant, quàm sunt mundi amatores & filii in diuitiis etiam iniquis & fugacibus, & sæpe noxiis cumulandis. At quàm pauci Laurentii nunc sunt imitatores, qui thesauros etiam dispersit, & dedit pauperibus, vt hinc iustitia eius perpetuò celebretur.*

EPISTOLA ROM. VIII.

FRatres, Debitores sumus non carni, vt secundum carnem viuamus. SI enim SECVNDVM carnem vixeritis, moriemini: Si autem spiritu, facta carnis mortificaueritis, viuetis. Quicunque enim spiritu Dei aguntur, hi sunt filij Dei. Non enim accepistis spiritum seruitutis iterum in timore, sed accepistis spiritum adoptionis filiorum, in quo clamamus, Abba pater. Ipse enim spiritus testimonium reddit spiritui nostro, quòd sumus filij Dei. Si autem filij & hæredes: hæredes quidem Dei, cohæredes autem Christi.

EVANGELIVM LVC. XVI. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam erat diues, qui habebat villicum, & hic diffamatus est apud illum, quasi dissipasset bona illius. Et vocauit illũ, & ait illi: Quid hoc audio de te? REDDE rationem villicationis tuæ: iam enim non poteris villicare. Ait autem villicus intrà se: Quid faciam, quia dominus meus aufert à me villicationem? Fodere non valeo, mẽdicare erubesco: Scio quid faciam, vt cùm amotus fuero à villicatione, recipiãt me in domos suas. Conuocatis itaq; singulis debitoribus domini sui, dicebat primo: Quantum debes domino meo? At

ille dixit: Centum cados olei. Dixitque illi: Accipe cautionem tuam, & sede citò, scribe quinquaginta. Deinde alij dixit: Tu verò quantum debes? Qui ait: Centum coros tritici. Ait illi: Accipe literas tuas, & scribe octoginta. Et laudauit dominus villicum iniquitatis, quia prudenter fecisset: quia filij huius seculi, prudentiores filiis lucis in generatione sua sunt. Et ego dico vobis: FACITE vobis amicos de mammona iniquitatis, vt cùm defeceritis, recipiant vos in æterna tabernacula.

OBSERVATIO.

Si facit eleemosina in æterna vt tabernacula recipiamur: quomodo operum merita tam impudenter negantur?

Oratio Ecclesiæ.

Largire nobis, quæsumus Domine, semper spiritum cogitandi quæ recta sunt propitius, & agendi: vt qui sine te esse non possumus, secundum te viuere valeamus, Per Dominum nostrum Iesum Christum filiũ.

DOMINICA IX. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epistola renatos omnes deterret ab his vitiis, quorum se vindicem iustus Deus contra Iudæos peccantes olim ostendit, idemque fidelis semper electis, quantumuis hi afflicti & à mundo derelicti videantur. Sed in plerisque nunc hæret fer*

mentum Iudaicum, vt etiam si non sint idolatræ, prauis tamen cupiditatibus, nonnunquam & scortationibus, ac aliis criminibus sese conspurcent, ac fratres offendant. Tales non minus deplorandi, quàm quos Christus in Euangelio deplorauit ciues Hierosolymitanos, qui visitationis suæ tempus non agnoscebãt: & sicut hîc fore indicatur, à præpotentibus hostibus circumuallati, discruciati, deuicti ac funditus tandem deleti sunt. Iudaicæ gentis perfidia atque ingratitudo tristißimum habuit exitum, quem Christi seueritas & Zelus in repurgando templo satis adumbrauit. Neque nos sanè feremus impunè, quòd in curandis mundi negotiis impigri, at in cultu diuino celebrando vel frigidi, vel prophani, nihil minus quàm præsentis gratiæ tempus agnoscimus, benéque collocamus. Vbi licet Deum nobis iratum habeamus, & seuerum eius iudicium imminere sciamus: tamen contra Christi præceptum adeò non lachrymamur, vt etiam rideamus insani, nonnunquam & malefacta iactemus. Rectè autem Hieronymus: Primum peccatum est cogitasse quæ mala sunt; secundum cogitationibus acquieuisse peruersis: tertium quod est deterius, opere complesse: quartum post peccatum non facere pœnitentiam, & in suo complacere sibi delicto.

EPISTOLA I. CORINTH. X.

FRatres, Non simus concupiscentes malorum, sicut & illi concupierunt. Neque ido

latræ

latræ efficiamini, ſicut quidam ex ipſis, quemad modum ſcriptũ eſt: Sedit populus manducare & bibere, & ſurrexerunt ludere. Neq; fornicemur, ſicut quidã ex ipſis fornicati ſunt, & ceciderunt vna die vigintitria millia. Neq; tentemus Chriſtum, ſicut quidam eorum tentauerunt, & à ſerpentibus perierunt. Neque murmuraueritis, ſicut quidam eorum murmurauerunt, & periẽrũt ab exterminatore. Hæc autem OMNIA in figura contingebant illis. Scripta autem ſunt ad correptionem noſtram, in quos fines ſeculorum deuenerunt. Itaque qui ſe exiſtimat ſtare, videat ne cadat. Tentàtio vos nó apprehendat niſi humana, fidelis autem Deus eſt, qui non patietur vos tentari ſuprà id quod poteſtis: ſed faciet etiam cum tentatione prouentum, vt poſſitis ſuſtinere.

EVANGELIVM LVC. XIX.

IN illo tempore, Cùm appropinquaret IESVS Hieruſalem, videns ciuitatem, fleuit ſuper illam, dicens: QVIA ſi cognouiſſes & tu, & quidem in hac die tua quæ ad pacem tibi, nunc autem abſcondita ſunt ab oculis tuis. Quia venient dies in te, & circundabunt tę inimici tui vallo, & circundabunt te, & coanguſtabunt te vndique, & ad terram proſternent te, & filios tuos qui in te ſunt: Et nó relinquẽt in te lapidẽ

super lapidem, EO QVOD non cognoueris tempus visitationis tuæ. Et ingressus templum, cœpit eiicere ementes, & vendentes, dicens illis: Scriptum est, quia DOMVS mea, domus orationis est. Vos autem fecistis illam speluncam latronum. Et erat docens quotidiè in templo.

OBSERVATIO.

Vide obseruata fer Dom. Quadrag.

Oratio Ecclesiæ.

Pateant aures misericordiæ tuæ Domine precibus supplicantium: & vt petentibus desiderata concedas, fac eos quæ tibi sunt placita postulare, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

DOMINICA X. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. Tradit Epistola de variis Spiritus sancti donis, & quàm ea sint necessaria nobis in Ecclesia, vt alii aliis velut membra membris in eodem corpore seruiant, ac mutuam concordiam seruent. Euangelium in parabola de Pharisæo & Publicano versatur, & præcipuam hominum pestem superbiam cùm in tota vita, tùm in oratione & diuino cultu vitandam esse declarat. Nec solùm interiorem, sed exteriorem quoque commendat humilitatem atq; pœnitentiam. Nihil apud Deum proficit animus arrogans, sibiq; confidens: nullus autem seipsum satis deiicere & extenuare poßit. Nec solæ fide, sed humilitate,

te, pænitentia, oratione coràm Deo iustificamur. Placent Deo cæremoniæ, quas Publicanus, Dauid et Niniuitæ cum sua pænitentia coniunxerunt, licet præcepto Dei non cogerentur. Peccata non nocent pænitentibus, benefacta verò neque superbis prosunt. Ad gratiam & gloriam firmum & securum ascensum sancta præbet humilitas, fundamentum eadem & custos virtutum omnium. Tantò quis preciosior Deo, quantò propter eum vilior sibi, Gregorio teste.

EPISTOLA I. CORINTH. XII.

FRatres, Scitis quoniam cùm gentes essetis, ad simulacra muta, prout ducebamini, euntes. Ideo notum vobis facio, quòd nemo in spiritu Dei loquens, dicit anathema IESV. Et nemo potest dicere, Dominus IESVS, nisi in Spiritu sancto. Diuisiones verò gratiarum sunt, idẽ autem spiritus. Et diuisiones ministrationum sunt, idem autem Dominus. Et diuisiones operationum sunt, idem verò Deus, qui operatur omnia in omnibus. Vnicuique autem datur manifestatio spiritus ad vtilitatem. Alij quidem per spiritum datur sermo sapientiæ, alij autem sermo scientiæ secundum eundem spiritum, alteri fides in eodem spiritu, alij gratia sanitatum in vno spiritu, alij operatio virtutum, alij prophetia, alij discretio spirituum, alij genera linguarum, alij interpretatio sermonũ. Hæc

autem omnia operatur vnus atque idem spiritus, diuidens singulis prout vult.

OBSERVATIO.

Et hic non omnibus omnia data vides, vt anteà sæpius obseruare potuisti.

EVANGELIVM LVC. XVIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS ad quosdam qui in se confidebant, tanquam iusti, & aspernabantur cæteros, parabolam istam: Duo homines ascenderunt in templum, vt orarent: vnus Pharisæus, & alter Publicanus. Pharisæus stans, hæc apud se orabat: DEVS, gratias ago tibi, quia non sum sicut cæteri hominum, raptores, iniusti, adulteri, velut etiam hic Publicanus. Ieiuno bis in sabbato, decimas do omnium quę possideo. Et publicanus à longe stans, nolebat nec oculos ad cælum leuare: sed percutiebat pectus suum, dicens: Deus propitius esto mihi peccatori. Amen dico vobis, descendit hic iustificatus in domum suam ab illo: QVIA omnis qui se exaltat, humiliabitur: & qui se humiliat, exaltabitur. Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui omnipotentiam tuam parcendo maximè & miserando manifestas: multiplica super nos gratiam tuam: vt ad tua promissa currentes cælestium bonorum facias esse consortes, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

DO-

DOMINICA XI. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. Epiſtola Euangelicæ doctrinæ veritatem, ſpeciatim verò Chriſti & mortuorum reſurrectionem comprobat, ac ſimul inſignem Pauli humilitatem oſtendit. Euangelium tractat miraculum de ſurdo & muto, quem ſatanas afflixerat, Chriſtus autem adhibitis cæremoniis integrè reſtituit. Vtamur & nos receptis ac probatis Eccleſiæ cæremoniis, quæ ſacramentis potiſſimum de veteri more ſolenniter adhibentur. Fugiamus exẽplo Chriſti in benefactis iactantiam, & Deo magis quàm hominibus probari cupiamus. Vera gloria fugientes inſequitur, ambientes auerſatur. Loquendi gratiam verúmque linguæ vſum à Chriſto petamus: non enim vulgaris ars eſt, & gratia, tùm auribus, tùm lingua vti conuenienter Satanæ omnem præcludamus aditum, illíque ſoli adhæreamus, qui in vincendo ſatana, in patrandis miraculis, in repudiandis Iudæis, in aſſumendis gentibus, ac demũ in omnibus verbis & operibus ſuis benefecit & facit omnia, & nec poteſt quidem peccare.

EPISTOLA I. CORINTH. XV.

FRatres, Notum vobis facio Euangelium, quod prædicaui vobis, quod & accepiſtis, in quo & ſtatis, per quod & ſaluamini: qua ratione prædicauerim vobis, ſi tenetis, niſi fruſtrà credidiſtis. Tradidi enim vobis in primis,

quod & accepi, quoniam Christus mortuus est pro peccatis nostris secundum scripturas, & quia sepultus est, & quia resurrexit tertia die secundum scripturas: & quia visus est Cephæ, & post hoc vndecim: deinde visus est plusquàm quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent vsque adhuc, quidam autẽ dormiêrunt. Deinde visus est Iacobo, deinde Apostolis omnibus, nouissimè autẽ omnium tanquàm aborti uo, visus est & mihi. EGO enim sum minimus Apostolorum, qui nõ sum dignus vocari Apostolus, quoniam persecutus sum Ecclesiam Dei. Gratia autem Dei sum id quod sum. Et gratia eius in me vacua non fuit.

EVANGELIVM MARC. VII. R.

IN illo tempore, Exiens IESVS de finibus Tyri, venit per Sydonem ad mare Galilęę, inter medios fines Decapoleos, & adducunt ei surdum & mutum, & deprecabantur eum, vt imponat illi manum. Et apprehendens eum de turba seorsum, misit digitos suos in auriculas eius: & expuens, tetigit linguam eius: & suspiciens in cælum, ingemuit, & ait illi: Epheta, quod est, Adaperire. Et statim apertæ sunt aures eius & solutũ est vinculum linguæ eius, & loquebatur rectè. ET PRAECEPIT illis, ne cui dicerent. Quantò autem eis præcipiebat,

tanto

tantò magis plus prædicabant, & eò amplius ad mirabantur, dicentes: BENE OMNIA FECIT, & surdos fecit audire, & mutos loqui.

OBSERVATIO.

Euangelio non audito tantum & credito, sed obseruato saluamur, factores enim legis iusti sunt apud Deum, non auditores tantum. Porrò ceremonias quibus in baptizando ecclesia vtitur, sputi, immißionis digitorum in auriculas, verbum etiam Epheta, ex Euangelio deprompta vides.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, qui abundantia pietatis tuæ & merita supplicum excedis & vota: effunde super nos misericordiam tuam, vt dimittas quæ conscientia metuit, & adiicias quod oratio non præsumit, Per Dominum nostrum Iesum Christum filiũ.

DOMINICA XII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *In Epistola commendatio est gratiæ diuinæ, quæ per Christum datur & accipitur ad subleuandam humanæ naturæ fragilitatem, & ad supplendam veteris legis imperfectionẽ. Aliud est Euangelii quàm legis officium, siue promulgationem, siue ministerium & fructum vtriusque spectes: Christianis autem quàm Iudæis efficacior & vberior vtique suppetit gratia. Prior Euangelii pars Apostolos, imò credentes omnes antiquis patribus potio-*

res

res facit: altera verò geminum charitatis præceptum ostendit; postrema insignem tractat parabolam de Samaritano in hominem saucium benefico, eiusque charitate & misericordia cunctis imitanda. Quòd si Christus hic verè Samaritanus fuit, seruatque & custodit perditos, vt vna omnium confeßio prædicat, cur non redamamus amantem? cur legem amoris ab eo sancitam & sanguine confirmatam non re ipsa præstamus? cur illius nomine quoslibet amicè non complectimur, ac veluti fratres nobis non commendatos habemus? Facessant voces ethnicæ: Tu tibi proximus esto. Tunica pallio propior. Vt viuas, ama etiam peregrinum, iniquum, aduersarium, Patris cælestis exemplo: nullus non tibi proximus, de quo vbique gentium bene mereri potes. Qui non diligit, manet in morte, qui diligit, legem impleuit.

EPISTOLA II. AD COR. III.

FRatres, Fiduciam talem habemus per Christum ad Deum, non quòd sufficientes simus cogitare aliquid à nobis quasi ex nobis: sed SVFFICIENTIA nostra ex Deo est, qui & idoneos nos fecit ministros noui testamenti, non litera sed spiritu. Litera enim occidit, spiritus autem viuificat. Quòd si ministratio mortis, literis deformata in lapidibus, fuit in gloria, ita vt filij Israël non possent intendere in faciem Mosis, propter gloriam vultus eius,

quæ

quæ euacuatur: quomodo non magis ministratio spiritus erit in gloria? Nam si ministratio damnationis in gloria est, multò magis abundat ministerium iustitiæ in gloria.

EVANGELIVM LVC. X.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Beati oculi qui vident quæ uos videtis. DICO enim vobis, quòd multi Prophetæ & reges voluerunt videre quæ vos videtis, & non viderunt: & audire quæ auditis, & non audiêrunt. Et eccè quidam legisperitus surrexit, tentans illum, & dicens: MAGISTER, quid faciendo, vitam æternam possidebo? At ille dixit ad eum: In lege quid scriptum est? quomodo legis? Ille respondens, dixit: DILIGES Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, & ex tota anima tua, & ex omnibus viribus tuis, & ex omni mēte tua: & proximum tuum sicut te ipsum. Dixitque illi rectè respondisti: HOC FAC, & viues. Ille autem volens iustificare seipsum, dixit ad IESVM: Et quis est meus proximus? Suscipiens autem IESVS: dixit: homo quidam descendebat ab Hierusalem, in Hericho, & incidit in latrones, qui etiam despoliauerunt eum: & plagis impositis, abiêrunt, semiuiuo relicto. Accidit autem vt sacerdos quidam descenderet eadem via: & viso illo, præteriuit. Similiter &

Leuita, cùm esset secus locum, & videret eum, pertransiit. Samaritanus autem quidam iter faciens, venit secus eum: & videns eum, misericordia motus est. Et appropians, alligauit vulnera eius infundens oleum & vinum. Et imponens illum in iumentum suum, duxit in stabulum, & curam eius egit. Et altera die protulit duos denarios, & dedit stabulario, & ait curam illius habe, & quodcunque supererogaueris, ego cùm rediero, reddam tibi. Quis horum trium videtur tibi proximus fuisse illi, qui incidit in latrones? At ille dixit: Qui fecit misericordiam in illum. Et ait illi IESVS: Vade, & tu fac similiter.

OBSERVATIO.

Insufficientia nostra libertatem arbitrii non tollit, sed eius infirmitatem demonstrat. ad bene agendum, & vitam æternam comparandam, vide autem vt nō dixerit legisperitus quid credendo, sed quid faciendo vitam æternam possidebo, & responderit Christus. Diliges. &c.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens & misericors Deus, de cuius munere venit, vt tibi à fidelibus tuis dignè & laudabiliter seruiatur: tribue nobis, quæsumus, vt ad promißiones tuas sine offensione curramus, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum.

DOMI-

DOMINICA XIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Tractat Epistola de fœdere seu pacto, quod cum Abrahamo iniuit Deus, ex illius nempe semine, quod est Christus, nationes omnes benedicendas esse. Docet itidem de lege, quæ ad Christi aduentum vsque cursum & fructum suum habuerit, ad transgressiones videlicet coërcendas, sed non ad hominem iustificandum: id enim vt Christi fide & gratia fiat necesse est. Euangelium narrat præclarum Christi miraculum de curatis decem leprosis, inter quos vnus duntaxat Deo & redemptori se bene gratum præstitit. Aegri & nos Deum inuocamus, sani negligimus: quem in rebus aduersis vtcunque agnoscimus, in prosperis ferè deserimus: pauci constans præstant obsequium Christo liberatori. O fœdum ingratitudinis vitium, quod Iudæos simul & Christianos vitiat, ac ethnicis reddit deteriores. Abundat hæc etiam ætas leprosis, qui ne suum quidem morbum pestilentem agnoscunt, & in hæretica lepra certè pereunt, nisi secundum Christi mandatum submittant se iudicio sacerdotum, per quos Deo & Ecclesiæ sunt reconciliandi.*

EPISTOLA AD GALAT. III.

FRatres, Abrahæ dictæ sunt promissiones, & semini eius. Non dicit, & seminibus, quasi in multis, sed quasi in vno, & semini tuo qui

est Christus. Hoc autem dico, testamentum confirmatum à Deo, quæ post quadringentos & triginta annos facta est lex, non irritum facit ad euacuandam promissionem. Nam si ex lege hæreditas, iam non ex promissione. Abrahæ autem per repromissionem donauit Deus. Quid igitur lex? Propter transgressiones posita est, donec veniret semen cui promiserat, ordinata per angelos in manu mediatoris. Mediator autem vnius non est, Deus autem vnus est. Lex ergo aduersus promissa Dei? absit. Si enim data esset lex quæ posset viuificare, verè ex lege esset iustitia. Sed conclusit scriptura omnia sub peccato: vt promissio ex fide IESV Christi daretur credentibus.

EVANGELIVM LVC. XVII. R.

IN illo tempore, Dum iret IESVS in Hierusalem, transibat per mediam Samariam & Galilæam. Et cùm ingrederetur quoddam castellum, occurrerunt ei decem viri leprosi: qui steterunt à longè, & leuauerunt vocem dicentes: IESV præceptor, miserere nostri. Quos vt vidit, dixit: ITE, ostendite vos sacerdotibus. Et factum est, dum irent, mundati sunt. Vnus autem ex illis, vt vidit quia mundatus est, regressus est, cum magna voce magnificans Deum, & cecidit in faciem antè pedes eius, gratias agens.

Et hic erat Samaritanus. Respondens autem IESVS, dixit: NONNE decem mundati sunt? & nouem vbi sunt? NON est inuentus qui rediret, & daret gloriam Deo, nisi hic alienigena. Et ait illi: Surge, vade, quia fides tua te saluum fecit.

OBSERVATIO.

Detegēdam esse sacerdotibus peccatorum lepram, ab illa vt purgemur non probemur modo iam superius ex August. annotauimus, vide & Chrysost. lib. 3. de sacerd.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens, sempiterne Deus, da nobis fidei, spei & charitatis augmentum: & vt mereamur assequi quod promittis, fac nos amare quod præcipis, Per Dominum nostrum.

DOMINICA XIIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Monet Epistola de perpetua inter spiritum & carnem lucta: discernit etiam inter opera carnis, quæ à Dei regno credentes excludunt, & fructus spiritus, ex quibus vere spirituales homines, tanquam frugiferæ arbores, agnoscuntur. Euangelium iubet vni domino & non pluribus, Deo & non mammonæ seruire, missamque facere solicitudinem rerum ad corporis necessitatem spectantium, ne curis terrenis studia spiritualia impediantur. Huc refertur exemplum auium, liliorum*

& florum, quibus nihil solicitis abundè prospicit Deus. Laborandum quidem credentibus, sed citrà solicitudinem auium more in diem viuentium, eóque ordine, vt quæ præcipua bona sunt, & ad Dei regnum hominísque iustitiam & salutem æternam faciunt, præcipuo etiam studio expetantur & amentur. Quàm cæcus ergo & vanus est mundus, qui noctes ac dies suis lucris & commodis manet affixus, suæque industriæ magis vel certè non minus quàm prouidentiæ diuinæ successum omnem adscribit. Quàm verò pauci regnum Dei & iustitiam eius primùm & seriò quærunt? Vnà nobis cum Ethnicis ferè cura est & cogitatio: Quid manducabimus aut quid bibemus? aut quo operiemur? Quæ nobis Dei cura, quæ fides diuinæ prouidentiæ, qui tam ægrè ventrem authori & corpus concedimus, plenéque permittimus gubernandum; alieni etiam sæpe ab his quæ ad Dei regnum eiusque iusticiam nos poterant promouere. Iacet igitur carnis mortificatio, friget precandi studium, deest sacrificium cordis contribulati, exulat humilitas confeßionis, vilescit paupertas spiritus, & pro charitate cupiditas vbique gentium regnat.

EPISTOLA AD GALAT. V.

FRatres, SPIRITV ambulate, & desideria carnis non perficietis. CARO enim concupiscit aduersus spiritum, spiritus autem ad-

uersus carnem. Hæc enim sibi inuicem aduersantur, vt non quæcunque vultis, illa faciatis. Quod si spiritu ducimini, non estis sub lege. MANIFESTA autem sunt opera carnis, quæ sunt, fornicatio, immundicia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, iræ, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ebritates, comessationes, & his similia: Quæ prædico vobis, sicut prædixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur. FRVCTVS autem spiritus est, charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, mansuetudo, fides, modestia, continentia, castitas. Aduersus huiusmodi non est lex. QVI autem sunt Christi, carnem suam crucifixerunt cum vitijs & concupiscentijs.

EVANGELIVM MATH. VI. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: NEMO potest duobus dominis seruire. Aut enim vnum odio habebit, & alterum diliget: aut vnum sustinebit, & alterum contemnet. Non potestis Deo seruire, & mammonæ. Ideò dico vobis, NE SOLICITIS SITIS animæ vestræ, quid manducetis: neque corpori vestro, quid induamini. Nónne anima plus est quàm esca? & corpus plus, quàm vesti-

mentum? Respicite volatilia cæli, quoniam non serunt, neque metunt, neque congregant in horrea: & pater vester cælestis pascit illa. Nónne vos magis pluris estis illis? Quis autem vestrum cogitans, potest adiicere ad staturam suam cubitum vnum? Et de vestimento quid soliciti estis? Considerate lilia agri quomodò crescunt: Non laborant, neque nent. Dico autem vobis, quoniam nec Salomon in omni gloria sua coopertus est sicut vnum ex istis. Si autem fœnum agri, quod hodiè est, & cras in clibanum mittitur, Deus sic vestit; quantò magis vos modicæ fidei? NOLITE ergo soliciti esse, dicentes: Quid manducabimus, aut quid bibemus, aut quo operiemur? Hæc enim omnia gentes inquirunt. Scit enim pater vester quia his omnibus indigetis. QVAERITE ERGO PRIMVM REGNVM DEI & iustitiá eius, & hæc omnia adiicientur vobis.

Oratio Ecclesiæ.

Custodi Domine, quæsumus, Ecclesiam tuam propitiatione perpetua: & quia sine te labitur humana mortalitas, tuis semper auxiliis, & abstrahatur à noxiis, & ad salutaria dirigatur, Per Dominum.

DOMINICA XV. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Lex charitatis, quæ lex Chri-*

ſti Paulo dicitur, in Epiſtola præcipuè commendatur. Illa propriæ laudis cupiditatem, arrogantiam, æmulationem, inuidiam tollit: docet autem ſecundum ſpiritum ambulare, peccantibus condolere, errantes manſuetè corripere, lapſos corrigere, deiectos conſolari, & imprimis illorum inopiam ſubleuare, qui Eccleſiaſtico miniſterio præſunt, aut alioquin noſtra egent opera & liberalitate. vt enim quiſq; ſemētem fecerit, ita & metet. Euangelium refert miraculum de viduæ filio apud Naim & vitæ & matri reſtituto, ſimúlque Chriſti probat potentiam æquè atque miſericordiam ſuſpiciendam. Libenter Chriſtus mœrentium lachrymis flectitur, & imprimis fauet afflictis, multóque magis Eccleſiæ ſponſæ dolenti & oranti paratam præbet operam; nec deſinit vnquam ad illius conſolationem mortuos excitare. Hunc vitæ & mortis dominum implorare par eſt, vt non ſolùm adoleſcentes in peccatis defunctos, ſed & fætentes Lazaros, quorum ingens eſt numerus, matri Eccleſiæ reddat. Sit etiam nobis mortis hora ſuſpecta, quæ nulli aut ætati aut ſexui nouit parcere, quæqúe priuſquàm incautos opprimat, vigilanter expectanda eſt.

EPISTOLA AD GALAT. V. ET VI.

FRatres, Si ſpiritu viuimus, ſpiritu & ambulemus. Non efficiamur inanis gloriæ cupidi, inuicem prouocantes, inuicem inuidentes. Fratres, & ſi præoccupatus fuerit homo in ali-

quo delicto, vos qui spirituales estis, huiusmodi instruite in spiritu lenitatis: considerans teipsum, ne & tu tenteris. ALTER ALTERIVS onera portate, & sic adimplebitis legem Christi. Nam si quis existimat se aliquid esse, cùm nihil sit: ipse se seducit. Opus autem suum probet vnusquisque, & sic in semetipso tantùm gloriam habebit, & non in altero. VNVSQVISQVE ENIM onus suum portabit. Communicet autem is, qui catechizatur verbo, ei qui se catechizat, in omnibus bonis. Nolite errare, Deus non irridetur. QVAE ENIM SEMINAVERIT homo, hæc & metet. Quoniam qui seminat in carne, de carne & metet corruptionem: qui autem seminat in spiritu, de spiritu metet vitam æternam. Bonum autem facientes, non deficiamus: tempore enim suo metemus, non deficientes. Ergo DVM TEMPVS HABEMVS, operemur bonum ad omnes, maximè autem ad domesticos fidei.

EVANGELIVM LVCAE VII.

IN illo tempore, Ibat IESVS in ciuitatem, quæ vocatur Naim: & ibant cum eo discipuli eius, & turba copiosa. Cùm autem appropinquaret portæ ciuitatis, eccè defunctus efferebatur, filius vnicus matri suæ: & hæc vidua erat, & turba ciuitatis multa cum illa. Quam

cùm

cùm vidisset Dominus, misericordia motus super eam, dixit illi: NOLI FLERE. Et accessit & tetigit loculum. Hi autem qui portabant, steterunt. Et ait: ADOLOSCENS tibi dico, surge. Et resedit qui erat mortuus, & cœpit loqui. Et dedit illum matri suæ. Accepit autem omnes timor; & magnificabant Deum, dicentes: Quia Propheta magnus surrexit in nobis, & quia Deus visitauit plebem suam.

OBSERVATIO.

Erga defunctos pietatis officia commẽdantur Christi miraculo.

Oratio Ecclesiæ.

Ecclesiam tuam, Domine, miseratio continuata mundet & muniat: & quia sine te non potest salua consistere, tuo semper munere gubernetur, Per Dom.

DOMINICA XVI. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Singularem Apostolici spiritus ardorem spirat Epistola, & Pauli ab impiis afflicti magnanimitatem ostendit, qui & alios consolatur, & docet rectè precari, piosque ad perfectiora prouocat. In Euangelio curatur à Christo hydropicus, & confutantur Pharisæi talis miraculi in sabbato perpetrati obseruatores. Additur parabola de infimo loco conuiuii deligendo, & docetur quàm sit dispar superborum humiliumque fructus & exitus. Christus*

benefactis amat sabbatum: nos contrà diebus festis à bonis potius quàm à malis feriamur, eosque polluimus potius quàm sanctificamus. Quid autem indignius, quàm totius humilitatis magistro tàm paucos verè humiles discipulos contingere, & internam externamque modestiam, quæ Deo & hominibus grata est, passim apud nos exulare?

EPISTOLA AD EPHES. III.

FRatres, Obsecro vos, ne deficiatis in tribulationibus meis pro vobis, quæ est gloria vestra. Huius rei gratia, FLECTO genua mea ad patrem Domini nostri IESV Christi, ex quo omnis paternitas in cęlis & in terra nominatur, vt det vobis secundum diuitias gloriæ suæ, virtutem corroborari per spiritum eius in interiori homine: CHRISTVM habitare per fidem in cordibus vestris, in charitate radicati & fundati, vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis quæ sit latitudo, & longitudo, & sublimitas, & profundum, scire etiam supereminentem scientię charitatem Christi, vt impleamini in omnem plenitudinem Dei. Ei autem qui potens est omnia facere superabundanter quàm petimus aut intelligimus, secundum virtutem quæ operatur in nobis: ipsi gloria in Ecclesia, & in Christo IESV in omnes generationes seculi seculorum, Amen.

OBSERVATIO.

Christus per fidem in nobis habitat, si tamen in Charitate radicati & fundati fuerimus docente Paulo.

EVANGELIVM LVCAE XIIII R.

IN illo tempore, Cùm intrasset IESVS in domum cuiusdam principis Pharisæorum sabbato manducare panem, & ipsi obseruabant eum. Et ecce homo quidam hydropicus erat antè illum. Et respondens IESVS, dixit ad legisperitos & pharisæos, dicens: SI LICET sabbato curare? At illi tacuerunt. Ipse verò apprehensum sanauit eum, ac dimisit. Et respondens ad illos, dixit: Cuius vestrûm asinus aut bos in puteum cadet, & non continuò extrahet illum die sabbati? Et non poterant ad hæc respondere illi. Dicebat autem & ad inuitatos parabolam, intēdens quomodò primos accubitus eligerent, dicens ad illos: Cùm inuitatus fueris ad nuptias, non discumbas in primo loco, ne fortè honoratior te sit inuitatus ab illo: & veniens is qui te & illum vocauit, dicat tibi, da huic locum: & tunc incipias cum rubore nouissimum locum tenere. Sed cùm vocatus fueris, VADE recumbe in nouissimo loco: vt cùm venerit qui te inuitauit, dicat tibi amice, ascende superius. Tunc erit tibi glo-

ria coràm simul discumbentibus: QVIA OMNIS qui se exaltat, humiliabitur: qui se humiliat, exaltabitur.

Oratio Ecclesiæ.

Tua nos, quæsumus Domine, gratia semper præueniat & sequatur: ac bonis operibus iugiter præstet esse intentos: Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DOMINICA XVII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *De Christianæ vitæ officiis, potissimum verò de mutua charitate fouenda, & Ecclesiastica vnitate seruanda, docet Epistola. Pudeat Christianos ab vno creatos & redemptos, vno baptismate lotos, vno spiritu donatos, vno quasi corpore comprehensos, vnam demùm fidem profitētes, & communem in cælo vno salutem expectantes: pudeat inquam sectarum, schismatum, dißidiorum atque simultatum. Præstat profectò iacturam bonorum omnium facere, & immane martyrium perpeti, quàm Christianam & Ecclesiasticam scindere vnitatem. In Euangelio duæ quæstiones tractantur, altera de magno mandato dilectionis: altera de genere Meßiæ, sit ne is Dauidis filius. Fidem cum charitate coniungat, qui Christi discipulus eße cupit. Summum gradum colendi Deum tenent, qui in fide constan-*

stantes, ex dilectione seruiunt creatori, quia diligendo perficiunt legem, & vnus cum Deo spiritus efficiuntur. Quàm porrò infelices illi, qui nec proximum, nec Deum amant, & cupiditati potius quàm charitati dant operam, & Christo in primis tantoperè amanti (ad mortem enim crucis vsque diligit) aut nullum, aut modicum rependunt amorem.

EPISTOLA AD EPHES. IIII.

FRatres, OBSECRO vos ego vinctus in Domino, vt dignè ambuletis vocatione, qua vocati estis, cum omni humilitate & mansuetudine, cum patientia supportantes inuicem in charitate, soliciti seruare vnitatem spiritus in vinculo pacis. Vnum corpus & vnus spiritus, sicut vocati estis in vna spe vocationis vestræ. VNVS Dominus, vna fides, vnum baptisma: vnus Deus & pater omnium, qui est super omnes, & per omnia, & in omnibus nobis. Qui est benedictus in secula seculorum. Amē.

EVANGELIVM MATTH. XXII. R.

IN illo tempore, Accesserunt ad IESVM Pharisæi, & interrogauit eum vnus ex eis legis doctor, tentans eum: Magister, quod est mandatum magnum in lege? Ait illi IESVS: DILIGES DOMINVM DEVM TVVM ex toto corde tuo, & in tota anima tua, & in tota mente tua. Hoc est maximum & primum

mandatum. Secundum autem ſimile eſt huic: Diliges proximum tuum ſicut teipſum. In his duobus mandatis vniuerſa lex pendet & Prophetæ. Congregatis autem Phariſæis, interrogauit eos IESVS, dicens: Quid vobis videtur de Chriſto, cuius filius eſt? Dicunt ei: Dauid. Ait illis: Quomodò ergo Dauid in ſpiritu vocat eum Dominum, dicens: Dixit Dominus domino meo, ſede à dextris meis, Donec ponam inimicos tuos ſcabellum pedum tuorum? Si ergo Dauid vocat eum Dominum, quomodò filius eius eſt? Et nemo poterat ei reſpondere verbum: neque auſus fuit quiſquam ex illa die eum amplius interrogare.

ORSERVATIO.

Summarium conſidera diligenter.

Oratio Eccleſiæ.

Da quæſumus Domine populo tuo diabolica vitare contagia: & te ſolum Deum pura mente ſectari. Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum filium.

DOMINICA XVIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epiſtola miniſtros & auditores verbi Dei admonet, pro acceptis donis Deo nunquàm non gratias agere, & aliorum ſucceſſui congaudere, eamque Dei gratiam petere, quæ nos in ſancta vocatione confirmet, vt abſque crimine vitam*

bane

hanc transigamus. In Euangelio miraculum de curato paralytico cernitur, & in eo simul diuina Christi potestas tùm in corporibus, tùm in animabus hominum sanandis comprobatur. Quanta vis fidei etiam alienæ? Curat medicus Christus ægrotos, sed curandi animi prius quàm corporis habet, ac à nobis haberi vult, rationē. Cur ergo ad pellendas animæ pestes longè segnius, quàm ad profligandos dolores morbosq́; corporis adlaboramus? Verè dictum est illud: Nulla nocebit aduersitas, si nulla nobis dominetur iniquitas. Nota est, sed ingrata plerisque confeßionis & pænitentiæ medicina, neque cogitant hanc Dei ordinationem esse, vt Christus per suos vicarios à peccatis absoluat, quibus claues concredidit Ecclēsiæ, diuinámque potestatem tribuit tùm ad remittenda, tùm ad retinenda peccata mortalium.

EPISTOLA I. CORINT. I.

FRatres, Gratias ago Deo meo semper pro vobis, in gratia Dei quæ data est vobis in Christo IESV, quia in omnibus diuites facti estis in illo in omni verbo & in omni scientia, sicut testimonium Christi confirmatum est in vobis, ita vt nihil vobis desit in vlla gratia, expectantibus reuelationem Domini nostri IESV Christi: qui & confirmabit vos vsq; in finem sine crimine, in die aduentus Domini nostri IESV Christi.

EVANGELIVM MATTH. IX.

IN illo tempore, Ascendens IESVS in nauiculam, transfretauit, & venit in ciuitatem suam. Et ecce offerebant ei paralyticum iacentem in lecto. Videns autem IESVS fidem illorum, dixit paralytico: Confide fili, remittuntur tibi peccata tua. Et ecce quidam de scribis, dixerunt intra se: Hic blasphemat. Et cùm vidisset IESVS cogitationes eorum, dixit: VT QVID COGITATIS MALA in cordibus vestris? Quid est facilius dicere, dimittuntur tibi peccata tua: an dicere, surge, & ambula? Vt autem sciatis: quia filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata, (tunc ait paralytico) Surge, tolle lectum tuum, & vade in domum tuam. Et surrexit, & abiit in domum suã. Videntes autem turbæ, timuerunt, & glorificauerunt Deum, qui dedit potestatem talem hominibus.

OBSERVATIO.

Peiores sanè Iudæis hæretici qui potestatem sacerdotibus peccata remittendi tributam negant, magnũ se quidpiam dicere ad diuinum honorem vindicandum arbitrantes, si scribarum instar non iam intrà se vt illi, sed palàm blasphemare nos (mendaciter) vociferentur, cum tamen Deum cum piis turbis glorificemus qui dedit potestatem talem hominibus.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Dirigat corda nostra, quæsumus Domine, tuæ miserationis operatio: quia tibi sine te placere nō possumus, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium.

DOMINICA XIX. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *In Epistola docentur Christiani, vt in baptismo mundati non desinant spiritualem renouationem quotidiè meditari, simúlque in iustitia & sanctitate præstare: Fugienda igitur sunt illis, quæ ad veterem hominem, spectant, mendacium, ira, furtum, otium; & contrariæ illis virtutes amplectendæ, veritas, mansuetudo, liberalitas, pietas, vt homo vetus cum nouo nobis in Christo commutetur. Euangelium versatur in parabola de inuitatis ad nuptias, quæ Iudæos ingratos percellit, quòd primi à Deo vocati venire contempserint: sed & vocatos è gentibus atque iustificatos terret, si Dei regno se præstant indignos, ac Ecclesiæ ministris obedientiam negant. Reiicitur etiam ac gehennæ traditur, qui fide præditus sed charitate vacuus in christi manet Ecclesia, & pietatis speciē præsefert, Deumquè sibi propitiū pollicetur. Horreamus igitur cogitantes, inquit Theophylactus, quia nisi quis vitam habeat puram, cuius nempe symbolum nuptialis est vestis, nihil ei pro-*

derit nuda fides. Abutuntur Dei bonitate & gratia sua, æternasq́ue pœnas non poßunt euadere, qui nuptiali veste, hoc est, charitate destituti coràm Dei iudicio apparebunt. O immensam tanti regis nuptias apparantis, inuitantis, expectantis benignitatem. Sed quanta rursus vocatorum est ingratitudo, quos maxima regis & liberalitas & iustitia nihil mouet, vt oblatam eius gratiam amplectantur? Exulent, plorent, frendeant, ardeant, qui talibus nuptiis gaudere & frui noluerunt. Non vmbra & titulus sed vestimentum & opus charitatis atque iustitiæ nos Deo commendat Deíque regno dignos facit. Beatus qui vigilat & custodit vestimenta sua, ne nudus ambulet, & videant turpitudinem eius.

EPISTOLA EPHES. IIII.

FRatres, Renouamini spiritu mẽtis vestræ, & induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est, in iustitia & sanctitate veritatis. Propter quod deponentes mendacium, loquimini veritatem vnusquisque cum proximo suo: quoniam sumus inuicem membra. Irascimini, & nolite peccare Sol non occidat super iracundiam vestram. Nolite locum dare diabolo. Qui furabatur, iam non furetur: MAGIS AUTEM LABORET operando manibus suis quod bonum est, vt habeat vnde tribuat necessitatem patienti.

EVANGELIVM MATTH. XXII.

IN illo tempore, Loquebatur IESVS principibus sacerdotum & Pharisæis in parabolis dicens: Simile factum est regnum cœlorum homini regi, qui fecit nuptias filio suo, & misit seruos suos vocare inuitatos ad nuptias: & nolebant venire. Iterum misit alios seruos, dicens: Dicite inuitatis: Ecce prandium meum paraui, tauri mei & altilia occisa sunt, & omnia parata: venite ad nuptias. ILLI autem neglexerunt, & abierunt alius in villam suam, alius verò ad negociationem suam. Reliqui verò tenuerunt seruos eius, & contumelijs affectos occiderũt. Rex autem cum audisset, iratus est: & missis exercitibus suis, perdidit homicidas illos, & ciuitatem illorum succendit. Tunc ait seruis suis: Nuptiæ quidem paratæ sunt, sed qui inuitati erãt, non fuerunt digni: Ite ergo ad exitus viarum: & quoscunque inueneritis, vocate ad nuptias. Et egressi serui eius in vias, congregauerunt omnes quos inuenerunt, malos & bonos. Et impletæ sunt nuptiæ discumbentium. Intrauit autem rex vt videret discumbentes: & vidit ibi hominem non vestitum veste nuptiali, & ait illi: AMICE, quomodo huc intrasti, non habens vestem nuptialẽ? At ille obmutuit. Tunc dixit rex ministris: LIGATIS manibus & pe-

dibus eius, mittite eum in tenebras exteriores: ibi erit fletus & stridor dentium. MVLTI enim SVNT VOCATI, PAVCI VERO ELECTI.

OBSERVATIO.

Satisfactionem tertiam pœnitentiæ partem ex illis verbis, Magis autem laboret, &c. colligit copioséq; confirmat Chrysost. Vocantis Dei bonitatem, & resistens vocationi liberum arbitrium Euangelii parabola demonstrat.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens & misericors Deus, vniuersa nobis aduersantia propitiatus exclude: vt mente & corpore pariter expediti, quæ tua sunt, liberis mentibus exequamur, Per Dominum nostrum.

DOMINICA XX POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Docet Epistola Christianos prudenter aduigilare, vt tempus ritè collocent, nec nimium securè viuant. Malè suum tempus collocant ebriosi carníque voluptatibus dediti: at piis conuenit in diuinis laudibus & canticis spiritualibus recreari. Euangelium de filio Reguli tractat, simúlque Christi virtutem ac benignitatem explicat, qui patrem prius incredulum ad veram fidem prouexerit, & ægrotum eius filium lethali morbo liberarit. Egemus & nos sanctæ fidei incrementis, vt Regulus & Apostoli eguerunt, nostraque fidei imbecillitas rebus*

in aduersis maximè cernitur & probatur. Cur autem Christi sermo atque promissio tantùm apud nos, quantùm apud Regulum non efficit? Ex vno colloquio ille magnoperè profecit, nec modò filium, sed & familiam totam in meliorem statum adduxit; vt crederent vniuersi. O fidum patrem familias, & sapientem suorum præfectum, & docilem Christi discipulum, qui tempus suæ visitationis agnouit.

EPISTOLA EPHES. V.

FRatres, Videte quomodo cautè ambuletis, non quasi insipientes, sed vt sapientes, redimentes tempus, quoniam dies mali sunt. Propterea nolite fieri imprudentes, sed intelligentes quæ sit voluntas Dei. Et nolite inebriari vino, IN QVO EST LVXVRIA: sed implcamini Spiritu sancto, loquentes vobismetipsis in Psalmis, & Hymnis & canticis spiritualibus, cantantes & psallentes in cordibus vestris Domino. Gratias agentes semper pro omnibus, in nomine Domini nostri IESV Christi, Deo & Patri, subiecti inuicem in timore Christi.

EVANGELIVM IOAN. IIII.

IN illo tempore, Erat quidam regulus, cuius filius infirmabatur Capharnaum. Hic cum audisset quia IESVS adueniret à Iudæa in Galilæam, abiit ad eum, & rogabat eum vt descenderet, & sanaret filium eius; incipiebat enim

mo, verbo Dei; vt vocationem ac ſalutem noſtram aduerſus hoſtes teterrimos tueamur. In Euangelio parabola eſt de ſeruo debitore, qui Dominum clementem expertus, durum & ſeuerum ſe conſeruo præſtitit, ac propterea tortoribus puniendus traditur. Ita Chriſtus docet miſericordibus diuinam tribui miſericordiam, nec remitti nobis peccata, niſi culpas fratrum & ipſi ex animo remittamus, eorumque offenſionibus non offendamur. Vulgò leue peccatum æſtimatur, cùm proximus proximum ſpernit, vexat, torquet, percutit: ſed æternis cruciatibus hanc iniuriam vindicat Deus. Multa nobis quoque talenta diuinitus concredita, ſed quorum rationem repoſcet qui dedit, vt ad minimum vſque quadrantem ſoluamus creditori. At fide, miſericordia, humilitate, oratione, pœnitentia cælum Deumque mercari fas eſt.

EPISTOLA EPHES. VI.

FRatres, Confortamini in Domino, & in potentia virtutis eius. Induite vos armaturam Dei, vt poſſitis ſtare aduerſus inſidias diaboli. Quoniam NON EST NOBIS COLLVCTATIO aduerſus carnem & ſanguinem, ſed aduerſus principes & poteſtates, aduerſus mundi rectores tenebrarum harum contrà ſpiritualia nequitiæ in cæleſtibus. Propterea accipite armaturam Dei, vt poſſitis reſiſtere in die malo, & in omnibus perfecti ſtare. STATE

ergo, ſuccincti lumbos veſtros in veritate, & induti loricam iuſtitiæ, & calceati pedes in præparationem Euangelij pacis: in omnibus ſumentes ſcutum fidei in quo poſſitis omnia tela nequiſſimi ignea extinguere. Et galeam ſalutis aſſumite,& gladium ſpiritus, quod eſt verbum Dei.

OBSERVATIO.

Attēde quibus virtutibus inſtructi de hoſte ſatana victoriam reportantes immarceſcibilem gloriæ coronam percipiamus, nec de ſola fide confides.

EVANGELIVM MATTH. XVIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis parabolam hanc; Simile eſt regnum cælorum homini regi,qui voluit rationem ponere cum ſeruis ſuis. Et cùm cœpiſſet rationem ponere, oblatus eſt ei vnus, qui debebat ei decem millia talenta. Cùm autem non haberet vnde redderet, iuſſit eum dominus eius venundari,& vxorem eius,& filios, & omnia quæ habebat,& reddi. Procidens autem ſeruus ille, rogabat eum, dicens: PATIENTIAM habe in me,& omnia reddam tibi. Miſertus autem dominus ſerui illius, dimiſit eum, & debitum dimiſit ei. Egreſſus autem ſeruus ille inuenit vnū de conſeruis ſuis,qui debebat ei centum denarios: & tenens ſuffocabat eum, dicens: Redde

quod debes. Et procidens conſeruus eius, rogabat eum, dicens: Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Ille autem noluit: ſed abiit, & miſit in carcerem, donec redderet debitum. Videntes autem conſerui eius quæ fiebant, contriſtati ſunt valdè. Et venerunt, & narrauerunt domino ſuo omnia quæ facta fuerant. Tunc vocauit illum dominus ſuus, & ait illi: Serue nequam, OMNE debitum dimiſi tibi, quoniam rogaſti me: nónne ergo oportuit & te miſereri conſerui tui, ſicut & ego tui miſertus ſum? Et iratus dominus eius, tradidit eum tortoribus, quoadusque redderet vniuerſum debitum. SIC & Pater meus cæleſtis faciet vobis, ſi non remiſeritis vnuſquiſq; fratri ſuo de cordibus veſtris.

Oratio Eccleſiæ.

Familiam tuam, quæſumus Domine, continua pietate cuſtodi: vt à cunctis aduerſitatibus te protegente ſit libera: & in bonis actibus tuo nomini ſit deuota, Per Dominum noſtrum.

DOMINICA XXII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epiſtola bonos in via Dei benè currentes confirmat ac promouet, vt in ſancto curſu fortes atque conſtantes Chriſti gratia perſeuerent. In Euangelio quæritur ac reſpondetur de tributo Cæſari pendendo, ſimulq; phariſaica hypocriſis dete-*

gitur, & præclarè vincit Dei ſapientia verſutiam inſidiatorum. En peßimum amicorum genus, quod blandiloquentia ſua fictiſq; ſermonibus crebrò perdit innocentes. Rectè autem dictum eſt: Meliora ſunt vulnera diligentis, quã fraudulenta oſcula blãdientis. En præterà imperium & magiſtratum, vti ab Apoſtolis, ſic etiam à Chriſto ſtabilitum, nefas vt ſit prorſus, vtrique magiſtratui, cùm aduerſus religionem & pietatem nihil exigit, reuerentiam ac obedientiam debitam negare. At hæc ætas infœlix, innumeros filios Belial exhibet, qui nec Deo, nec magiſtratui ſuum ius tribuunt, quin potius Iudæorum more tùm diuinæ, tùm humanæ legis iugum omne detrectant, & Chriſtianæ interim libertatis titulo ſeſe tuentur, ſuámque excuſant inobedientiam.

EPISTOLA PHILIP. I.

FRatres, Confidimus in Domino IESV, quia qui cœpit in vobis opus bonum, perficiet vſque in diem Chriſti IESV. Sicut eſt mihi iuſtum hoc ſentire pro omnibus vobis, eò quòd habeam vos in corde, & in vinculis meis, & in defenſione & confirmatione Euangelij, & ſocios gaudij mei omnes vos eſſe. Teſtis enim eſt mihi Deus, quomodo cupiam vos omnes in viſceribus IESV Chriſti: & hoc oro, vt charitas veſtra magis ac magis abundet in ſcientia & in omni ſenſu, vt probetis potiora,

vt ſitis ſynceri & ſine offenſa in diem Chriſti, repleti fructu iuſtitiæ per IESVM Chriſtum, in laudem & gloriam Dei.

EVANGELIVM MATTH. XXII.

IN illo tempore, Abeuntes Phariſæi, conſilium inierunt, vt caperent IESVM in ſermone, & mittunt ei diſcipulos ſuos cum Herodianis, dicentes: Magiſter, ſcimus quia verax es, & viam Dei in veritate doces, & non eſt tibi cura de aliquo. Non enim reſpicis perſonam hominum: dic ergo nobis, quid tibi videtur? Licet cenſum dare Cæſari, an non? Cognita autem IESVS nequitia eorum, ait: Quid me tentatis hypocritæ? Oſtendite mihi numiſma cenſus. At illi obtulerunt ei denarium. Et ait illis IESVS: Cuius eſt imago hæc & ſuperſcriptio? dicunt ei: Cæſaris. Tunc ait illis: REDDITE ERGO quæ ſunt Cæſaris, Cæſari: & quæ ſunt Dei, Deo.

OBSERVATIO.

Vide in ſummario quam malè libertate Chriſtiana ad inobedientiam abutantur quàplurimi, & caue.

Oratio Eccleſiæ.

Deus refugium noſtrum & virtus, adeſto piis Eccleſiæ tuæ precibus author ipſe pietatis, & præſta, vt quod fideliter petimus, efficaciter conſequamur, Per dominum noſtrum Ieſum &c.

DOMINICA XXIII. POST PENTECOSTEN.

SVMMARIVM. *Epistola credentes hortatur, quorum consortium fugere, quorúmque exemplum imitandum sibi proponere debeant. Vitandi sanè Pseudapostoli, qui ab Apostolica doctrina & traditione discedunt, omnésque inimici crucis Christi, qui Christiana libertate ad carnis licentiam abutuntur, & terrestria potius quàm quæ spiritualem conuersationem sapiunt, æmulantur. Euangelium duplex Christi miraculum continet: alterum de Hæmorrhoissa, cui sanguinis fluxus in via sistitur: alterum de Archisynagogi defuncta filia, quæ ad vitam in ædibus reuocatur. Vtrobique Christi virtus & bonitas insignis elucescit: sed in Hæmorrhoissa, velut quæ gentium typus eßet, fides, humilitas & gratitudo Christiana nobis præcipuè commendatur. Quantum verò virtutis ex Eucharistia sacrosancta pii sperare poßunt & consequi, si huic muliercula & aliis multis ægris tantum profuit, fimbriam vestimenti Christi cum fide attigiße? Cur ergo non petimus, non quærimus in ipso fonte gratiam? in ipsa scilicet Christi carne diuinitati eius coniuncta, quæ ad viuificandas & sanandas animas vim incredibilem obtinet, vereq; mundo dat vitam, si ritè accipiatur.*

EPIST. AD PHILIPP. III. ET IIII.

FRatres, Imitatores mei estote, & obseruate eos qui ita ambulant, sicut habetis formam nostrã. Multi enim ambulant quos sæpè dicebam vobis, nunc autem & flens dico, inimicos crucis Christi, quorum finis interitus, quorum Deus venter est, & gloria in confusione ipsorum, qui terrena sapiunt. NOSTRA AVTEM CONVERSATIO in cælis est. Vnde etiam saluatorem expectamus Dñm nostrũ IESVM Christum, qui reformabit corpus humilitatis nostræ configuratum corpori claritatis suæ, secundum operationem virtutis suæ, qua possit etiam subiicere sibi omnia. Itaque fratres mei charissimi & desideratissimi, gaudium meum, & corona mea: sic state in Domino, charissimi. Euodiã rogo, & Syntychen deprecor, idipsum sapere in Domino. Etiam rogo & te Germane compar, adiuua illas, quæ mecum laborauerunt in Euangelio, cum Clemente, & cæteris adiutoribus meis, quorum nomina sunt in libro vitæ.

EVANGELIVM MATTH. IX.

IN illo tempore, Loquente IESV ad turbas, ecce princeps vnus accessit, & adorauit eum, dicens: Domine, filia mea modò defuncta est: sed veni, impone manum super eam, & viuet. Et surgens

ſurgens IESVS, ſequebatur eum, & diſcipuli eius. Et eccè mulier quæ ſanguinis fluxum patiebatur duodecim annis, acceſſit retrò, & tetigit fimbriam veſtimenti eius. Dicebat enim intrà ſe: SI TETIGERO tantùm veſtimentum eius, ſalua ero. At IESVS conuerſus, & videns eam, dixit: Confide filia, fides tua te ſaluam fecit. Et ſalua facta eſt mulier ex illa hora. Et cùm veniſſet IESVS in domum principis, & vidiſſet tibicines & turbam tumultuantem, dicebat: Recedite: non eſt enim mortua puella, ſed dormit. Et deridebant eum. Et cùm eiecta eſſet turba, intrauit & tenuit manum eius. Et ſurrexit puella. Et exiit fama hæc in vniuerſam terram illam.

OBSERVATIO.

Fides quæ ſaluet iam ſæpe monuimus, At in Paulo nota diligenter, quam non ſuperbè imitandum ſe præbeat, & alios qui ita ambulant neque hoc detrahit Chriſti dignitati qui de ſe ipſo inquit Exemplum dedi vobis, &c. Hinc vt videas quanti faciendi ſint nimis honorificati amici Dei.

Oratio Eccleſiæ.

Abſolue, quæſumus Domine, tuorum delicta populorum: vt à peccatorum noſtrorum nexibus, quæ pro noſtra fragilitate contraximus, tua benignitate liberemur, Per Dominum noſtrum Ieſum Chriſtum.

DOMINICA XXIIII. ET VLTIMA POST PENtecosten.

SVMMARIVM. *Quod precatur Paulus in Epistola Colossensibus, id ipsi etiã nobis & aliis totiq; Ecclesiæ semper precari debemus, vt accepta veritas et gratia Christi magis magisq; suam in credentibus vim explicet, solidosq; uirtutum fructus adferat in omni iustitia & sanctitate. Euangelium proponit triste vaticinum non solùm de destructione vrbis Hierosolymitanæ, qua nihil visum est luctuosius, sed etiam de venturo tandem Antichristo tyrannorum omnium principe, eiusq; præcursoribus hæreticis, præcipuis quidem Ecclesiæ pestibus, adeoq; de postrema illa mundi desolatione, quæ malorum omnium lernam verè miserandam aduehet: ac demum de ipso etiam extremi iudicii die, quo nihil formidabilius potest excogitari. Multa verò hîc signa prædicit Christus, quæ vrbis Hierosolymitanæ deuastationem præcesserunt, ac etiamnum apparent, orbiq; non obscurè testantur finem rerum humanarum, & aduentum Christi iudicis haud procul abesse posse. Nónne igitur tempus ipsum admonet, vt Christi & Apostolorum prædictionibus commoniti, mundi iam ferè decrepiti præsidiis diffidamus, & ad grauiores in Ecclesia motus ac turbines perferendos excitemur, rationesq; omnes ita componamus, vt quoniam nouißima hora est, abiectis*

impedimentis & paratis animis supremum Christi aduentum vigiles excipiamus? Altera quæ sequitur Epistola, Meßiæ promittit aduentum, & personam eius dipingit, magnumq; fructum Euangelicæ gratiæ per Christum gentibus impertiendæ demonstrat. Huc ipsum Meßiam gratus agnouit populus, cùm in deserto satiatus, liberalitatem & virtutem Christi maximam fuißet expertus, sicut Euangelium ex Ioanne sumptum indicat, si vsum sequimur quarundam Ecclesiarum. De hoc Euangelio alibi plura.

EPISTOLA COLOSS. I. R.

FRatres, Non cessamus pro vobis orantes & postulantes, vt impleamini agnitione voluntatis Dei, in omni sapientia & intellectu spirituali, vt ambuletis dignè, Deo per omnia placentes, in omni opere bono fructificantes, & crescentes in scientia Dei, in omni virtute confortati secundum potentiam claritatis eius, in omni patientia & longanimitate cum gaudio, gratias agentes Deo Patri, qui dignos nos fecit in partem sortis sanctorum in lumine, qui eripuit nos de potestate tenebrarum, & transtulit in regnum filij dilectionis suæ, in quo habemus redemptionem & remissionẽ peccatorũ.

EVANGELIVM MATTH. XXIIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Cum videritis abominationem desolationis

tionis, quæ dicta est à Daniele Propheta, stantem in loco sancto, qui legit intelligat: tunc qui in Iudæa sunt, fugiant ad montes: & qui in tecto, non descendat tollere aliquid de domo sua: & qui in agro, non reuertatur tollere tunicam suam. Væ autem prægnantibus & nutrientibus in illis diebus. Orate autem, vt non fiat fuga vestra hyeme vel sabbato: ERIT enim TVNC TRIBVLATIO MAGNA, qualis non fuit ab initio mundi vsq; modò, neq; fiet. Et nisi breuiati fuissent dies illi, non fieret salua omnis caro: sed propter electos breuiabuntur dies illi. Tunc si quis vobis dixerit, ECCE HIC EST CHRISTVS, AVT ILLIC: nolite credere. Surgent enim pseudochristi & & pseudoprophetæ, & dabunt signa magna & prodigia, ita vt in errorem inducantur, si fieri potest, etiam electi. Eccè prædixi vobis. Si ergo dixerint vobis, Eccè in deserto est, nolite exire: Eccè in penetralibus, nolite credere. Sicut enim fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus Filij hominis. Vbicunque fuerit corpus, illuc congregabuntur & aquilę. Statim autem post tribulationem dierum illorum sol obscurabitur, & luna non dabit lumem suum, & stellæ cadent de cælo, & virtutes cælorum commouebuntur.

buntur. Et tunc apparebit ſignum Filij hominis in cælo. Et tunc plangent omnes tribus terræ, & videbunt Filium hominis venientem in nubibus cæli, cum virtute multa & maieſtate. Et mittet angelos ſuos cum tuba & voce magna: & congregabunt electos eius à quatuor ventis, à ſummis cęlorum, vſque ad terminos eorum. Ab arbore autem fici, diſcite parabolã. Cum iam ramus eius tener fuerit & folia nata, ſcitis quia propè eſt æſtas. Ita & vos cùm videritis hæc omnia, ſcitote quia prope eſt in ianuis. Amen dico vobis, non præteribit generatio hæc, donec hæc omnia fiant. CAELUM ET TERRA TRANSIBUNT, verba autem mea non præteribunt.

OBSERVATIO.

Multa de operibus epiſtola. At in Euangelio nota quam perperam abutantur hæretici illis verbis Christi; Eccè in deſerto, eccè in penetralibus, ad eum ritum conuellendum quo Eccleſia Dei vtitur in aſſeruatione Euchariſtiæ, noſtri ſolatii & moribundis viatici exhibendi de cauſa, cum de Antichriſto Chriſtus non de ſeipſo loquatur, quem Iudæi aliiq; permulti ſpreto vero Meßia quæſituri in deſerto ſunt & penetralibus. Hoc vt caueant Saluator admonet. Quid hæc cum Euchariſtia. Oratio Eccleſiæ.

Excita, quæſumus Domine, tuorum fidelium voluntates

luntates, vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant, Per Do.

EADEM DOMINICA

LECTIO IEREMIAE.

Iuxtà vsum quarundam Ecclesiarum.

ECcè dies veniunt, dicit Dominus: & suscitabo Dauid germen iustum, & REGNABIT REX, & sapiens erit, & faciet iudicium & iustitiam in terra. In diebus illis saluabitur Iuda, & Israël habitabit confidenter. Et hoc est nomen quo vocabunt eum: Dominus iustus noster. Propter hoc eccè dies veniunt, dicit Dominus: & non dicent vltrà, Viuit Dominus qui eduxit filios Israël de terra Aegypti: sed, Viuit Dominus qui eduxit & adduxit semen domus Israël de terra Aquilonis, & de cunctis terris, ad quas eieceram eos illuc, & habitabunt in terra sua: dicit Dominus omnipotens.

EVANGELIVM IOAN. VI.

IN illo tempore, Cùm subleuasset oculos IESVS & vidisset, &c. *Reliqua peti possunt ex Dominica 4. Quadragesimæ, quæ & Lætare dicitur.*

Oratio Ecclesiæ.

Excita, quæsumus Domine, tuorum fidelium voluntates: vt diuini operis fructum propensius exequentes, pietatis tuæ remedia maiora percipiant, Per Do.

LECTIONVM DOMINIC. FINIS.

IN SEQVENTES LECTIONES DE FESTIS SANCTORVM Diebus, Præfatio.

INTER *Festos dies qui sanctißimæ Trinitati quotannis celebrantur, atq; dedicantur, pleraq; festiuitates (sic enim veteres quoque loquuntur) Deiparæ virginis, Apostolorum, Martyrum, aliorúmque sanctorum, velut pulchræ quædam in eodem cælo stellæ, vel annullo gemmæ lucentes interseruntur. Eiuscemodi feriæ complures partim propter venerandam antiquitatem, multis retrò seculis institutæ, magnoq; piorum consensu hactenus obseruatæ durant: partim ob communem vtilitatem, quæ inde ad nos redit, in Ecclesia Catholica meritò retinentur Etenim nostri profectus causa, vt magnus inquit Basilius, celebranda est sanctorum memoria, non quòd illi nostris indigeant laudibus, sed quia nos ipsorum vitæ historia & commemoratione adiuuamur. Gregorius Nazianzenus perspicuè dixit: Veritatis martyribus festa instauramus, vt cùm eorum certamina veneramur, eorum quoque pietatem veneremur. Augustinus verò in hunc modum: Populus Christianus memorias Martyrum religiosa solennitate concelebrat, & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur atque orationibus adiuuetur. Tùm alibi rursus: Natalitia sanctorum cum sobrietate celebrate.*

vt imitemur eos, qui præceßerunt, & gaudeant de vobis, qui orant pro vobis, vt benedictio Domini in æternum maneat super vos. Confirmat hæc quoque Bernardus quando ita docet: *Tria sunt, quæ in festiuitatibus sanctorum vigilanter considerare debemus, auxilium sancti, exemplum eius, confusionem nostrã. Auxilium eius, quia qui potens in terra, potentior in cælis est ante faciem Domini Dei sui. Si enim dum hic adhuc viueret, misertus est peccatoribus, & orauit pro eis (vti Moyses, Stephanus, Paulus) nunc tantò plus, quantò verius agnoscit miserias nostras, orat pro nobis Patrem: quia beata illa patria charitatem illius non imminuit, sed augmentauit.* Plura idẽ adiungit de exemplo vniuscuiusque sancti imitando, & de confusione nostra humiliter elicienda: demùm verò in hæc verba concludit: *Sic ergo in sanctorum festiuitatibus & gaudere & confundi debemus: gaudere, quia patronos præmisimus: confundi, quia eos imitari non poßumus.* Habes iam pie Lector ex ore trium vel quatuor probatorum testium, quid vetus Ecclesia de sanctis eorúmq; feriis & cultu senserit, docuerit, obseruarit. Quo magis cauendus est error Vigilantianorum iam olim quidem iustè damnatus, sed infeliciter hoc seculo renatus, quo multi per insignem temeritatem, ne dicam impietatem, sanctorum honori nihil non detrahunt, & illorum ferias tot seculis receptas, magnáque religione seruatas, priuata

abrogant authoritate. Quod certè qui faciunt aut probant, vt Christum sponsum in Ecclesia sponsa contemnunt, sic Deum ipsum in electis illis suis organis persequuntur, nec intelligũt illud, Laudate Dominum in sanctis eius. Etenim honoramus in Ecclesia seruos, vt honor seruorum redundet ad dominum, vtq; Deus in suis filiis & hæredibus Christiq; amicis eximiis honoretur. Honor erga gratos & benignos conseruos, beneuolentiæ erga communem dominum est indicium, sicut Hieronymus, Theodoretus & Damascenus ostendunt.

DIE FESTO S. ANDREÆ APOSTOLI.

SVMMARIVM. *Epistola præscribit prima ferè officia & exercitia Christianismi. vt sunt, corde credere, & quod credendum est, profiteri, inuocare Deum, & Dei audire verbum. In his si ordinem spectas, primum est audire, secundum credere, tertium confiteri, ac deinde inuocare, & orare. Fuit autem B. Andreas ex iis, qui mißionem ex Pauli sententia neceßariam, ac vocationem legitimam habuerunt ad euangeliZandum. Eiusmodi vocationem rursus vides in Euangelio quum Christus inter primos discipulos Andream ipse vocet, & mox sequentem vnà cum aliis recipiat atque confirmet in munere Apostolatus. O sanctum & magnum obedientiæ promptæ studium in pri-*

mis

mis Apostolis? Vocamur & nos etiamnum à Christo, si non ad piscandos homines, quod ministrorum verbi et pastorum est proprium, at certè quidem ad relinquenda retia & abiicienda impedimenta, quæ nos auocant à negotio salutis æternæ. Quòd si pauci cum Andrea relinquunt retia, licet à Christo vocentur, pauciores cum eo crucem amant, & suam in cruce gloriam statuunt.

EPISTOLA AD ROM. X.

FRatres, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutē. Dicit enim Scriptura: Omnis qui credit in illum, non confundetur. Non enim est distinctio Iudæi & Græci: Nam idem Dominus omnium, diues in omnes qui inuocant illum: Omnis enim quicunq; inuocauerit nomen Domini, saluus erit. Quomodo ergo inuocabunt, in quem non crediderunt? Aut quomodo credent ei, quem non audierunt? Quomodo autem audient sine prædicante? Quo modo verò prædicabunt, nisi mittantur? sicut scriptum est: Quàm speciosi pedes euangelizantium pacem, euangelizantium bona: Sed non omnes obediunt Euangelio. Esaias enim dicit: Domine, quis credidit auditui nostro? Ergo fides ex auditu, auditus autē per verbum Christi. Sed dico, nunquid non audierunt? Et quidem IN OMNEM terram exiuit sonus eorum, &

in fines orbis terræ verba eorum.

OBSERVATIO.

Prædicationis muneri obeundo mißionem neceßariam agnosce, quam quoniam hæretici non habent, sed in eos illa quadrant prophetæ verba, Ipsi currebant ego non mittebam eos, prophetabant, & non loquebar ad eos planè non sunt audiendi, imo tanquam falsi prophetæ habendi. Mißionem enim per manuum Apostolicarum impositionem non habent, ordinariam appellatam: at neque extraordinariam, quæ miraculis semper fuit à Deo confirmata vt in Mose &c. aut scripturis de persona mißa loquentibus, vt in Ioanne Bapt. patet.

EVANGELIVM MATTH. IIII.

IN illo tempore, Ambulans IESVS iuxtà mare Galilææ, vidit duos fratres, Simoné qui vocatur Petrus, & Andreã fratrẽ eius, mittentes rete in mare (erant enim piscatores) Et ait illis: Venite post me, & faciã vos fieri piscatores hominum. AT ILLI continuò relictis retibus, secuti sunt eum. Et procedens indè, vidit alios duos fratres, Iacobum Zebedæi, & Ioannem fratrem eius, in naui cum Zebedæo patre eorum reficientes retia sua: & vocauit eos. Illi aucẽ statim relictis retibus & patre, secuti sunt eum.

DE SANCTO ANDREA APOSTOLO.



NDREAS Apoſtolus, Bethſaidæ natus, qui eſt Galilææ vicus, frater Petri natu maior, diſcipulus Ioannis Baptiſtæ, cùm eum de Chriſto dicentem audiſſet. Ecce agnus Dei; ſecutus Ieſum, fratrem quoq; ſuum, ad eundem perduxit. Cùm poſteà vnà cum fratre piſcaretur in littore Galilææ, ambo à præte reunte Chriſto Domino, ante alios Apoſtolos vocati, illis verbis: Venite poſt me, faciam vos fieri piſcatores hominum: nullam interponentes moram, & relictis retibus, ſecuti ſunt eum. Poſt cuius paſſionem, & reſurrectionem, Andreas cum in Scythiam Europæ, quæ ei prouincia, ad Chriſti fidem diſſeminandam, obtigerat, veniſſet, deinde Epirum ac Thraciam peragraſſet, doctrina & miraculis, innumerabiles homines ad Chriſtum conuertit. Poſt Patras Achaię profectus, & in ea vrbe plurimis ad veritatem Euangelicam perductis, Ægeam Proconſulem, prædicationi Euangelicæ reſiſtentem, liberrimè increpauit, quod qui iudex hominum haberi vellet, Chriſtum Deum omnium iudicem, à dæmonibus eluſus, non agnoſceret. Tum Ægeas iratus: Deſine, inquit, Chriſtum iactare, cui

ſimilia verba nihil profuerunt,quo minus à Iudæis crucifigeretur. Andream verò, de Chriſto nihilominus liberè prædicantem,quod pro ſalute humani generis,ſe crucifigendum obtuliſſet, impia oratione interpellat,ac demum hortatur, vt ſibi conſulens,dijs velit immolare. Cui Andreas:Ego omnipotenti Deo,qui vnus & verus eſt,immolo quotidiè,non taurorum carnes,nec hircorum ſanguinem,ſed immaculatum agnum in altari: Cuius carnem poſtea quàm omnis populus credentium manducauerit,agnus, qui ſacrificatus eſt,integer,perſeuerat,& viuus.Quam obrem ira accenſus Ægeas, iubet eum in carcerem detrudi;vnde populus Andream facile liberaſſet,niſi ipſe ſedaſſet multitudinem, vehementius rogans,ne ſe ad optatiſſimâ Martyrij coronam properantem impedirent. Igitur paulò poſt in tribunal productum, cum Ægeas crucis extollentem myſteria,ſibique ſuam impietatem exprobrantem,diutius ferre non poſſet: in crucem tolli,& Chriſti mortem imitari iuſſit. Adductus Andreas ad locũ martyrij, cum crucẽ vidiſſet,à longè exclamare cœpit: O bona crux, quæ decorem ex membris Domini ſuſcepiſti, diu deſiderata,ſollicitè amata, ſine intermiſſione quæſita, & aliquando cupienti animo præparata;accipe me ab hominibus, & redde me magi

ſtro

ſtro meo: vt per te me recipiat, qui per te me redemit. Itaque cruci affixus eſt: in qua biduum viuus pendens, & Chriſti fidem prædicare nunquam intermittens, ad eum migrauit, cuius mortis ſimilitudinem concupierat. Quæ omnia presbyteri, & Diaconi Achaiæ, qui eius paſſionem ſcripſerunt, ſe ita vt commemorata ſunt, audiſſe & vidiſſe teſtantur. Eius oſſa primum, Conſtantino Imperatore, Conſtantinopolim, deinde Malphim translata ſunt. Caput Pio 2. pontifice, Romam allatum, in Baſilica S. Petri collocatum eſt.

OBSERVATIO.

Quam a beato Apoſtolo huius temporis Iconoclaſtæ diſtant, qui ſalutare Crucis ſignum impiè nullo loco ferunt, quod tamen in parato ſibi patibulo tam eſt religiosè veneratus Andreas. Qui ſalutis noſtræ ducem, O Chriſtiane diligent ii; qui eius vexillum ne videre quidem ſuſtinent. Habes Chriſtum Agnum ab Andrea immolatum, ſacrificatumq; & diſtributum integrum perſeuerare. Oratio Eccleſiæ.

Maieſtatem tuam Domine ſuppliciter exoramus, vt ſicut Eccleſiæ tuæ beatus Andreas Apoſtolus extitit prædicator & rector: ita apud te ſit pro nobis perpetuus interceſſor, Per dominum noſtrum Ieſum. &c.

Canticum de S. Andrea Apoſtolo.

Doctor bonus & amicus Dei Andreas ducitur ad

cru-

crucem, quam à longe aspiciens, dixit, Salue crux, suscipe discipulum eius qui pependit in te, magister meus Christus.

FESTO DIE S. NICOLAI EPISCOPI.

SVMMARIVM. *Meminit Epistola præpositorum Ecclesiæ, quorum fides, doctrina, vita & mors meritò nobis consideranda sit atque imitanda, quibus insuper obedientia debeatur. Inter hos præclarè Nicolaus effulsit, talis & Episcopus & præpositus Mireensis, qualem Paulus Timotheo ac Tito dipinxit. Excelluit inde à puero raris animi dotibus, sed præcipuè laudatus à beneficẽtia, liberalitate et hospitalitate in egenos collata, de qua simul commonefacit Epistola. Aliis placet lectio ex Ecclesiastico petita, quæ sequitur, apta quidem & illa huic sancto Episcopo, qui verè sacerdos magnus, & præ reliquis iustus, & singulariter à Deo benedictus, et in Ecclesia celebris inuenitur. Rectè quadrat & Euangelium, vt sciamus Nicolaum ex frugi & industriis seruis fuisse, qui talenta diuinitus sibi concredita pro Domini voluntate & ad proximi Ecclesiæq; profectum diligenter expẽderunt, perpetuam vt inde laudem & gloriam promereantur.*

EPISTOLA HEBR. XIII.

FRatres, Mementote præpositorum vestrorum, qui vobis locuti sunt verbum Dei: quorum intuentes exitum conuersationis, imitamini

ni fidem. IESVS Christus heri & hodiè, ipse & in secula. DOCTRINIS variis & peregrinis nolite abduci. Optimum est enim, gratia stabilire cor, non escis quæ non profuerunt ambulantibus in eis. Habemus altare: de quo edere non habent potestatem qui tabernaculo deseruiunt. Quorum enim animalium infertur sanguis pro peccato in sancta per pontificem: horum corpora cremantur extra castra. Propter quod & IESVS, vt sanctificaret per suum sanguinem populum, extra portam passus est. Exeamus igitur ad eum extra castra: improperium eius portantes. NON enim habemus hîc manentem in ciuitatem: sed futuram inquirimus. Per ipsum ego offeramus hostiam laudis semper Deo, id est, fructum labiorum confitentium nomini eius. Beneficentiæ autem & communicationis nolite obliuisci, talibus enim hostiis promeretur Deus. OBEDITE præpositis vestris, & subiacete eis. Ipsi enim peruigilant quasi rationem pro animabus vestris reddituri.

EVANGELIVM MATT. XXV. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc: Homo quidam peregrè proficiscens, vocauit seruos suos, & tradidit illis bona sua. Et vni dedit quinq; talenta, alij autem duo, alij verò vnum, vnicuique secundum pro-

priam virtutem: & profectus est statim. Abiit autem qui quinq; talenta acceperat, & operatus est in eis,& lucratus est alia quinq;. Similiter & qui duo acceperat,lucratus est alia duo. Qui autem vnum acceperat, abiens, fodit in terram, & abscondit pecuniam domini sui: post multum verò temporis venit dominus seruorum illorum, & posuit rationem cum eis. Et accedens qui quinq; talenta acceperat, obtulit alia quinque talenta, dicens: DOMINE, quinq; talenta tradidisti mihi: eccè alia quinque superlucratus sum. Ait illi dominus eius: Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudiũ domini tui. Accessit autem & qui duo talenta acceperat, & ait: Domine, duo talenta tradidisti mihi: eccè alia duo lucratus sum. Ait illi dominus eius, Euge serue bone & fidelis, quia super pauca fuisti fidelis, super multa te constituam: intra in gaudium domini tui. *OBSERVATIO.*

Si habet altare Christianus populus, vt ait Paulus in ep. habet & sacrificium, de quo edere non habent qui tabernaculo deseruiunt, hoc vero illa est Augustissima corporis Christi oblatio. Porrò Euangelica parabola manifestè oonuincit nos talẽtis, idest variis gratia donis à Deo acceptis cœleste gaudium labore & cooperatione lucrari, quod tamen falsò ab hæreticis negatur.

ALIVD EVANGELIVM LVC. XII.

Iuxta vsum quarundam Ecclesiarum.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: SINT LVMBI vestri præcincti, & lucernæ ardentes in manibus vestris. Et vos similes hominibus, expectantibus dominum suum quando reuertatur à nuptiis, vt cùm venerit & pulsauerit, confestim aperiant ei. BEATI serui illi, quos cùm venerit dominus, inuenerit vigilantes. Amen dico vobis, quòd præcinget se, & faciet illos discũbere: et transiens ministrabit illis. Et si venerit in secunda vigilia, & si in tertia vigilia venerit, & ita inuenerit, beati sunt serui illi. Hoc autem scitote, quòniam si sciret pater familias qua hora fur veniret, vigilaret vtique, & non sineret perfodi domum suam. ET VOS ESTOTE PARATI, quia qua hora non putatis, filius hominis veniet.

DE SANCTO NICOLAO EPISCOPO ET CONFESSORE.

Ex Ioanne Diacono & Metaphr.

NICOLAVM, illustri loco Pataræ in Lycia natum, parentes steriles à Deo precibus impetrarunt. Cuius viri sanctitas, quanta futura esset, iá inde ab incunabulis apparuit. Ná

infans cùm reliquos dies lac nutricis frequens ſugeret, QVARTA ET SEXTA feria ſemel duntaxat, idque veſperi, ſugebat: quam ieiunij conſuetudinem in reliqua vita ſemper tenuit. Adoleſcens parentibus orbatus, facultates ſuas pauperibus diſtribuit. Cuius illud inſigne eſt Chriſtianæ benignitatis exemplum, quod cum eius ciuis egens, tres filias iam nubiles, in matrimonio collocare non poſſet, earumque pudicitiam proſtituere cogitaret, re cognita, Nicolaus noctu per feneſtram tantum pecuniæ in eius domum iniecit, quantum vnius virginis doti ſatis eſſet: quod cùm iterum, & tertiò feciſſet, tres illæ virgines, honeſtis viris in matrimonium datæ ſunt. Cum verò totum Deo dediſſet, in Palæſthinam profectus eſt, vt loca viſeret, & præſens veneraretur. Qua in peregrinatione, nauem conſcendens, ſereno cælo, & tranquillo mari, horribilem nautis tempeſtatem prædixit, moxque ortam, cùm eſſent omnes, in ſummo periculo orans mirabiliter ſedauit. Vndè cum domum reuerſus ſingularis ſanctitatis omnibus documenta præberet. Dei admonitu Myream, quæ Lyciæ metropolis erat, venit: quo tempore eius vrbis epiſcopo mortuo, prouinciales epiſcopi de ſucceſſore deligendo conſultabant. Itaque in ea deliberatione diuinitus admoniti

moniti sunt, vt eum eligerent, qui Nicolaus, nomine, postridiè manè primus in Ecclesiam ingrederetur. Qua obseruatione adhibita, in Ecclesiæ ianua deprehensus est Nicolaus, & summo omnium consensu Myreæ episcopus creatur. In Episcopatu, castitatem quam semper coluerat, grauitatem, orationis assiduitatem, vigilias, abstinentiam, liberalitem, & hospitalitatem, in adhortando mansuetudinem, in repræhendendo seueritatem, perpetuo adhibuit. Viduis & orphanis, pecunia, consilio, opera, non defuit: oppressos adeò subleuauit, vt etiam tres tribunos, per calumniam à Constantino Augusto condemnatos, qui se propter famam eius miraculorum, orationibus longissimè absenti commendarant, adhuc viuens cum Imperatori, minaciter eum terrens, apparuisset, liberauerit. Cùm verò contra edictum Diocletiani, & Maximiani, Christianæ fidei veritatem Myreæ prædicaret; ab Imperatorum satellitibus comprehensus, & longissimè abductus, in carcerem coniectus est: vbi fuit vsque ad Constantinum Imperatorem: cuius iussu ex custodia ereptus, Myream rediit, mox ad Nicænum concilium se contulit; vbi cum trecentis illis decē & octo patribus Arianam hæresim condemnauit. Indè reuersus ad Episcopatum; non ità multò post, in-

ſtante morte, ſuſpiciens in cęlum, cum Angelos ſibi occurrentes intueretur, illo Pſalmo pronunciato. In te Domine ſperaui, vſque ad eum locum. In manus tuas commendo ſpiritum meum, in cęleſtem patriam migrauit, octauo Idus Decembris, anno ſalutis humanæ. 343.

OBSERVATIO.

Habes Chriſtianam dierum obſeruantiam & diſcretionem, quartæ ſextæq; feriæ mirandum infantis Nicolai ieiunium, ciborum delectum, et viuentis ſancti, abſenti Imperatori longeq; diſsiti ad tribunorum preces apparitionem. Hac te aduerſus hæreticorum improbas voces Catholice communiant.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui beatum Nicolaum pontificem tuum innumeris decoraſti miraculis, tribue quæſumus, vt eius meritis & precibus à gehennæ incendiis liberemur. Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.

DIE FESTO S. AMBROSII.

SVMMARIVM. *Inter cætera præſtantiſsima Eccleſiæ membra ſacri Doctores iure meritò collocantur quorum doctrina fulget Eccleſia, vt Sole, Luna quorum diuturnis vigiliis atque laboribus factum eſt vt legitimi eius filii a fabulis auerſi, ad veritatem auditum non iis viuentibus modo conuerterint, ſed nunc etiã qui ſuæ ſaluti conſultum volunt: conuertant,*

doctri-

doctrinam illorum sanam, vt est in Epistola sustinentes, quæ tamquam sale vt habet Euangelium conditur terra cordis nostri luceq; diuina coruscat. Fuit autem hæc non bonorum sermonum tantum, verum etiam rectè factorum ex quibus in Deum laus & gloria redundauit, ipsis inde coronam iustitiæ parta victoria reportantibus, maximis in regno cælorum appellatis qui quæ fecerint bona homines docuerint. Qualem D. Ambrosium hæresum expugnatorem, Episcopalis auctoritatis vnicum propemodum assertorem ac vindicem fuisse, eius vita declarat.

EPISTOLA I. TIMOTH. IIII.

CHarissime. Testificor coram deo & Christo IESV qui iudicaturus est viuos, & mortuos, per aduentum ipsius, & regnum eius: prædica verbum: insta opportunè, importunè: argue, obsecra, increpa in omni patientia & doctrina. Erit enim tempus cum sanam doctrinam non sustinebunt: sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros, prurientes auribus: & a veritate quidem aud tum auertent, ad fabulas autem conuertentur. Tu verò vigila, in omnibus labora, opus fac euangelistæ, ministerium tuum imple. Sobrius esto. Ego enim iam delibor: & tempus resolutionis meæ instat. Bonum certamen certaui, cursum consummaui, fidem seruaui. In reliquo, reposita est mihi corona iustitiæ, quam

reddet mihi dominus in illa die, iustus iudex: nõ solum autem mihi, sed & ijs qui diligunt aduentum eius.

EVANGELIVM MATTH. V.

IN illo tempore: Dixit Iesus discipulis suis. Vos estis sal terræ. Quod si sal euanuerit, in quo salietur? Ad nihilum valet vltra, nisi vt mittatur foràs, & conculcetur ab hominibus. Vos estis lux mundi. Non potest ciuitas abscondi supra montem posita. Neque accẽdunt lucernam, & ponunt eam sub modio, sed super candelabrũ, vt luceat omnibus, qui in domo sunt. Sic luceat lux vestra coram hominibus: vt videant opera vestra bona, & glorificent patrem vestrum, qui in cęlis est. Nolite putare, quoniam veni soluere legem, aut prophetas: non veni soluere, sed adimplere. Amen quippe dico vobis, donec transeat cęlum, & terra, iota vnum, aut vnus apex non præteribit a lege, donec omnia fiant. Qui ergo soluerit vnum de mandatis istis minimis, & docuerit sic homines: minimus vocabitur in regno cęlorum. Qui autem fecerit, & docuerit: hic magnus vocabitur in regno cęlorum.


OBSERVATIO.

O quam multos nunc tales habet infœlix ætas hæc qui pruritu aurium delectati, sanam Ecclesiæ doctrinam respuunt, & ad hæreticorum vaniloquia conuertuntur.

tuntur. Vide autem vt corona gloriæ, corona iustitiæ appelletur a Paulo, eaq; tanquam deposita reddenda dicatur a iudice iusto, quod meriti præmium ad iustitiam pertineat quamuis misericordia data fuerit gratia, qua meritis merces iustitia redderetur.

DE SANCTO AMBROSIO EPISCOPO ET ECCL. DOCTORE.

Ex Paulino, & 2. hist. Eccl. Ruffini lib. cap. 11.



MBROSIVS Episcopus Mediolanensis, Ambrosij ciuis Romani filius, patre Galliæ præfecto natus est. in huius infantis ore examen apum consedisse dicitur: quæ res, diuinam viri eloquentiā præmōstrabat. Romæ liberalibus disciplinis eruditus est. Post à Probo præfecto, Liguriæ, et Æmiliæ prępositus: vnde postea, eiusdē Probi iussu, cū potestate Mediolanum venit: vbi mortuo Auxentio, Ariano Episcopo, populus de successore deligendo dissidebat. Quare Ambrosius, pro officij sui munere Ecclesiam ingressus, vt commotam seditionem sedaret, cum multa de quiete, & tranquillitate reipublicæ præclarè dixisset, derepentè puero; Ambrosium Episcopum exclamante, vni

uersi populi vox erupit. Ambrosium Episcopum deposcentis. Recusante illo, & eorum precibus resistente, ardens populi studium ad Valentinianum Imperatorem delatum est; cui gratissimum fuit à se delectos iudices, ad sacerdotium postulari. Fuit id etiam Probo præfecto iucundum, qui Ambrosio proficiscenti, quasi diuinans dixerat: Vade, age non vt iudex, sed vt Episcopus. Itaque cùm ad populi desiderium Imperatoris voluntas accederet, Ambrosius baptizatus (erat enim Catechumenus) sacrisq; initiatus, ac seruatis omnibus, ex instituto Ecclesiæ ordinum gradibus, octauo die, qui fuit, septimo Idus Decembris, Episcopale munus suscepit. Factus Episcopus, Catholicam fidem, & disciplinam Ecclesiasticam acerrimè defendit: multosque Arianos, & alios hæreticos, ad fidei veritatem conuertit, in quibus clarissimum Ecclesiæ lumen, sanctum Augustinum Iesu Christo peperit. Gratiano Imperatore occiso, ad Maximum eius interfectorem, legatus profectus est: eumq; pœnitentiam agere recusantem, à fidelium communione remouit. Theodosium Imperatorem, propter cædem Thessalonicæ factam, ingressu Ecclesiæ prohibuit. Cui cum ille, Dauid quoque regem adulterum, & homicidam fuisse dixisset; respondit Ambrosius: Qui secutus es errantem

rantem, ſequere pœnitentem. Quare Theodoſius, ſibi ab eo impoſitam publicam pœnitentiam, humiliter egit. Ergo ſanctus Epiſcopus, pro Eccleſia Dei maximis laboribus, curiſque perfunctus, multis libris etiam egregiè conſcriptis; antequàm in morbum incideret, mortis ſuæ diem prædixit. Ad quem ægrotum Honoratus Vercellenſis Epiſcopus, Dei voce ter admonitus, accurrit, ei ſanctum Domini corpus præbuit: quo ille ſumpto, conformatis in crucis ſimilitudinem manibus, orans, animam Deo reddit, pridiè nonas Aprilis. Anno poſt Chriſtum natum 380.

OBSERVATIO.

Vide antiquiſſimum Eccleſiæ inſtitutum, vt certis ordinum gradibus ſacris initiati ad Epiſcopatus apicem conſcendant. At apud hæreticos de repentè ex Pharmacopola, Medico, Leguleio, atque etiam Cerdone Miniſter verboſus prodit et animarum Lupus non Paſtor. Vide obedientiam Eccleſiaſtico paſtori ab Imperatore præſtitam, publicam pœnitentiam, excommunicationem, Euchariſtiam Ambroſium moriturum ſumentem, eundemq; animam exhalantem in crucis ſimilitudinem manus conformantem. De eo Caſſiodorus poſt Ruffinum Paulinus ad Auguſt. Baſil. ep. 55. plura.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui populo tuo æternæ ſalutis beatum Ambroſium

sium ministrum tribuisti: præsta quæsumus: vt, quem doctorem vitæ habuimus in terris, intercessorem habere mereamur in cœlis. Per dominum nostrum &c.

Canticum.

O Doctor optime, Ecclesiæ sanctæ lumen beate Ambrosi diuinæ legis amator, deprecare pro nobis filium Dei.

DE FESTIS DIEBVS BEATISSIMAE MARIAE Virginis.

HIS primum locum idcirco tribuimus, quòd sint frequentiores, & plerique celebriores, quàm qui sanctis aliis in Ecclesia deputantur. Verè dignum & iustum est, inquit Chrysostomus, glorificare Deiparam & semper beatißimam & penitus incontaminatam matrem Dei nostri, honoratiorem Cherubin, & gloriosiorem incomparabiliter Seraphin, hoc est, quæ sanctorum ordinem omnem quantumuis eximium longè antecellit. Veneramur Conceptionem eius, cui, vt Augustinus testatur, plus gratiæ quàm sanctis reliquis collatum fuit ad vincendum omni ex parte peccatum. Veneramur Natiuitatem eius, in cuius benedictionem maledictio Euæ conuertitur, & quæ perdito mundo virga de radice Ieße salutifera oritur Veneramur eandem ob Præsentationem, quia puella sancta à sanctis parentibus in templo præsentata, vt

etiam

etiam Nicephorus probat, & in domo Dei plantata, & impinguata spiritu, velut oliua fructifera, omnis virtutis habitaculum facta est, prout decebat eam, quæ in sinum erat Deum susceptura, teste Damasceno. Veneramur eam ob Annuntiationem felicißimam & diu exoptatam, quam illi honorificè detulit angelus, & ex qua illud consecutum est, vt summum Christi & humanæ redemptionis beneficium in Maria nobis inchoaretur. Veneramur ob Visitationem, quando fide & charitate plena, præcursoris Domini matrem sanctam inuisit, & salutauit officiosè, suóque aduentu causam dedit ingenti miraculo. Veneramur ob Purificationem, quòd pura puram mundi lucem produxerit, & in templum adduxerit, humilis interim ac obediens, vt legem exactè seruaret. Veneramur demùm ob Assumptionem, quod sicut veteres docent, secundum corpus & animam in cælos assumptà, eximiè supra Angelos honorata, & cæli & mundi Regina tum clemens, tum potens à Deo summo sit constituta. Multa extant apud Patres & luculenta elogia de hac nunquam satis laudata & semper celebranda virgine: multa itidem de supra dictis festis: vt mirum sit sanè, ab aliis temerè nunc negligi, ab aliis prophanè contemni tam pium quàm vetus Ecclesiæ studium in hac prædicanda virgine, quam velint nolint Mariomastiges, beatam dicent, statisq; diebus venerabuntur omnes piorum generationes.

IN FESTIVITATE CONCEPTIONIS BEATAE MARIAE Virginis.

SVMMARIVM. In laudem Deiparæ virginis facit seques vtraque lectio, quæ illa, sicut etiã in suo cãtico, sanctè in Domino gloriabunda sese commendat. Nec habet quicquam incommodi, vt quæ in persona summæ æternæq; sapientiæ primùm scripta & dicta sunt, ea suo etiam modo ad Mariam referantur, æternæq; sapientiæ matri communicentur. Est enim & illa vitis verè fructificans, quia vinum illud omnium & nobilißimum & fragrantißimum, ac fructum etiam florémque omnis honoris ac honestatis Christum protulit: est mater pulchræ dilectionis & timoris, & agnitionis, & spei, quando fontem omnis virtutis & gratiæ illa primum concepit ac edidit: est demùm antè alios electos omnes ad summam functionem à summo Deo prædestinata, electa, aßumpta, omníque donorum genere insigniter cohonestata. Euangelium loquitur de Christi, nec minus Mariæ genealogia; & ostendit summam vtriusque nobilitatem, quòd nimirum ex patriarchis, sacerdotibus, prophetis, regibus & principibus Maria & Ioseph duxerint genus, vt ex illa virgine Christus incomparabilis ille rex & sacerdos in lege promißus, in orbem prodiret, ac Mariæ filius verè nobis Emanuel, & Iesus eßet.

LECTIO PROVERB. XIII.

DOminus possedit me in initio viarum suarum, antequàm quidquam faceret à principio. Ab æterno ordinata sum, & ex antiquis antequàm terra fieret. Nondum erant abyssi, & ego iam concepta eram. Nec dum fontes aquarum eruperant, nec dum montes graui mole constiterant. Antè omnes colles ego parturiebar: adhuc terram non fecerat, & flumina, & cardines orbis terræ. Quando præparabat cælos, aderam: quando certa lege & gyro vallabat abyssos, quando æthera firmabat sursum, & librabat fontes aquarum. Quando circumdabat mari terminum suum, & legem ponebat aquis, ne transirent fines suos: quando appendebat fundamenta terræ, cum eo eram cuncta componẽs. Et delectabar per singulos dies ludens coram eo omni tempore, ludens in orbe terrarum, &: DELICIAE MEAE, esse cum filiis hominum: Nunc ergo Filij audite me, BEATI qui custodiunt vias meas. Audite disciplinam, & estote sapientes, & nolite abiicere eam. BEATVS HOMO qui audit me, & qui vigilat ad fores meas quotidiè, & obseruat ad postes ostij mei. QVI ME INVENERIT, inueniet vitam, & hauriet salutem à Domino.

ALIA LECTIO ECCLES. XXIIII.

EGo quaſi vitis fructificaui ſuauitatem odoris, & flores mei fructus honoris & honeſtatis. Ego mater pulchræ dilectionis, & timoris, & agnitionis, & ſanctæ ſpei. In me gratia omnis viæ & veritatis: in me omnis ſpes vitæ & virtutis. Tranſite ad me omnes qui concupiſcitis me, & à generationibus meis implemini. Spiritus enim meus ſuper mel dulcis, & hæreditas mea ſuper mel & fauum. Memoria mea in generatione ſeculorum. Qui edunt me, adhuc eſurient: & qui bibunt me, adhuc ſitient. Qui audit me, non confundetur: & qui OPERANTVR IN ME, non peccabunt: qui elucidant me, vitam ęternam habebunt.

EVANGELIVM MATTH. I.

LIber generationis IESV Chriſti filij Dauid, filij Abraham. Abraham genuit Iſaac. Iſaac autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Iudam & fratres eius. Iudas autem genuit Phares & Zaram de Thamar. Phares autem genuit Eſrom. Eſrom autem genuit Aram. Aram autem genuit Aminadab. Aminadab autem genuit Naaſſon. Naaſſon autem genuit Salmon. Salmon autem genuit Booz de Raab. Booz autem genuit Obeth ex Ruth. Obeth autem genuit Ieſſe. Ieſſe autem genuit Dauid regem. Dauid

uid autem rex, genuit Salomonem ex ea quæ fuit Vriæ. Salomon autem genuit Roboam. Roboam autem genuit Abiam. Abia autem genuit Asa. Asa autem genuit Iosaphat. Iosaphat autem genuit Ioram. Ioram autem genuit Oziam. Ozias autem genuit Ioathan. Ioathan autem genuit Achaz. Achaz autem genuit Ezechiam. Ezechias autem genuit Manassen. Manasses autem genuit Amon. Amon autē genuit Iosiam. Iosias autem genuit Iechoniam & fratres eius, in transmigratione Babylonis. Iechonias autē genuit Salathiel: Salathiel autem genuit Zorobabel. Zorobabel autem genuit Abiud. Abiud autem genuit Eliachim. Eliachim autem genuit Azor. Azor autem genuit Sadoch. Sadoch autem genuit Achim. Achim autem genuit Eliud. Eliud autem genuit Eleazar. Eleazar autem genuit Mathan. Mathan autem genuit Iacob. Iacob autem genuit Ioseph virum Mariæ, de qua natus est IESVS, qui vocatur Christus.

Oratio Ecclesiæ.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impartire: vt quibus beatæ virginis partus extitit salutis exordium, conceptionis eius votiuā solennitas pacis tribuat incrementum, Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuum: qui tecum viuit &c.

Hymnus

Hymnus de sacrosancta Virgine.

AVe maris stella,
Dei mater alma,
Atque semper virgo,
Felix cæli porta.
Sumens illud aue
Gabrielis ore,
Funda nos in pace,
Mutans nomen Euæ.
Solue vincla reis,
Profer lumen cæcis,
Mala nostra pelle,
Bona cuncta posce.
Monstra te esse matrem,
Sumat per te preces
Qui pro nobis natus
Tulit esse tuus.
Virgo singularis,
Inter omnes mitis;
Nos culpis solutos
Mites fac & castos.
Vitam præsta puram,
Iter para tutum,
Vt videntes Iesum
Semper collætemur.
Sit laus Deo Patri,
Summo Christo decus,
Spiritui sancto,
Tribus honor vnus, Amē.

DIE FESTO S. LVCIÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

Epistolam, & Euangelium require in fine in festo S. Catharinæ. Epistola, Qui gloriatur &c. Euangelium. Simile est regnum cælorum thesauro, &c.

DE SANCTA LVCIA VIRGINE ET MARTYRE.

Ex gestis.

LVCIA


VCIA Virgo Syracuſana, genere, & Chriſtiana fide, ab infantia, nobilis, vna cum matre Eutitia, quæ ſanguinis fluxu laborabat, Catanam, ad venerandum corpus beatæ Agathæ, venit: quæ ad eius ſepulchrum cùm ſuppliciter oraſſet, Agathæ interceſſione, matri ſanitatem impetrauit. Statim verò matrẽ exorauit, vt quam dotem ſibi datura eſſet, Chriſti pauperibus tribui pateretur. Vt igitur Syracuſas redijt, omnem pecuniam, quam ex facultatibus venditis redegerat, pauperibus diſtribuit. Quod vbi reſciuiſſet is, cui eam parentes, contrà virginis voluntatem, deſponderant, apud Paſchaſium præfectum, Luciam, quod Chriſtiana eſſet, accuſauit. Quam ille, cùm nec precibus, nec minis, ad cultum idolorum poſſet perducere; imò tantò magis incenſam videret, ad celebrandas Chriſtianæ fidei laudes, quantò magis ipſe eam à ſententia auertere conabatur; ceſſabunt (inquit) verba, cum ventum erit ad verbera. Cui virgo: Dei ſeruis verba deeſſe non poſſunt, quibus à Chriſto Domino dictum eſt: Cũ ſteteritis antè reges, & præſides, nolite cogitare, quomodò, aut quid loquamini: dabitur enim vobis in illa hora, quid loquamini: non enim vos eſtis qui loquimini, ſed Spiritus ſanctus

ctus,qui loquitur in vobis. Quam cum Paschasius,interrogasset Est'ne in te Spiritus sanctus? Respondit:Castè & piè viuentes, templum sunt Spiritus sancti. At ille: iubebo te ad lupanar duci,vt te Spiritus sanctus deserat. Cui virgo: Si inuitam iusseris violari,castitas mihi duplicabitur ad coronam.Quare Paschasius ira inflammatus, Luciam eò trahi iussit, vbi eius virginitas violaretur:Sed diuinitus factum est, vt firma virgo ita consisteret,vt nulla vi, de loco dimoueri posset. Quamobrem præfectus circum ipsam, pice,resina,ac feruenti oleo perfusam, ignem accendi imperauit: Sed cùm ne flamma quidem, eam læderet, multis tormentis excruciatæ guttur, gladio transfigi iubet: Quo vulnere accepto,Lucia prædicens Ecclesiæ tranquillitatem, quæ futura erat Maximiano, & Diocletiano mortuis,20.Kal.Ianuarij, spiritum Deo reddidit. Cuius corpus Syracusis sepultum, deindè Constantinopolim,postremò Venetias,translatum est.

OBSERVATIO.

Ad sepulchrum B. Agathæ,Luciam orantem, & matri Eutitiæ sanitatem martyris intercessione à Deo impetrantem vide, simul Deum virgini in lupanar deducendæ patrocinantem, adeò est illi grata virginitas.

Oratio Ecclesiæ.

Exaudi nos Deus salutaris noster: vt, sicut de beatæ Luciæ virginis tuæ festiuitate gaudemus: ita piæ deuotionis erudiamur affectu. Per dominum.

Canticum.

Tanto pondere eam fixit spiritus sanctus vt virgo Christi immobilis permaneret.

DIE FESTO S. THOMÆ APOSTOLI.

SVMMARIVM. *Multum debemus Thomæ & Apostolis, qui sacrosanctæ fidei & Euangelicæ doctrinæ fundamenta nobis toto orbe iecerunt: qui verè patres & principes populorum, Christiq; testes ac præcones præcipui extiterunt. Igitur Apostolicæ doctrinæ successus, quòd super petram Christum templum spirituale construxerint, in Epistola prædicatur. Euangelium nobis Thomam exhibet, prius quidem de Christi resurrectione dubitantem, sed plena fide posteà confitentem. Quàm malè & miserè cum his agitur, qui se à domo Dei, hoc est, à Catholica Ecclesia subducũt & segregant? Horum propria vox est, Non credam, nisi videro, legero, intellexero. Atqui fides in simplicitate est, inquit Hilarius. Cedat curiositas fidei: hæc saluum facit, non exercitatio scripturarũ. Nihil scire, omnia scire est, vt loquitur Tertullianus. Quàm verò felices*

lices, qui fidem in hoc seculo inconcussam retinent, nec solùm corde & ore, sed opere Christum & Christianam iustitiam cum Thoma in mortem vsque profitentur? Vera fidei doctrina cum Ecclesiis conspirat Apostolicis: reliqua omnis doctrina de mendacio præiudicanda, quæ contra veritatem Apostolicæ & Ecclesiasticæ doctrinæ sapit vt idem Tertullianus libro de præscriptionibus aduersus hæreticos probat.

EPISTOLA AD EPHES. II.

FRatres, Iam non estis hospites & aduenæ: sed estis ciues sanctorum & domestici Dei, superædificati super fundamentum Apostolorum & Prophetarum, ipso summo angulari lapide Christo IESV: in quo omnis ædificatio constructa, crescit in templum sanctum in Domino, in quo & vos coædificamini in habitaculum Dei in Spiritu sancto.

OBSERVATIO.

Etsi fundamentum aliud nemo potest ponere, præter id quod positum est, quod est Christus Iesus, nihilominus proprios titulos communicante Christo superædificati sumus super Apostolica fundamenta. Christo non fundamenti, sed angularis lapidis appellationem hoc loco retinente, mirum vt non sit si Christum aduocatum, mediatorem, sequestrum appellauerimus, quibus titulis & muneribus tamen sanctos etiam ornamus.

EVAN-

EVANGELIVM IOAN. XX.

IN illo tempore, Thomas vnus ex duodecim qui dicitur Didymus, non erat cum eis quando venit IESVS. Dixerunt ergo ei alij discipuli, Vidimus Dominum.. Ille autem dixit eis, Nisi videro in manibus eius fixuram clauorum, & mittam digitum meum in locum clauorum, & mittam manum meam in latus eius; non credam. Et post dies octo, iterum erant discipuli eius intus:& Thomas cum eis. Venit IESVS ianuis clausis,& stetit in medio, & dixit eis: Pax vobis.Deinde dicit Thomæ, Infer digitum tuũ huc, & vide manus meas, & affer manum tuam, & mitte in latus meum: & noli esse incredulus, sed fidelis.Respondit Thomas, & dixit ei, DOMINVS MEVS ET DEVS MEVS. Dicit ei IESVS: Quia vidisti me Thoma, credidisti: BEATI QVI non viderunt, & crediderunt.

DE SANCTO THOMA APOSTOLO.

Ex Isidoro de patribus noui testamenti.



THOMAS Apostolus, qui & Didymus, Galilæus, post acceptum Spiritum sanctum, in multas prouincias profectus est, ad prædicandum Christi Euãgelium: Parthis,

Medis, Persis, Brachmanis, Hyrcanis, & Bactris. Christianæ fidei, & vitæ præcepta tradidit. Postremò ad Indos se conferens, eos in Christiana religione erudiuit: qui ad extremum, vitæ doctrinæque sanctitate, & miraculorum magnitudine, cum cæteris omnibus sui admirationem, & Iesu Christi amorem commouisset: illius gentis regem, idolorum cultorem, magis ad iram accendit; cuius sententia condemnatus, telisq; confossus, Calaminæ Apostolatus honorem, Martyrij corona decorauit.

OBSERVATIO.

De D.Thoma vide Abdiam Babylonicum. Isidorum, Greg. Turonens. & Lippomanum ex Simeone Metaphr.

Oratio Ecclesiæ.

Da nobis, quæsumus Domine, beati Apostoli tui Thomæ solennitatibus gloriari: vt eius semper & patrociniis subleuemur, & fidem congrua deuotione sectemur, Per Dominum nostrum Iesum Christum.

DIE FESTO S. ANTONII ABBATIS.

SVMMARIVM. *Grata sanctorum omnium memoria est, et eorum ad nos erudiendos præcipuè acmodata viuendi ratio, qui suauißimo Christi iugo in bume-*

humeros ſublato contemptis rebus omnibus atque relictis nudi nudum Saluatorem ſunt ſecuti, qui vt ſeſe Orci faucibus eriperent, ſpeluncis abditi, ignoti hominibus, noti Deo, Angelicam vitam duxerunt in terris, qui denique quo magis à communis vitæ modo receſſerunt, eo amplius Deo appropinquantes digni habiti ſunt qui ad ſui imitationem infinita propemodum hominum milia transferrent, inimicis poteſtatibus terribiles Regibus chari, audita Dei voce in nubem gloriæ inducti, ſedes vt habet Euangelium, adepti ſunt è quibus mundi amatores, contemptores ipſi iudicaturi ſunt. Inter eos præcipuè emicuit B. Antonius ſublato à pueritia Chriſti iugo eremi alter à Paulo primus cultor, Dæmonibus terribilis, Conſtantino carus. vt eius vita declarat.

LECTIO LIBRI SAPIENTIAE.

Dilectus Deo, & hominibus, cuius memoria in benedictione eſt. Similem illum fecit in gloria ſanctorum, & magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu regum, & iuſſit illi coram populo ſuo, & oſtendit illi gloriam ſuam. In fide, & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Audiuit enim vocem ipſius, & induxit illum in nubem. Et dedit illi coram præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ.

EVANGELIVM MATTH. XIX.

IN illo tempore: Dixit Simon Petrus ad Iesum. Eccè, nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? Ieſus autem dixit illis. Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me, in regeneratione, cum ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicātes duodecim tribus Iſrael. Et omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxoré, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

DE S. ANTONIO ABBATE.

Ex Athanaſio.



NTONIVS Ægyptius, nobilibus & Chriſtianis parentibus natus, quibus adoleſcens orbatus eſt, cum ingreſſus Eccleſiam ex Euangelio audiuiſſet; Si vis perfectus eſſe, vade, & vende omnia, quæ habes, & da pauperibus: tanquàm ea ſibi dicta eſſent, ſic Chriſto Domino obtemperandum exiſtimauit. Itaq; vendita re familiari, pecuniam omnem, pauperibus diſtribuit. Quibus ſolutus impedimentis, cœleſtis vitæ genus, in terris colere inſtituit.

Sed

Sed cum in periculosum illud certamen descenderet, ad fidei præsidium, quo erat armatus, adhibendum sibi putauit, subsidium reliquarum virtutum: quarum tanto studio incensus fuit, vt, quemcunque videret, aliqua virtutis laude excellentem, illum imitari studeret. Nihil igitur eo continentius, nihil vigilantius erat. Patientia, mansuetudine, misericordia, humilitate, labore, ac studio diuinarum scripturarum, superabat omnes. Ab hæreticorum & schismaticorũ hominum, maximè Arianorum congressu, & colloquio sic abhorrebat, vt ne propè quidem ad eos accedendum diceret. humi iacebat, cum necessarius somnus occupasset. Ieiunium autem adeò coluit, vt salem tantummodo ad panem adhiberet; sitim aqua extingueret: neque se antè solis occasum cibo, aut potu recreabat, sæpe etiam biduum cibo abstinebat: sæpissimè in oratione pernoctabat. Cùm talis tantusq; Dei miles euasisset Antonius, sanctissimum iuuenem hostis humani generis varijs tentationibus aggreditur, quas ille ieiunio & oratione vincebat. Nec verò frequens, de Satana triumphus securum redebat Antonium, qui diaboli innumerabiles artes nocendi nouerat. Itaque contulit se in vastissimam Ægypti solitudinem: vbi quotidiè ad Christianam perfectionem pro

ficiens, dæmones (quorum tantò erant acriores impetus, quantò Antonius ad resistendum fortior euadebat) ità contempsit. vt illis exprobraret imbecillitatem, ac sæpe discipulos suos excitans, ad pugnandum contrà diabolum, docensq́; quibus armis vinceretur, Mihi credite, dicebat, fratres, pertimescit Satanas piorum vigilias, orationes, ieiunia, voluntariam paupertatem, misericordiam, & humilitatem, maximè vero ardentem amorem in Christum Dominum, cuius vnico sanctissimæ crucis signo debilitatus aufugit. Sic autem dæmonibus erat formidolosus, vt multi per Ægyptum ab illis agitati, inuocato nomine Antonij liberarentur, tantaque erat eius fama sanctitatis, vt per literas se eius orationibus Constantinus Magnus, & filij commendarent. Qui aliquando quintum, & centesimum annum agens, cum innumerabiles sui instituti imitatores haberet, conuocatis monachis, & ad perfectam Christianæ vitæ regulam instructis, sanctitate, & miraculis clarus, migrauit in cœlum, decimo sexto Calendas Februarij.

OBSERVATIO.

Habes quam sint fugiendi hæretici, quibus armis diabolus effugetur Sanctißimo crucis signo debilitatus. Habes monasticum institutum. Nomenq́; viuen-

tis Antonii inuocatum à Dæmonibus obſeſsos liberauiſſe, De eo plura Caßiod. 1. hiſt. c. 11. Aug. 8. confeſſ. c. 6. Vſuard. Louanii impreſſ. 1563.

Oratio Eccleſiæ.

Interceſsio nos, quæſumus domine, beati Antonii Abbatis commendet: vt, quod noſtris meritis non valemus, eius patrocinio aßequamur. Per Dominum.

DIE FESTO CATHEDRÆ S. PETRI.

Pro hoc feſto require infra poſt feſtum Purificationis.

DIE FESTO S. FABIANI ET SEBASTIANI MART.

SVMMARIVM. *Inuicta martyrum conſtantia quanta fuerit ob Chriſti fidem Epiſtola declarat. Euangelium docet qua illi via inceßerint, hoc vt animi robore æterna in talis præmia conſequerentur. Nimirum fortem eſſe decet Chriſtianum hominem, tamq; incredibili animi robore ſeptum, paratus non modo, vt ſit, iacturam & rapinam bonorum omnium pati, ſed & ſi opus fuerit pro Chriſti fide animam vitamq; profundere. hoc præſtitiße inuictos chriſti milites Fabianum & Sebaſtianum eorum vita demonſtrat.*

EPISTOLA HEBR. XI.

FRatres: Sancti per fidem vicerunt regna: operati ſunt iuſtitiam:adepti ſunt repromiſſiones: obturauerunt ora leonum: extinxerunt impetum ignis:effugauerunt aciem gladij: conualuerunt de infirmitate: fortes facti ſunt in bello:caſtra verterunt exterorum: acceperunt mulieres de reſurrectione mortuos ſuos. Alij autẽ diſtenti ſunt, non ſuſcipientes redemptionem, vt meliorem inuenirent reſurrectionem. Alij verò ludibria,& verbera experti, inſuper & vincula,& carceres:lapidati ſunt, ſecti ſunt,tentati ſunt, in occiſione gladij mortui ſunt. Circuierunt in melotis, in pellibus caprinis: egentes,anguſtiati, afflicti: quibus dignus non erat mundus. In ſolitudinibus errantes, in montibus,& ſpeluncis, & in cauernis terræ. Et hi omnes teſtimonio fidei probati inuenti ſunt: In Chriſto Ieſu Domino noſtro.

EVANGELIVM LVC. VI.

IN illo tempore: Deſcendens Ieſus de monte,ſtetit in loco campeſtri, & turba diſcipulorum eius,& multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa, & Hieruſalem,& maritima, & Tyri, & Sydonis,qui venerant vt audirent eum,& ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus inmundis, curabantur. Et omnis

turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat,& sanabat omnes. Et ipse eleuatis oculis in discipulos suos dicebat. Beati pauperes: quoniam vestrum est regnum Dei. Beati qui nunc esuritis: quoniam saturabimini. Beati qui nunc fletis: quia ridebitis. Beati eritis cum vos oderint homines,& cum separauerint vos,& exprobrauerint, & eiecerint nomen vestrum tanquã malum, propter filium hominis, Gaudete in illa die & exultate: eccè enim merces vestra multa est in cęlo.

OBSERVATIO.

Vide multam in cælo operum nostrorum esse mercedem.

DE S. FABIANO ET SEBASTIANO MART.

Ex Damas. pontificali & aliis.



ABIANVS Romanus à Maximino vsque ad Decium regens Ecclesiam, septem Diaconis regiones diuisit, qui pauperum curam haberent. Totidem Subdiaconus creauit, qui res gestas Martyrum à septé notarijs scriptas colligerent. Idem statuit, vt quotannis feria quinta in cœna Domini, vete-

re combusto, Chrisma renouaretur. Eo pontifice excitata est hæresis à Nouato contendente, apostatas pœnitentes ab Ecclesia recipiendos non esse. Quamobrem Fabianus Romæ concilium coegit sexaginta Episcoporum: vbi Nouatus damnatus est: & vna condemnatus error Helchesitarum, qui affirmabant Christum in tormentis ore negari posse sine peccato, modo corde credatur. denique decimo tertio Kalen. Februar. in persecutione Decij martyrio coronatus, in cœmeterio Calixti via Appia sepelitur. cum sedisset annos quatuordecim, menses vndecim, dies quindecim. Hic fecit ordinationes quinque mense Decemb. quibus creauit presbyteros viginti duos, diaconos septem, Episcopos per diuersa loca vndecim. Sebastianus ex patre Narbonensi, matre Mediolanensi natus, ob generis nobilitatem & virtutem, Diocletiano charus fuit: dux primæ cohortis, Christianos, quorum fidem clàm colebat, opera & facultatibus adiuuabat; & qui ex eis tormentorum vim reformidare videbantur, cohortatione sic confirmabat, vt pro Iesu Christo multi se vltrò tortoribus offerrent. In illis fuêre Marcus, & Marcellianus fratres: qui Romæ in custodia erant apud Nicostratum. Cuius vxor Zoe vocem, quam amiserat, Sebastiani oratione

ne recuperauit. Quibus Diocletiano delatis, Sebaſtianum accerſit, & vehemētius obiurgatum, omnibus artificijs à Chriſti fide conatur auertere. Sed cum nihil, nec pollicendo, nec terrendo proficeret, ad palum alligatum ſagitis configi iubet. Quem omnium opinione mortuum noctu ſancta mulier Hirene ſepeliendi gratia iuſſit auferri: ſed viuum repertum domi ſuæ curauit. Itaque paulò poſt confirmata valetudine, Diocletiano obuiam factus eius impietatē liberius accuſauit. Cuius aſpectu cum ille primum obſtupuiſſet, quod mortuum crederet, rei nouitate & acri Sebaſtiani reprehenſione excandeſcens, eum tamdiu virgis cædi imperauit, donec animam Deo redderet. Eius corpus in Cloacam deiectum. Lucina, à Sebaſtiano in ſomnis admonita, vbi eſſet, & quo loco humari vellet, ad Catacumbas ſepeliuit, vbi S. Sebaſtiani nomine celebris eccleſia eſt ædificata.

OBSERVATIO.

Ordinis Diaconatus & Subdiaconatus antiquitatem vides; Chriſmatis feria quinta in cœna Domini renouationem in vita S. Fabiani. Nocturnam in ſomnis defuncti Martyris Sebaſtiani apparitionem, monita, & ſepulturæ curam. Plura de Fabiano Euſeb. cæſ. hiſt. 6. c. 21. de Sebaſt. & ſociis Metaphr.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Infirmitatem nostram respice omnipotens Deus: & quia pondus propriæ actionis grauat: beatorum martyrum tuorum Fabiani & Sebastiani intercessio gloriosa nos protegat. Per dominum nostrum &c.

DIE SANCTO CONVERSIONIS PAVLI APOSTOLI ET Doctoris Gentium.

SVMMARIVM. *Exponit Lucas magnum miraculum, quod in conuersione Pauli de cælo Christus ostendit, & Ecclesia meritò celebrat, vtpotè fructum ex illius conuersione incredibilem consecuta. Conuersus enim Paulus (vt Bernardi verbis vtamur) conuersionis minister factus est vniuerso mundo. Et multos quidem olim in carne adhuc, sed non iam secundum carnem ambulans, prædicationis officio conuertit ad Deum: nunc quoque in ipso felicius viuens, & apud ipsum ne adhuc quidem cessat ab hominum conuersione: Dico autem, exemplo, oratione, doctrina. Sic ille. Laudatur & à paupertate, quòd perfectus mundi contemptor, vt Christum lucrifaceret, cùm posset, Euangelium annuntians, de Euangelio viuere, non tamen vsus sit hac potestate. Hinc Euangelium sequitur, quo paupertatis Euangelicæ tum meritum, tum præmium nobis commendatur. De laudibus Pau-*

li copiosè disserit Chrysostomus. Habet nunc etiam Saulos Ecclesia, sed vtinam ex his quoque Pauli nonnulli efficiantur. Non parua virtus, quæ habeas & ames bona contemnere, contempta relinquere: maior adhuc laus est, relictis omnibus rectà sequi Christum, omniáque vt stercora deputare Christum vt solum lucrifacias.

EX ACT. APOSTOLORVM IX.

IN diebus illis, Saulus adhuc spirans minarum & cædis in discipulos Domini, accessit ad principem sacerdotum, & petiit ab eo epistolas in Damascum ad synagogas, vt si quos inuenisset huius viæ viros ac mulieres, vinctos perduceret in Hierusalem. Et cum iter faceret, contigit vt appropinquaret Damasco, & subito circumfulsit eum lux de cælo. Et cadens in terram, audiuit vocem dicentem sibi: SAVLE SAVLE quid me persequeris? Qui dixit, Quis es Domine? Et ille, Ego sum IESVS, quem tu persequeris: durum est tibi contrà stimulum calcitrare. Et tremens ac stupens dixit. DOMINE QVID ME VIS FACERE? Et Dominus ad eum, Surge, & ingredere ciuitatem, & dicetur tibi quid te oporteat facere. Viri autem illi qui comitabantur cum illo, stabant stupefacti, audientes quidem vocem, neminem autem videntes. Surrexit autem Saulus de terra, apertisque

tisq; oculis nihil videbat. Ad manus autem illum trahentes, introduxerunt Damascum. Et erat ibi tribus diebus non videns, & non manducauit neque bibit. Erat autem quidam discipulus Damasci, nomine Ananias: & dixit ad illum in visu Dominus, Anania. At ille ait, Eccè ego Domine. At Dominus ad eum, Surge, & vade in vicum qui vocatur Rectus: & quære in domo Iudæ Saulum nomine Tarsensem, eccè enim orat. Et vidit virum Ananiam nomine, introeuntem & imponentem sibi manus vt visum recipiat. Respondit autem Ananias: Domine, audiui à multis de viro hoc, quanta mala fecerit sanctis tuis in Hierusalem, & hic habet potestatem à principibus sacerdotum alligandi omnes qui inuocant nomen tuum. Dixit autem ad eum Dominus, Vade quoniam VAS ELECTIONIS est mihi iste, vt portet nomen meum coram gentibus & regibus & filijs Israel: ego enim ostendam illi quanta oporteat eum pro nomine meo pati. Et abijt Ananias, & introiuit in domum: & imponens ei manus, dixit, Saule frater, Dominus misit me IESVS, qui apparuit tibi in via qua veniebas: vt videas, & implearis spiritu sancto. Et confestim ceciderunt ab oculis eius tanquam squámæ, & visum recepit, & surgens baptizatus est. Et cùm accepisset

ſet cibum, confortatus eſt. Fuit autem cum diſcipulis qui erant Damaſci, per dies aliquot. Et continuò ingreſſus in ſynagogas, prædicabat IESVM quoniam hic eſt filius Dei. Stupebant autem omnes qui audiebant, & dicebant, Nonne hic eſt qui expugnabat in Hieruſalem eos qui inuocabant nomen iſtud: & huc ad hoc venit, vt vinctos illos duceret ad principes ſacerdotum? Saulus autem multò magis conualeſcebat, & confundebat Iudæos qui habitabant Damaſci, affirmans quoniam hic eſt CHRISTVS.

EVANGELIVM MATTH. XIX.

IN illo tempore, Reſpondens Petrus, dixit ad IESVM: Eccè nos reliquimus omnia, & ſecuti ſumus te: quid ergo erit nobis? IESVS autem dixit illis, Amen dico vobis, quod vos qui ſecuti eſtis me in regeneratione, cùm ſederit filius hominis in ſede maieſtatis ſuæ, ſedebitis & vos ſuper ſedes duodecim, iudicantes duodecim tribus Iſrael. ET OMNIS qui reliquerit domum, vel fratres, aut ſorores, aut patrem, aut matrem, aut vxorem, aut filios, aut agros propter nomen meum: centuplum accipiet, & vitam æternam poſſidebit.

OBSERVATIO.

Et hic vides conſtitutum Chriſtum a Deo iudicem viuorum & mortuorum iudicandi munus in extremo

iudicio

iudicio Apostolis cõmunicare. Disce, Ecclesiæ sanctos Christi titulis ornanti obtentu falsi Zeli non detrahere.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui vniuersum mundũ beati Pauli apostoli prædicatione docuisti, da nobis quæsumus, vt qui eius hodiè conuersionem colimus, per eius ad te exempla gradiamur, Per Dominum nostrum IESVM *Christ.*

Canticum de Apostolo Paulo.

Vade Anania, & quære Saulum, eccè enim orat: quia vas electionis est mihi, vt portet nomen meum coràm gentibus, regibus, & filiis Israel. ALIVD. *Mihi viuere Christus, est, & mori lucrum: gloriari me oportet in cruce Domini nostri* IESV *Christi.*

DIE FESTO PVRIFICATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

SVMMARIVM. *Per Malachiam consolatur Deus Synagogam, promittens aduentum non tantùm Heliæ seu Ioannis Baptistæ sed etiam tandiu exoptati Meßiæ, qui suum ipse templum sit inuisurus, & ad mirabilia operaturus. Hunc Meßiæ in templum aduentum describit Euangelium, exhibet Maria, confirmat & iustus senex Simeon, qui iam diuturni voti compos factus, in Christo totus exultat. Hæc sunt læta Christi puerperalia, consolationis & doctrinæ spiritualis*

malis plena, nec indigna quæ nobis quotannis in Ecclesia ritibus decentibus repræsententur, dum lumine accensi cærei non sine piorum solenni pompa in templis circumferuntur. O humilis puerpera & sacrosancta domina quæ cùm à lege purificationis foret immunis, in ea se minimis etiam puerperis exæquauit, perfectum vt omnibus & humilitatis & obedientiæ præberet exemplum.

LECTIO MALACH. III.

HAec dicit Dominus Deus: Eccè ego mitto angelum meum, & præparabit viam antè faciem meam: & statim veniet ad templum suum dominator quem vos quæritis, & angelus testamenti quem vos vultis. Eccè venit, dicit Dominus exercituum. Et quis poterit cogitare diem aduentus eius? Et quis stabit ad videndum eum? Ipse enim quasi ignis cõflans, & quasi herba fullonum: & sedebit conflans & emundans argentum, & purgabit filios Leui, & colabit eos quasi aurum & quasi argentum. ET ERVNT OFFERENTES Domino sacrificia in iustitia. Et placebit Domino sacrificium Iuda & Hierusalem, sicut dies seculi, & sicut anni antiqui, dicit Dominus omnipotens.

OBSERVATIO.

Quam fuerit de Purgatorio igne firma patrum sententia intelliges, si notes ex hoc loco eorum plurimos Purgatorium probauisse.

EVANGELIVM LVCAE II.

POstquàm impleti sunt dies purgationis eius, secundum legem Moysi, tulerunt illum in Hierusalem, vt sisterent eum Domino, sicut scriptum est in lege Domini: Quia omne masculinum adaperiens vuluam, sanctum Domino vocabitur: & vt darét hostiam, secundum quod dictum est in lege Domini par turturum, aut duos pullos columbarum. Et eccè homo erat in Hierusalem, cui nomen Simeon, ET HOMO ISTE IVSTVS ET TIMORATVS, expectans consolationem Israel: & spiritus sanctus erat in eo. Et responsum acceperat à spiritu sancto, nō visurum se mortem, nisi prius videret Christum Domini. ET VENIT IN SPIRITV IN templum. Et cùm inducerent puerum IESVM parentes eius, vt facerent secundum consuetudinem legis pro eo: & ipse accepit eum in vlnas suas, et benedixit Deū, & dixit: NVNC DIMITTIS seruum tuum Domine, secundum verbum tuum in pace: Quia viderunt oculi mei salutare tuum. Quod parasti ante faciem omnium populorum: Lumen ad reuelationem gentium, & gloriam plebis tuæ Israel.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, maiestatem tuam

suppli-

supplices exoramus: vt sicut vnigenitus tuus, hodierna die cum nostra carnis substantia in templo est præsentatus, ita nos facias purificatis tibi mentibus præsentari, per eundem Dominum nostrum IESVM.

Canticum de eodem festo.

Hodiè beata virgo Maria puerum Iesum præsentauit in templo: & Simeon repletus spiritu sancto, accepit eum in vlnas suas: & benedixit Deum in æternũ.

Aliud.

Senex puerum portabat: puer autem senem regebat, quem virgo peperit, & post partum virgo permansit, ipsum quem genuit adorauit.

Hymnus.

QVOD *chorus vatum venerandus olim*
Spiritu sancto cecinit repletus,
In Dei factum genitrice constat
Esse Maria.

Hæc Deum cæli, Dominumq; terræ,
Virgo concepit, peperitq; virgo,
Atque post partum meruit manere
Inuiolata.

Quem senex iustus Simeon in vlnas
In domo sumpsit Domini gauisus
Hoc quòd optatum proprio videret
Lumine Christum.

Tu libens votis (petimus) precantum
Regis æterni genitrix faueto,

Clara quæ celsi renitens olympi
Regna petisti.
Sit Deo nostro decus & potestas,
Sitq́; laus perpes: sit honor perennis,
Qui poli summa residet in arce
Trinus & vnus, Amen.

DIE FESTO CATHEDRÆ
S. PETRI APOSTOLI.

SVMMARIVM. *Epistolæ sequentis auctor est Apostolus Petrus, cuius in Euangelio prædicando studium tot ab eo peregratæ prouinciæ, quas hic memorat, contestantur. Reuersus porrò Antiochiam, fixit ibi Cathedram, id est, summi sacerdotii sedem, & Ecclesiæ caput, tenuitq́; septem annos, donec, vt Marcellus est auctor, iussu Dei eandem cathedram transtulit Romam, immobilemq́; locauit. Veneramur autem in hac longè quàm Moysi augustiore cathedra diuinam virtutē: agnoscimus illic Christi promissionē Petro factā, de qua Matthæus in Euangelio: confitemur illic potestatem summam pastori Petro diuinitus traditam, de qua Ioannes: amplectimur fidem non deficientem, à Christo exoratam Petróque concessam, de qua Lucas aptè scripsit: cum tota demùm Synodo Alexandrina testamur, Petri hanc cathedram sedem sanctam Romanam esse, cui à Christo potestas ligandi*

gandi & soluendi singulari priuilegio super alias Ecclesias concessa sit, & quæ firmamentum à Deo fixum & immobile perceperit. Iustæ profectò causæ talem tantamq; cathedram celebrandi, de qua Hieronymus: Si quis Petri cathedræ iungitur meus est.

EPISTOLA I. PETRI I.

PEtrus Apostolus IESV CHRISTI, electis aduenis dispersionis Ponti, Galatiæ Cappadociæ, & Asiæ, & Bithyniæ secundum præscientiam Dei patris, in sanctificationem spiritus, in obedientiam & aspersionem sanguis IESV Christi, gratia vobis, & pax multiplicetur. Benedictus Deus, & pater Domini nostri IESV Christi, qui secundum misericordiam suam magnam regenerauit nos in spem viuam, per resurrectionem IESV Christi ex mortuis, in hæreditatem incorruptibilem, & incontaminatam, & immarcescibilem, conseruatam in cælis in vobis, qui in virtute Dei custodimini per fidẽ, in salutem, paratã reuelari in tempore nouissimo. In quo exultatis, modicum nunc si oportet contristari in variis tentationibus: vt probatio vestræ fidei multò preciosior auro (quod per ignem probatur) inueniatur in laudem & gloriam & honorem in reuelatione IESV Christi.

EVANGELIVM MATTH. XVI.

IN illo tempore, Venit IESVS in partes Cæsareę Philippi: & interrogabat discipulos suos, dicens: Quem dicunt homines esse filium hominis? At illi dixerunt: Alij Ioannem Baptistam, alij autem Eliam, alij verò Ieremiam, aut vnum ex prophetis. Dicit illis IESVS, vos autem quem me esse dicitis? Respondens Simon Petrus dixit, TV ES CRISTVS FILIVS DEI VIVI. Respondens autem IESVS dixit ei, Beatus es Simon Bariona: quia caro & sanguis non reuelauit tibi, sed pater meus qui in cælis est. Et ego dico tibi, quia TV ES PETRVS, & super hanc Petram ædificabo Ecclesiam meam, & portę inferi non præualebunt aduersus eam. ET TIBI DABO CLAVES regni cælorum. Et quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.

OBSERVATIO.

Petrum Petram fecit Christus super quem Ecclesiam suam post se ædificauit. Hinc Romanæ sedis primatus. Summarium diligenter perpende.

IN FESTO CATHEDRÆ S. PETRI, QVA ROMAE PRIMVM ſedit.

Ex Ser. S. Leon. papæ, in Nat. Apoſt. Petri & Pauli.



CVM duodecim Apoſtoli accepta per Spiritum ſanctum omnium locutione linguarum, imbuendum Euangelio mundum, diſtributis ſibi terrarum partibus ſuſcepiſſent; beatiſſimus Petrus princeps Apoſtolici ordinis, ad arcem Romani deſtinatur imperij, vt lux veritatis, quæ in omnium gentium reuelabatur ſalutem, efficacius ſe ab ipſo capite per totum mundi corpus effunderet. Cuius autem nationis homines, in hac nunc vrbe non eſſent? aut quæ vſquam gentes ignorarent, quod Roma didiciſſet? Hic conculcandæ philoſophiæ opiniones, hic diſſoluendæ erant terrenæ ſapientiæ vanitates, hic confutandi dæmonum cultus, hic omnium ſacrilegiorum impietas deſtruenda, vbi diligentiſſima ſuperſtitione habebatur collectum, quidquid vſquam fuerat, vanis erroribus inſtitutum. Ad hanc ergo vrbem, tu beatiſſime Petre, venire non metuis; & conſorte gloriæ tuæ Paulo Apoſtolo, aliarum adhuc Eccleſiarum ordinationibus occupato, ſyl-

nam istam frementiũ bestiarum & turbulentissimę profunditatis Oceanũ , cõstantior quàm cũ suprà mare gradereris,ingrederis . Iam populos qui ex Circunsione crediderant erudieras. Iam Antiochenam Ecclesiam, vbi primum Christiani nominis dignitas exorta , fundaueras . Iam Pontum, Galatiam , Cappadociam, Asiam, atque Bithiniam,legibus Euangelicæ prædicationis impleueras : nec vt dubius de prouectu operis,aut de spatio tuæ ignarus ætatis , trophæum crucis Christi Romanis arcibus inferebas, quo te diuinis præordinationibus anteiebant,& honor potestatis,& gloria passionis.

OBSERVATIO.

Vt hunc Apostolũ verticalem,præcipuũ & antiquissimum Theologorum , idest Apostolorum columen ex Dyonisio Areop.de Diuin.nom.agnoscis sic Romanam Cathedram à Petro fundatam & constitutam omniũ matricem & Magistram confiteres ad quam vt Iren. ait propter potentiorem principalitatem oportet omnem aliam conuenire . Hanc vt destruant Nouatores Petrum Romæ fuisse ,nedum sedisse negant:quo (refragantibus historiis omnibus) dici impudentius nihil potuit . Stetit,Stat Stabitq;. à Christo fundata Cathedra supra Petrum .

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui beato Petro Apostolo tuo , collatis claui-

bus

bus regni cælestis animas ligandi atque soluendi pontificium tradidisti: concede vt intercessionis eius auxilio, à peccatorum nostrorum nexibus liberemur: qui viuis & regnas Deus.

Canticum de B. Petro.

Tu es Pastor ouium, princeps Apostolorum: tibi tradidit Deus claues regni cælorum. Reliqua vide die festo S. Petri & Pauli Apostolorum.

DIE FESTO S. MATTHIAE APOSTOLI.

EN testimonium de Apostolo Matthia in locum Iudæ proditoris electo. En formam legitimæ & canonicæ electionis, in qua nihil humanis sit affectibus tribuendum, sed Dei gratia cùm primis imploranda & expectanda. Sed sortes mittendi ratio in electionibus nunc prorsus exoleuit. Euangelium indicat, eundem Matthiam non ex mundi sapientibus & prudẽtibus, sed ex verè paruulis diuino spiritu illustratis fuisse, qui prætereà cum aliis Apostolis Christi iugum suaue, quod imprimis mansuetudine & humanitate continetur, libenter gestauit. Vocat omnes ad se Christus, & venientibus amplißima pollicetur: sed cum promißionibus hæc quoque præcepta coniungit, & exigit: Tollite iugum meum suprà vos, & discite à me quia mitis sum & humilis corde. Nos Christi

iugo frequenter abiecto, quo nihil amabilius, durissima mundi Satanæque iugo colla submittimus, & neque promissionis gratiæ, nec salutis præcepta curamus. Quid est hoc aliud quàm vocantem Christum contemnere, & paruulorum simplicem obedientiam cum superborum contumacia commutare?

OBSERVATIO.

De hoc sancto habet R. Breuiarium, scripturam ex cap. 1. Act. Apost. quam videbis, in proprio sanctorum, In festo S. Matthiæ: Sed Vsuard. de ipso sic loquitur. Natalis beati Matthiæ Apostoli, qui post Ascensionem Domini, ab Apostolis sorte electus, apud Iudæam Euangelium Christi prædicauit. De eodem Euseb. ex Clemente Alexandrino stromatum, lib. 13. facie 90. 2 & 7. Apud Isido. de vita & obitu sanctorum cap. 81. & in Græcanica additione ad Hierony. de viris illustribus. cap. 10.

EPISTOLARIS LECTIO ACTORVM. I.

IN diebus illis, Exurgens Petrus in medio fratrum dixit (erat autem turba hominum simul ferè centum viginti.) Viri fratres, oportet impleri scripturam quam prædixit spiritus sanctus per os Dauid de Iuda, qui fuit dux eorum qui comprehenderunt IESVM: qui connumeratus erat in nobis, & sortitus erat sortem ministerij huius, & hic quidem possedit agrum

de

de mercede iniquitatis,& ſuſpenſus crepuit medius. Et diffuſa ſunt omnia viſcera eius. Et notum factum eſt omnibus habitantibus Hieruſalem, ita vt appellaretur ager ille lingua eorum Acheldemah, hoc eſt ager ſanguis. Scriptum eſt enim in libro Pſalmorum: Fiat commoratio eius deſerta,& non ſit qui inhabitet in ea: & Epiſcopatum eius accipiat alter. Oportet ergo ex his viris qui nobiſcum ſunt congregati in omni tempore, quo intrauit & exiuit inter nos Dominus Ieſus, incipiens à baptiſmate Ioannis vſque in diem qua aſſumptus eſt à nobis, teſtem reſurrectionis eius nobiſcum fieri vnum ex iſtis. Et ſtatuerũt duos; Ioſeph, qui vocabatur Barſabas, qui cognominatus eſt iuſtus: & Matthiam: & orantes dixerunt: TV DOMINE qui corda noſti omnium, oſtende quem elegeris, ex his duobus vnum, accipere locum miniſterij huius & Apoſtolatus, de quo præuaricatus eſt Iudas, vt abiret in locum ſuum: & dederunt ſortes eis. Et cecidit ſors ſuper Matthiam & annumeratus eſt cum vndecim Apoſtolis.

EVANGELIVM MATTH. XI. R.

IN illo tempore, Reſpondens IESVS, dixit. Confiteor tibi pater Domine cæli & terræ quia abſcondiſti hæc & à ſapientibus & prudentibus,& reuelaſti ea paruulis. Ita pater: quoniam

niam sic fuit placitum ante te. Omnia mihi tradita sunt à patre meo. Et nemo nouit filium, nisi pater: neque patrem quis nouit, nisi filius, & cui voluerit filius reuelare. VENITE ad me omnes qui laboratis & onerati estis: & ego reficiã vos. TOLLITE iugum meum super vos, & discite à me, quia mitis sum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus vestris. IVGVM enim meum suaue est, & onus meum leue.

OBSERVATIO.

Hac Christi laude ad obtegendam superbiam ignari quiq; hæreticorum abutuntur se paruulos absconditorum mysteriorum interpretes prædicantes, At paruuli qui esse poßunt qui obducto supercilio patres arguunt, & conciliorum decreta contemnunt, vnitatem scindunt, Vniuersitatem, Antiquitatem, Consensionẽ denique aspernantur? De huiusmodi sanè paruulis non est loquutus Christus. Cum autem dicit Christus, Venite ad me, sanctorum inuocationem non prohibet, Affirmante dicto negans non includente. Vide quæ amicis Iob onerosis dicta fuère à Deo.

ALIVD EVANGELIVM IOAN. XV.

Iuxtà vsum quarundam Ecclesiarum.

IN illo tempore, Dixit Iesus discipulis suis: HOC EST præceptum meum vt diligatis inuicem

inuicem, ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. VOS AMICI mei eſtis, ſi FECERITIS, quę ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos: quia omnia quæcunque audiui à patre meo, nota feci vobis. Non vos me elegiſtis, ſed ego elegi vos: & poſui vos, vt eatis & fructum afferatis, & fructus veſter maneat, vt quodcunque petieritis patrem in nomine meo, det vobis.

OBSERVATIO.

Non dixit ſi credideritis, ſed ſi feceritis quæ præcipio vobis.

Oratio Eccleſiæ.

DEVS, qui beatum Matthiam Apoſtolorum tuorum collegio ſociaſti, tribue quæſumus, vt eius interuentione tuæ circa nos pietatis ſemper viſcera ſentiamus: per Dominum noſtrum IESVM Chriſtum.

Hymnum & Canticum de Apoſtolis, habes infrà, vt feſto die. S. Simonis & Iudæ comperies.

DIE FESTO S. THOMAE DE AQVINO.

SVMMARIVM. Epistola, Iustorum vigilias, meditationes, orationesq; commemorat quibus sic orantibus, & humiliatis tantum sapientiæ contulit Deus ut ex eorum ore tanquam è prædiuite vena Doctrinarũ flumina profluerent, laudemq; ex diuinorum oraculorum explicatione nulla vnquam obliuione delendam consequerentur. Euangelium iam superius est annotatum. Hos inter iustos Angelicus doctor meritò commemoratur, quem pluś orando quàm legendo didicisse vita commemorabit pro cuius laudibus hoc dixisse sufficiat omnia bene ab eo de Christo ipso Christo testante mirabiliter scripta fuiße, nomenq; eius & volumina requiri à generatione in generationem.

EPISTOLA ECCLES. XXXIX.

IVstus cor suum tradet ad vigilandum diluculo ad dominum: qui fecit illum, & in conspectu altissimi deprecabitur. Aperiet os suum in oratione: & pro delictis suis deprecabitur. Si enim dominus magnus voluerit, spiritu intelligentiæ replebit illum: & ipse tanquam imbres emittet eloquia sapientiæ suæ, & in oratione cõfitebitur domino. Et ipse diriget consilium eius, & disciplinam: & in absconditis suis consiliabitur. Ipse palam faciet disciplinam doctrinæ suæ,

& in lege testamenti domini gloriabitur. Collaudabunt multi sapientiam eius, & vsque in seculum non delebitur Non recedet memoria eius, & nomen eius requiretur a generatione in generationem. Sapientiam eius enarrabunt gentes, & laudem eius enunciabit ecclesia.

EVANGELIVM.

VOs estis sal terræ, &c. *require in festo S. Ambrosii.*

DE S. THOMA DE AQVINO.

Ex vita per Ioannem Garzonem.

THOMAS, Landulpho comite Aquinate, & Theodora Neapolitana, nobilibus parentibus natus, Aquino à Corrado Imperatore vastata, quintum annum agens, monachis sancti Benedicti Cassinatibus, custodiendus traditur. Indè Neapolim studiorum causa missus, iam adolescens fratrum Prædicatorum ordinem suscepit. Sed matre ac fratribus, id indignè ferentibus; Lutetiam Parisiorum mittitur. quem fratres in itinere, per vim raptum, in arcē castri sancti Ioannis perducunt, vbi variè exagitatus, vt sanctum propositum mutaret, mulierē etiam, quæ ad labefactandam eius constantiam

introducta fuerat, titione fugauit. Mox B. iuuenis, flexis genibus ante signum Crucis orans, ibique somno correptus, per quietem sentire visus est, sibi ab Angelis constringi lumbos, quo ex tépore, omni posteà libidinis sensu caruit, sororibus, quæ, vt eum à pio consilio remouerent, in castrum venerant, persuasit, vt contemptis curis secularibus, ad exercitationem cœlestis vitæ se conferrent. Emissus è castro per fenestram, Neapolim reducitur: Vnde Romam, posteà Parisiú, à fratre Ioanne Theutonico, Ordinis Prædicatorum generali magistro ductus, Alberto magno Doctore, Philosophiæ, ac Theologiæ operam dedit: vigintiquinque annos natus, Magister est appellatus, publiceq; Philosophos, ac Theologos, summa cum laude est interpretatus. Nunquam se lectioni, aut scriptioni dedit, nisi post orationem. In difficultatibus locorum sacrę scripturæ, ad orationem, ieiunium adhibebat. Quin etiam sodali suo fratri Reginaldo, dicere solebat, quicquid sciret, non tam studio, aut labore suo peperisse, quàm diuinitus traditum accepisse. Neapoli cum ad imaginem crucifixi vehementius oraret, hanc vocem audiuit. Bene scripsisti de me Thoma: quam ergo mercedem accipies? Cui ille: Non aliam Domine nisi teipsum. Nullum fuit scriptorum genus, in quibus non

non esset diligentissimè versatus: Collationes patrum assiduè peruolutabat: nec tamen à prædicatione diuini verbi desistebat: quod cum faceret per Octauum Paschæ in Basilica S. Petri, mulierem quæ eius fimbriam tetigerat, à fluxu sanguinis liberauit. Scripta eius, & multitudine, & varietate, & facilitate explicandi res difficiles, adeò excellunt, vt ob eam causam, etiam nomẽ Doctoris Angelici iurè sit adeptus: Ab Vrbano quarto Romam vocatus, adduci non potuit, vt honores acciperet. Archiepiscopatum Neapolitanum, etiam deferente Clemente quarto, Pontifice, recusauit: Missus à Gregorio decimo, ad Concilium Lugdunense, in Monasterio Fossæ nouæ in morbum incidit, vbi ægrotus Cantica Canticorum explanauit. Ibidem obiit quinquagenarius, anno salutis, Millesimo ducentesimo septuagesimo quarto, nonis Martij: Miraculis & viuus & mortuus floruit. A Ioanne 22. in sanctorum numerum relatus est, anno millesimo trecentesimo vigesimo tertio, cuius corpus, posteà Vrbano V. summo pontifice. Tolosam trãslatum est.

OBSERVATIO.

Antè Crucis signum Sanctus orans, libidinis sensum castitatis amator amitit, responsaq; audit benè à se de Christo scriptorum omnium.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Thomæ confessoris tui, mira eruditione clarificas, & sancta operatione fœcundas: da nobis, quæsumus, & quæ docuit, intellectu conspicere, & quæ egit, imitatione complere. Per domi.

DIE FESTO S. GREGORII.

Require in festo S. Ambrosii cætera.

DE S. GREGORIO PAPA ET ECCLES. DOCTORE.



GREGORIVS Magnus, Romanus, Gordiani Senatoris filius, adolescens Philosophiæ operam dedit: & prætorio officio functus, patre mortuo, sex monasteria in Sicilia ædificauit, Romæ septimum S. Andreæ nomine in suis ædibus, prope Basilicam S. Ioannis, & Pauli ad cliuum Scauri, vbi Hilarione, ac Maximiano magistris, monachi vitã professus, postea Abbas fuit, à Benedicto Pontifice Diaconus Cardinalis creatus: nec multò post à Pelagio, Benedicti successore, Constantinopolim ad Tiberium Constantinum Imperatorem legatus mittitur: apud quem memorabile etiam illud

lud effecit, quod Eutychium patriarcham, qui scripserat contrà veram, ac tractabilem corporum resurrectionem, ità conuicit, vt eius librum Imperator in ignem conijceret. Quare Eutychius paulò post cum in morbum incidisset, instante morte, pellem manus suæ tenebat multis præsentibus dicens: Confiteor, quia omnes in hac carne resurgemus. Romam rediens, Pelagio pestilentia sublato, summo omnium consensu pontifex eligitur: quem honorem ne acciperet, quamdiu potuit recusauit: Nam alieno vestitu, spelunca delituit, vbi deprehensus indicio igneę columnæ, ad sanctum Petrum consecratur. In Pontificatu, multa successoribus, doctrinæ, ac sanctitatis exempla, reliquit. Peregrinos quotidiè ad mensam adhibebat: inquibus, & Angelũ, & Dominum Angelorum, peregrini facie accepit. Pauperes & Vrbanos, & externos, quorum numerum descriptum habebat, benignè sustentabat. Catholicam fide, multis locis labefactatã restituit. Nam Donatistas in Aphrica, Arianos in Hispania repressit: Agnoitas Alexandria eiecit. Pallium Syagrio Augustudunensi Episcopo dare noluit, nisi Neophytos hæreticos expelleret ex Gallia. Gothos hæresim Arianam relinquere coegit. Missis in Britanniam doctis, & sanctis viris, Augustino & aliis monachis, insulam

ad Iesu Cgristi fidem, conuertit, verè à Beda presbytero, Angliæ vocatus Apostolus. Ioannis patriarchæ Constantinopolitani audaciam fregit, qui sibi, vniuersalis Ecclesiæ Episcopi nomen, arrogabat: Mauritium Imperatorem, eos, qui milites fuissent, monachos fieri prohibentem, à sententia deterruit. Ecclesiam ornauit sanctissimis institutis, & legibus. Apud S. Petrum coacta synodo multa constituit: in ijs, vt in Missa Kyrie eleison nouies repeteretur, vt extrà id tempus, quod continetur Septuagesima, & Pascha, Alleluia diceretur: vt adderetur in canone: Dies quę nostros, in tuá pace disponas. Litanias, stationes, & Ecclesiasticum officium, auxit. Quatuor concilijs, Nicæno, Constantinopolitano, Ephesino, Calcedonensi, tanquam quatuor Euágelijs, honorem haberi voluit. Episcopos, quinto quoque anno, semel Romam venire iussit. Multos libros confecit: quos cum dictaret, testatur Petrus Diaconus, se Spiritum sanctum columbæ specie, in eius capite sæpe vidisse. Admirabilia sunt quæ dixit, fecit, scripsit, decreuit, prę sertim infirma semper, & ægra valetudine. Qui deniq; multis editis miraculis, pontificatus anno decimo tertio, ac mense sexto, quarto Idus Martij, qui dies festus à Græcis etiam, propter insignem huius pontificis sapientiam, ac sanctitatem

tatem

tatem, præcipuo honore celebratur, ad cęlestem beatitudinem euocatus est. Cuius corpus sepultum est in Basilica sancti Petri, propè Secretarium.

OBSERVATIO.

Missæ sacrificium non instituit Gregorius vt hæretici calumniatur, hoc enim à Christo institutum fuisse sæpius annotauimus, aliqua quamuis ad eius celebrationem, addiderit orandi ornandiq; gratia. Vide & litanias & stationes, quarum Leonis magni tempore frequentissimus vsus extitit simul monasteria ædificata, & monasticam professionem.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui animæ famuli tui Gregorii, æternæ beatitudinis præmia contulisti: concede propitius, vt qui peccatorum nostrorum pondere premimur, eius apud te precibus subleuemur.

DIE FESTO S. BENEDICTI.

Cætera in festo S. Antonii require.

DE S. BENEDICTO ABBATE.

Ex 2. dialogorum Greg.



ENEDICTVS, Nursiæ nobili genere ortus, Romæ liberalibus disciplinis eruditus, vt totum se Iesu Christo daret, ad eum locū, qui Sublacus dicitur, in altissimā speluncam penetrauit. In qua sic per triennium

delituit, vt vnus id sciret Romanus Monachus, quo ad vitæ necessitatem ministro vtebatur. Dũ igitur ei quodam die, ardentes ad libidinem faces à diabolo subijcerentur, se in vepribus tamdiu volutauit, dum lacerato corpore, voluptatis sensus, dolore opprimeretur. Sed iam erumpente ex illis latebris fama eius sanctitatis, quidam monachi se illi instituendos tradiderunt: quorũ viuendi licentia, cum eius obiurgationes ferre non posset, venenum in potione dare constituunt. Verum poculum ei præbentibus, crucis signo vas confregit, ac relicto monasterio, in solitudinem se recepit. Sed cum multi ad eum quotidie discipuli conuenirent, duodecim monasteria ædificauit, eaque sanctissimis legibus communiuit. Posteà Cassinum migrauit, vbi simulacrum Apollinis, qui adhuc ibi colebatur, comminuit, aram euertit, & lucos succendit, ibique sancti Martini sacellum, & sancti Ioannis ædiculam extruxit: oppidanos autem, & incolas Christianis præceptis imbuit. Quare augebatur indies magis diuina gratia Benedictus, vt etiam prophetico spiritu ventura prædiceret. Quod vbi accepit Totila Gothorum rex, exploraturus, an re ita esset Spatharium suum regio ornatu, & comitatu præmittit, qui se regem simularet. Quem vt ille vidit, Depone, inquit, fili, depone

pone, quod geris: nam tuum non est. Totilæ verò prædixit aduentum eius in vrbem, maris trãsmissionem, & post decem annos, mortem. Qui aliquot mensibus antequàm è vita migraret, præmonuit discipulos, quo die esset moriturus: ac sepulchrum, in quo suum corpus condi vellet, sex diebus antequàm eo inferretur, aperiri iussit sextoq; die deferri voluit in Ecclesiam: vbi sumpta Eucharistia, sublatis in cœlum oculis orans, inter manus discipulorum efflauit animam: quam duo monachi, euntem in cœlũ viderunt: pallio ornatam pretiosissimo, circum eam fulgentibus lampadibus: & clarissima, & grauissima specie virum stantem supra caput ipsius, dicentem audiuerunt: Hæc est via, qua dilectus Domini Benedictus in cœlum ascendit.

OBSERVATIO.

Habes hic primum Monasticæ vitæ in Italia institutorem qui crucis signo venenatum poculum confregit, Idolorum ædibus dextructis D. Martini sacellum. & B. Io. ædiculam extruxit, & quod est admiratione imitationeq; (pro virili) dignißimum libidinis stimulis exagitatus ad vepres pro castitate retinenda confugit incendiaq; retinxit. At Apostatæ nostri ad horrendos monialium aliarúmue muliercularum amplexus, & sacrilega oscula sacrilege effeminati milites dilabuntur, O viros Apostolicos.

SANCTO DIE ANNVNCIATIONIS B. MARIAE Virginis.

SVMMARIVM. *Diuini æterniq; Verbi factam primùm incarnationem hic sacrosanctus dies nunciat: futuram illam ex virgine promittit sequens Prophetica lectio: quomodo autem & vbi, quàmque admirabiliter illa in Maria virgine Nazarena, & Iosephi sponsa facta sit, monstrat Euangelium, quod inter Gabrielem paranymphum, & Mariam Deiparam, præclarum habet dialogismum. Ingens Mariæ dignitas, quæ sic ab angelo salutaretur, & huc etiam à summo Deo eligeretur, vt virgo sanctißima Deum factum hominem conciperet, veriq; Meßiæ, imò Dei & hominis mater esset. Nostrum est sanè summum hoc Dei munus, & ipsum humanæ salutis exordium in Maria perpetuò celebrare, simúlque Mariæ virtutes in hoc Euangelio fulgentes imitari, nimirum vt silentio gaudeamus, vt cum Deo & angelis colloquamur, vt virgineam & verecundiam & integritatem amemus, vt parum prouideq; loquamur, vt oblatis laudibus non delectemur, sed animi corporisq; dotes humilitate sancta & perpetua muniamus, ac demùm vt ad Dei voluntatem & gloriam omnia referamus.*

EPI-

EPISTOLARIS LECTIO ESAIAE VII.

LOquutus est Dominus ad Achaz, dicens: Pete tibi signum à Domino Deo tuo in profundum inferni, siue in excelsum suprà. Et dixit Achaz: Non petam, & non tentabo Dominum. Et dixit: Audite ergo domus Dauid: Nunquid parum est vobis, molestos esse hominibus, quia molesti estis & Deo meo? Propter hoc dabit Dominus ipse vobis signum: ECCE VIRGO CONCIPIET & pariet filium, & vocabitur nomen eius Emanuel. Butyrum & mel comedet, vt sciat reprobare malum & eligere bonum.

EPISTOLARIS LECTIO ALIA ESA XI.

ET Gredietur virga de radice Iessæ, & flos de radice eius ascendet, & requiescet super eũ spiritus Domini, spiritus sapientiæ & intellectus, spiritus consilij & fortitudinis, spiritus scientiæ & pietatis, & replebit eum spiritus timoris Domini. Non secundum visionem oculorum iudicabit, neq; secundum auditum aurium arguet: sed iudicabit in iustitia pauperes, & arguet in æquitate pro mansuetis terræ: & percutiet terram virga oris sui, & spiritu labiorum suorum interficiet impium Et erit iustitia cingulum lumborum eius: & fides cinctorium renum eius.

EVANGELIVM LVCAE I.

IN illo tempore, Missus est Angelus Gabriel à Deo in ciuitatem Galilææ, cui nomen Nazaret, ad virginem desponsatam viro, cui nomen erat Ioseph, de domo Dauid: & nomen virginis, Maria. Et ingressus Angelus ad eam dixit: AVE GRATIA PLENA: DOMINVS TECVM, BENEDICTA TV IN MVLIERIBVS. Quę cum audisset, turbata est in sermone eius, & cogitabat qualis esset ista salutatio. Et Ait Angelus ei: Ne timeas Maria: inuenisti enim gratiam apud Deum. ECCE CONCIPIES in vtero & paries filium, & vocabis nomen eius IESVM: hic erit magnus & filius altissimi vocabitur. Et dabit illi Dominus Deus sedem Dauid patris eius, ET REGNABIT IN DOMO IACOB in æternum, & regni eius non erit finis. Dixit autem Maria ad Angelum: Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco? Et respondens Angelus, dixit ei: Spiritus sanctus superueniet in te, & virtus altissimi obumbrabit tibi. Ideoque & quod nascetur ex te sanctum, vocabitur filius Dei. Et eccè Elisabeth cognata tua, & ipsa concepit filium in senectute sua. Et hic mensis est sextus illi, quæ vocatur sterilis: quia NON ERIT IMPOSSIBILE APVD DEVM omne verbum. Dixit

 autem

autem Maria: ECCE ANCILLA DOMINI, fiat mihi secundum verbum tuum.

Oratio Ecclesiæ.

DEVS qui de Beatæ Mariæ virginis vtero, verbum tuum Angelo nunciante carnem suscipere voluisti: præsta supplicibus tuis, vt qui verè eam genitricem Dei credimus, eius apud te intercessionibus adiuuemur, per eundem Dominum nostrum Iesum Christũ.

Canticum.

Hæc dies, quam fecit Dominus. Hodiè Dominus afflictionem populi sui respexit, et redemptionem misit. Hodiè mortem, quam fœmina intulit, fœmina fugauit. Hodiè Deus homo factus est, & quod fuit permansit, & quod non erat assumpsit. Ergo exordium redemptionis nostræ deuotè recolamus, & exultemus dicentes, Gloria tibi Domine.

DIE FESTO S. MARCI EVANGELISTAE

SVMMARIVM. *Præclara sequitur prophetia, quæ per quatuor animalia nobis quatuor Euangelistas depingit, & ob id potißimum feriis Euangelistarum accommodatur, quorum admirabilem virtutem gloriamq; proponit, etsi alia quoque illic mysteria contineantur. In Euangelio suam partem habet Marcus, non vltimus sanè inter veros & germanos Christi discipulos, qui Apostolis fuêre proximi; nec*

solùm

bantur, cum ambularent. Et similitudo animalium, & aspectus eorum, quasi carbonum ignis ardentium, & quasi aspectus lampadarum. Hæc erat visio discurrens in medio animalium, splendor ignis, & de igne fulgur egrediens. Et animalia ibant, & reuertebantur in similitudinem fulguris coruscantis.

EVANGELIVM LVCAE X.

IN illo tempore, Designauit Dominus & alios septuaginta duos: & misit illos binos antè faciem suam in omnem ciuitatem & locum quò erat ipse venturus. Et dicebat illis, Messis quidem multa, operarij autem pauci. ROGATE ergo dominum messis, vt mittat operarios in messem suã. Ite: eccè ego mitto vos sicut agnos inter lupos. Nolite portare sacculum, neque peram, neque calceamenta: & neminem per viam salutaueritis. In quamcunque domum intraueritis, primum dicite, PAX huic domui: & si ibi fuerit filius pacis, requiescet super illum pax vestra, sin autem, ad vos reuertetur. In eadem autẽ domo manete edentes & bibentes quæ apud illos sunt. dignus est enim operarius mercede sua. Nolite transire de domo in domum. Et in quam cunq; ciuitatem intraueritis, & susceperint vos, MANDVCATE quæ apponuntur vobis: & curate infirmos qui in illa sunt, & dicite illis, Ap-

propinquabit in vos regnum Dei.

OBSERVATIO.

Vltimis his verbis ciborum delectus non reprobatur iusta de causa vsurpatus vel præceptus, Bonum est nõ comedere carnem & non bibere vinum, Apostolus ait.

DE S. MARCO EVANGELISTA

Ex lib. S. Hierony. de script. Ecclesiasticis.



Arcus discipulus & interpres Petri, iuxtà quod Petrum referentẽ audierat, rogatus Romæ à fratribus, breue scripsit Euangelium. Quod cum Petrus audisset, probauit, & ecclesiæ legendum sua authoritate ędidit. Assumpto itaque Euangelio, quod ipse confecerat, perrexit Ægyptum, & primus Alexandriæ Christum annuncians, constituit Ecclesiã tanta doctrina, & vitæ continentia, vt omnes se sectatores Christi ad exemplum sui cogeret. Denique Philo disertissimus Iudæorum, videns Alexandriæ primam Ecclesiam adhuc Iudaizantem, quasi in laudem gentis suæ, librum super eorum conuersatione scripsit. Et quomodo Lucas narrat, Hierosolymæ credentes, omnia habuisse communia; sic & ille, quod Alexandriæ, sub Marco fieri doctore cernebat, memoriæ tradidit.

dit. Mortuus est autem octauo Neronis anno, & sepultus Alexandriæ, succedẽte sibi Aniano.

OBSERVATIO.

Marcus fratrum rogatu non diuino præcepto, ex relatu Petri Euangelium conscripsit, quod & probauit Petrus & eius lectionem sua auctoritate firmauit. Ab hoc primum instituta continentis & monasticæ communis vitæ ratio. De qua Euseb. 2. hist. cap. 13. Philo. de contempl. & contemplatri. Metaphr. Isid.

Oratio Ecclesiæ.

Deus qui beatum Marcum Euangelistam tuum euangelicæ prædicationis gratia sublimasti: tribue quæsumus, eius nos semper & eruditione proficere, & oratione defendi, per Dominum nostrum Iesum. &c.

DIE FESTO SANCTORVM PHILIPPI ET IACOBI APOstolorum.

SVMMARIVM. *Magna temporum & rerum vicißitudo est, si quis huius & futuræ vitæ, humaniq; & diuini iudicii rationes rectè componat. Vt enim demonstrat sequens lectio, qui nunc ob iustitiam affliguntur, sicut Martyribus & Apostolis Christi contigit, egregiè illi olim contrà suos illusores, æmulos & persecutores tandem triumphabunt qui verò hîc maximè florere videntur, iustosq; contemnunt & oppri-*

munt, seipsi suamq; stultitiam apud inferos cruciandi perpetuò deplorabunt. Euangelium de Philippo Apostolo meminit, in fide quidem primum infirmo, sed qui post acceptum spiritum doctrinam huius Euangelii præclarè confirmauit, multisq; miraculus additis illustrauit. Habet autem Euangelium locos illustres & argumenta, quæ nos cruce præsente vel imminente meritò munire debeant atque consolari. Eiuscemodi sunt, fidem veram in Christum Deum & hominem esse scutum aduersus mala omnia, fidei mysteria sub humanum captum non cadere, suas in cælis sedes electis esse paratas, primis credentibus donum miraculorum competere, & singularem piæ orationis esse virtutem. De Iacobo Apostolo & Hierosolymorum Episcopo primo veteres inter alia scribunt, quòd indè ab ineunte ætate sanctus, vinum & siceram non biberit, & carne abstinuerit, nec vnguento quidem vsus, nec blaneo, & in precando Deo tam sedulus, vt aßiduitas orandi callum genibus eius obduxerit, qui post coufeßionem de Christo publicè factam de pinna templi Hierosolymitani ab impiis præcipitatus fuerit, ac pro illorum tamen salute precatus Dominum.

LECTIO SAPIENTIAE V.

STabunt iusti in magna constantia aduersus eos qui se angustiauerunt, & qui abstulerunt labores eorum: videntes turbabuntur timore horribili, & mirabuntur in subitatione insperatæ

ratæ salutis, dicentes intra se, pænitentiam agentes, & præ angustia spiritus gementes. Hi sunt quos habuimus aliquando in derisum & in similitudinem improperij. NOS INSENSATI, vitam illorum æstimabamus insaniam, & finem illorum sine honore. Ecce quomodo computati sunt inter filios Dei, & inter sanctos sors illorum est? Ergo errauimus à via veritatis, & iustitiæ lumen non luxit nobis, & sol intelligentiæ non est ortus nobis. Lassati sumus in via iniquitatis, & perditionis, & ambulauimus vias difficiles: viam autem Domini ignorauimus. QVID NOBIS PROFVIT SVPERBIA? aut diuitiarum iactantia quid contulit nobis? Transierunt omnia illa tanquàm vmbra, & tanquam nuntius præcurrens, & tanquam nauis quæ pertransit fluctuantem aquam, cuius, cùm præterierit, non est vestigium inuenire, neque semitam carinæ illius in fluctibus: Aut tanquam auis quę transuolat in aere, cuius nullum inuenitur argumentum itineris illius.

EVANGELIVM IOAN. XIIII.

IN illo tépore, Dixit IESVS discipulis suis: Non turbetur cor vestrum: Creditis in Deum, & in me credite. IN DOMO PATRIS MEI mansiones multę sunt. Si quo minus: dixissem vobis. Quia vado parare vobis locum Et si

abiero & præparauero vobis locum: iterum veniam & accipiam vos ad me ipsum, vt vbi sum ego, & vos sitis: Et quo ego vado scitis, & viam scitis. Dicit ei Thomas, Domine, nescimus quò vadis: & quomodo possumus viam scire? Dicit ei IESVS, EGO SVM VIA, ET VERITAS, ET VITA. nemo venit ad patrem nisi per me. Si cognouissetis me, & patrem meum vtique cognouissetis: & amodò cognoscitis eum, & vidistis eum. Dicit ei Philippus, Domine, ostende nobis patrem, & sufficit nobis. Dicit ei IESVS: Tanto tempore vobiscum sum, & non cognouistis, me? Philippe: qui videt me, videt & patrem. Quomodo tu dicis, Ostende nobis pattem? Non credis quia ego in patre, & pater in me est? Verba quæ ego loquor vobis, à meipso non loquor; pater autem in me manens, ipse facit opera. Non creditis quia EGO IN PATRE, ET PATER IN ME EST? Alioquin propter opera ipsa credite. Amen, amen dico vobis, qui credit in me, opera quæ ego facio, & ipse faciet, & maiora horum faciet: quia ego ad patrem vado: ET QVODCVNQVE petieritis in nomine meo, hoc faciam, vt glorificetur pater in filio.

OBSERVATIO.

1 *Mansionum, id est gloriæ participatio Augustino meri-*

meritorum probat diuersitatem, sicut enim stella differt ab stella in claritate, ita & sancti qui fulgent sicut stella in perpetuas æternitates.

DE SS. APOSTOL. PHILIPPO ET IACOBO.



HILIPPVS Bethsaidæ natus, vnus ex duodecim Apostolis, qui primum à Chisto Domino vocati sunt: à quo cum accepisset Nathanael, venisse Messiam in lege promissum, ad Dominum deductus est. Quàm verò Christus eum familiariter adhiberet, illud facile declarat, quod Gentiles saluatorem videre cupientes, ad Philippum accesserunt: & Dominus cum in solitudine, hominum multitudinem pascere vellet, sic Philippum affatus est: Vnde ememus panes, vt manducent hi? Is, accepto Spiritu sancto, cum ei Scythia ad prædicandum Euangelium obtigisset, omnem ferè illam gentem, ad Christianam fidem conuertit. Postremò, cũ Hierapolim Phrygiæ venisset, pro Christi nomine cruci affixus, lapidibusq; obrutus est, Calendis Maij. Eius corpus ibidem a Christianis sepultum, posteà Romam delatum, in Ecclesia duodecim Apostolorum, vna cum

corpore B.Iacobi Apoſtoli,conditum eſt.

IACOBVS frater Domini cognométo iuſtus, ineunte ætate, vinum & ſincerã nõ bibit, carne abſtinuit, nunquam tonſus eſt, nec vnguento, nec balñeo vſus: Huic vni licebat ingredi in ſancta Sanctorum: idem lineis veſtibus vtebatur: cui etiam aſſiduitas orandi, ità callum genibus obduxerat, vt duritie cameli pellem, imitaretur. Eum poſt Chriſti aſcenſionem Apoſtoli Hieroſolymorum Epiſcopum creauerunt: ad quem etiam princeps Apoſtolorum miſit, qui nunciaret ſe è carcere ab Angelo eductum fuiſſe. Cum autem in concilio Hieroſolymis controuerſia eſſet orta de lege, & circuncìſione. Iacobus Petri ſententiam ſecutus ad fratres habuit concionem, in qua vocationem Gentium probauit: Fratribusq; abſentibus ſcribendum eſſe dixit: ne gentibus iugum Moſaicæ legis imponerent: De quo & loquitur Apoſtolus ad Galatas: Alium autem Apoſtolorum vidi neminem, niſi Iacobum fratrem Domini. Tanta autem erat Iacobi vitæ ſanctitas, vt fimbriam veſtimenti eius certatim homines cuperent attingere. Nam is nonaginta ſex annos natus, cum triginta annos illi Eccleſiæ ſanctiſſimè præfuiſſet, Chriſtum Dei filium conſtantiſſimè prædicans, lapidibus primum appetitur, mox in altiſ-

ſimum templi locum adductus, inde præcipitatus eſt. Qui confractis cruribus, iacens ſemiuiuus, manus tendebat ad cœlum, Deumq́ue pro illorum ſalute deprecabatur his verbis: Ignoſce eis Domine, quia neſciunt quid faciunt. Qua in oratione, grauiter eius capite Fullonis fuſte percuſſo, animam Deo reddidit, ſeptimo Neronis anno, & iuxta templum, vbi præcipitatus fuerat, ſepultus eſt. Vnam ſcripſit Epiſtolam, quæ de ſeptem Catholicis eſt.

OBSERVATIO.

Ciborum delectum habes in vita D. Iacobi eundem nota Petri ſententiam de legalium obſeruantia ſequentem, eamq; tanquam loci Epiſcopum publicantem, De eo plura Euſeb. 2. hiſt. c. 23.

Oratio Eccleſiæ.

Deus qui nos annua Apoſtolorum tuorum Philippi & Iacobi ſolennitate lætificas, præſta quæſumus, vt quorum gaudemus meritis, inſtruamur exemplis: per Dominum noſtrum IESVM *Chriſtum filium tuũ.*

Canticum.

Tanto tempore vobiſcum ſum: & non cognouiſtis me? Philippe qui videt, me, videt & patrem meum, Halleluia.

DIE SOLENNI INVENTIONIS SANCTAE CRVCIS.

SVMMARIVM. *Semel ac iterum de ſancta cruce, primum ob inuentionem, deinde ob exaltationem eius memoria celebris agitur. Nam cùm ab impiis defoſſa eſſet neglectaq; iaceret, pio ſtudio S. Helenæ Imperatricis quæſita, nec ſine præſenti miraculo inuenta fuit. Poſtea verò ex poteſtate Barbarorum eandem Heraclius Imp. recepit, ſuisq; ipſe humeris deportans & honorans, toti Eccleſiæ honorandam & colendam reliquit. Hæc eſt, per quam Chriſtus ad ſe traxit omnia, in qua ſeipſum pro nobis redimendis hoſtiam obtulit, & quam contactu ſacroſancti corporis ſanguinisq; ſui conſecrauit. Adoramus autem figuram pretioſæ & viuificæ crucis, tametſi ex alia materia facta ſit, non materiam, ſed figuram, tanquam Chriſti ſignum venerantes, vt Damaſceni verbis vtamur. Epiſtola, quæ huic feſto ſeruit crucifixi humilitatem & obedientiam, tum eiuſdem reportatam ex cruce gloriam proponit. Euangelium prædicat nobis Chriſtum veluti ſerpentem ſalutiferum, qui exaltatus in cruce, ſanat & ſaluat ægros miſerosq; mortales vera & perfecta fide præditos, qualis eo quidem tempore Nicodemo, & ſi Moſaicæ legis doctori, deerat.*

EPISTOLA PHILIPPEN. II.

FRatres, Hoc ſentite in vobis, &c. *Reliqua vide in Dominica palmarum,*

EVANELIVM IOAN. III.

IN illo tempore, Erat homo ex Pharisæis, &c. *Quemadmodum Dominica sanctæ Trinitatis legitur.*

DE INVENTIONE S. CRVCIS.



POST insignem victoriam, quã Constantinus Imperator, diuinitus accepto signo Dominicæ crucis, ex Maxentio reportauit, Helena Constantini mater in somnis admonita, conquirendæ crucis studio, Hierosolymam venit: vbi marmoream Veneris statuam, in crucis loco à Gentibus collocatam, ad tollendam Christi Domini passionis memoriam, post centum circiter octoginta annos, euertendam curauit. Quod item fecit ad præsepe Saluatoris, & in loco resurrectionis, inde, Adonidis, hinc Iouis, sublato simulachro. Itaq; loco crucis purgato, altè de fossæ tres cruces, erutæ sunt, repertusq; seorsum ab alijs crucis dominicæ titulus: qui cum ex tribus cui affixus fuisset, non appareret, eam dubitationem sustulit miraculum: Nam Macharius Hierosolymorum Episcopus, factis Deo preci-

bus, singulas cruces cuidam fœminæ graui morbo laboranti admouit: cui cum reliquæ nihil profuissent, adhibita tertia crux statim eam sanauit. Helena salutari cruce inuenta magnificentissimam ibi extruxit Ecclesiam, in qua partem crucis reliquit thecis argenteis inclusam, partem Constantino filio detulit, quæ Romæ reposita fuit, in Ecclesia sanctæ crucis in Hierusalem, ædificata in ædibus Sessorianis. Clauos etiam attulit filio, quibus sanctissimum Iesu Christi corpus fixum fuerat. Quo ex tempore Constantinus legem sanciuit, ne crux ad supplicium cuiquam adhiberetur: ita res, quæ antea hominibus probro, ac ludibrio fuerat, venerationi, ac gloriæ esse cœpit.

OBSERVATIO.

Pietate ingenti crux Christi, gloria nostra ab Helena quæritur, optatè inuenitur, mirabiliter proditur liberata morbo muliere, religiosè adoratur, seruatur, colitur. At ab hæreticis impiè conculcatur atque inceditur. Eccè tibi veterem reliquiarum curam. Vide Euseb. de obitu Theod. Paulinum Nolanum. ep. 11. Eutrop. lib. 11. rerum Rom Greg. Turonen.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui in præclara salutiferæ crucis inuentione paßionis tuæ miracula suscitasti: concede, vt vitalis

ligni

ligni pretio, æternæ vitæ suffragia consequamur. Qui viuis & regnas Deus.

Canticum Ecclesiæ.

Hæc est arbor dignißima, in qua salutis auctor propria morte mortem omnium superauit. Halleluia. O crux splendidior cunctis astris, quæ sola fuisti digna portare talentum mundi. Dulce lignum, dulces clauos, dulcia ferens pondera, salua præsentem cateruam in tuis hodie laudibus congregatam. Halleluia.

Hymnum adde, Crux fidelis &c. *quem diei sancto Parasceues annexum reperies.*

DIE FESTO NATIVITATIS S. IOANN. BAPTISTAE.

SVMMARIVM. *Vaticinium est quod sequitur, & Meßiam nobis eximiè commendat ac ornat patris testimonio. Nec malè quadrat Meßiæ præcursori, vt qui præ cæteris in matris vtero sanctificatus, tum electus, vocatus & missus à Deo fuit ad præparandam viam Domini, & ad conuertendos Israelitas. Erat ille, vt Christus inquit, lucerna ardens & lucens. Euangelium rationem ostendit hodierni festi, meritò scilicet eius pueri natalem celebrari, qui tam mirabiliter conceptus, Angelo prædicente, parentibus senibus & infecundis, patre verò etiam obmutescente: quiq; sanctificatus priusquam natus, se Prophetam*

in

in vtero materno prodidit, natus verò communem omnibus sui admirationem lætitiamq; parem adduxit. Parit sterilis mater, pater mutus vaticinatur, nomen Ioannis auget miraculum, vicini gratulantur, omnes demirantur. Hic erit magnus coram Domino, imò nullus eo vnquam sanctior inter natos mulierum & multi in natiuitate eius gaudebunt, Angelo teste. Habent parentes quod suspiciant, & imitentur in Ioannis parentibus, qui erant ambo iusti coram Domino, pro acceptis Dei beneficiis grati, versantes in omnibus præceptis & iustificationibus Domini, ac in omni vita irreprehensibiles: Habēt & pueri & adolescentes, quod ab æquali Ioanne discant. Verè portauit is iugum Domini ab adolescentia sua, & vt innocentiam tueretur illæsam, mundi turbam fugiens, in eremum secessit, ac vitam semper duram exegit. Nunc Ioannis Baptistæ vitam, doctrinam, constantiam, Zelum pueri, viri, senes negligunt planè: hoc solum ex illo libenter audiunt, Ecce agnus Dei, qui tollit peccata mundi: defugiunt verò prædicationem & exemplum pænitentiæ Ioannitica.

LECTIO ESAIAE XLIX.

HAec dicit Dominus Deus: Audite Insulæ, & attendite populi de longè: Dominus ab vtero vocauit me, de ventre matris meæ recordatus est nominis mei. Et posuit os meum quasi gladium acutum: in vmbra manus suæ protexit

texit me, & posuit me sicut sagittam electam, in pharetra sua abscondit me, & dixit mihi: SERVVS MEVS es tu Israel, quia in te gloriabor. Et ego dixi: In vacuum laboraui, sine causa & vanè fortitudinem meam consumpsi. Ergo iudicium meum cum Domino, & opus meum cũ Deo meo. Et nunc dicit Dominus, formans me ex vtero seruum sibi, vt reducam Iacob ad eum: & Israel non congregabitur, & glorificatus sum in oculis Domini, & Deus meus factus est fortitudo mea. Et dixit: Parum est, vt sis mihi seruus ad suscitandas tribus Iacob, & fæces Israel cõuertendas ECCE DEDI TE IN LVCEM GENTIVM, vt sis salus mea vsque ad extremum terræ. Hęc dicit Dominus redemptor Israel, sanctus eius, ad cõtemptibilem animam, abominatàm gentem, ad seruum dominorum: Reges videbunt, & consurgent principes, & adorabunt propter Dominum, quia fidelis est, sanctum Israel, qui elegit te.

EVANGELIVM LVCAE I.

Elisabeth impletum est tempus pariendi, & peperit filiũ. Et audierũt vicini & cognati eius, quia magnificauit Dominus misericordiam suam cum illa, & congratulabantur ei. Et factum est, in die octauo venerunt circuncidere puerum, & vocabant eũm nomine patris sui Za-

chariam. Et respondens mater eius, dixit: Nequaquam, sed vocabitur Ioannes. Et dixerunt ad illam: Quia nemo est in cognatione tua qui vocetur hoc nomine. Innuebant autem patri eius, quem vellet vocari eum. Et postulans pugillarem, scripsit, dicens: Ioannes est nomen eius. Et mirati sunt vniuersi. Apertum est autem illico os eius & lingua eius, & loquebatur, benedicens Deum. Et factus est timor super omnes vicinos eorum, & super omnia montana Iudææ diuulgabantur omnia verba hæc. Et posuerunt omnes qui audierant, in corde suo, dicentes: Quis putas puer iste erit? Etenim MANVS Domini erat cum illo. Et Zacharias pater eius repletus est spiritu sancto, & prophetauit dicens; BENEDICTVS DOMINVS DEVS Israel, quia visitauit & fecit redemptionem plebis suæ. Et erexit cornu salutis nobis in domo Dauid pueri sui: Sicut locutus est per os sanctorum, qui à seculo sunt, Prophetarum eius. Salutem ex inimicis nostris, & de manù omnium qui oderunt nos. Ad faciendam misericordiam cum patribus nostris, & memorari testamenti sui sancti: Iusiurandum quod iurauit ad Abraham patrem nostrum, daturum se nobis: VT SINE timore de manu inimicorum nostrorum liberati seruiamus illi. In sanctitate & iustitia coram ip

so

ſo omnibus diebus noſtris. ET TV PVER, PROPHETA altiſſimi vocaberis: præibis enim antè faciem Domini parare vias eius. Ad dandam ſcientiam ſalutis plebi eius, in remiſſionem peccatorum eorum: Per viſcera miſericordiæ Dei noſtri, in quibus viſitauit nos Oriens ex alto: Illuminare his qui in tenebris & in vmbra mortis ſedent, ad dirigendos pedes noſtros in viam pacis.

Oratio Eccleſiiæ.

Deus, qui præſentem diem honorabilem nobis in beati Ioannis natiuitate feciſti: da populis tuis ſpiritualium gratiam gaudiorum, & omnium fidelium mentes dirige in viam ſalutis æternæ, per Dominum.

Canticum.

Puer qui natus eſt nobis, pluſquàm Prophèta eſt: hic eſt enim de quo Saluator ait: Inter natos mulierum non ſurrexit maior Ioanne Baptiſta.

Hymnus de S Ioanne Baptiſta.

VT queant laxis reſonare fibris
Mira geſtorum famuli tuorum,
Solue polluti labii reatum
Sancte Ioannes.
Nuntius celſo veniens olimpo
Te patri magnum fore naſciturum,
Nomen, & vitæ ſeriem gerendæ
Ordine promit.

Ille

Ille promissi dubius superni
Perdidit promptæ modulos loquelæ,
Sed reformasti genitus peremptæ
Organa vocis.

Ventris obstruso positus cubili
Senseras regem thalamo manentem;
Hinc parens nati meritis vterque
Abdita pandit.

Antra deserti teneris sub annis
Ciuium turmas fugiens petisti,
Ne leui saltem maculare vitam
Famine posses.

Præbuit hirtum tegimen camelus,
Artubus sacris strophium bidentes;
Cui latex haustum, sociata pastum
Mella locustis.

Cæteri tantum cecinere vatum
Corde præsago iubar affuturum;
Tu quidem mundi scelus auferentem
Indice prodis.

Non fuit vasti spatium per orbis
Sanctior quisquam genitus Ioanne,
Qui nefas secli meruit lauantem
Tingere lymphis.

O nimis fælix meritiq; celsi,
Nesciens labem niuei pudoris,
Præpotens martyr eremiq; cultor

Maxime

Maxime vatum?

Serta ter denis alios coronant
Aucta crementis, duplicata quosdam.
Trina centeno cumulata fructu
Te sacer ornant.

Nunc potens nostri meritis opimis
Pectoris duros lapides repelle,
Asperos planans iter, & reflexos
Dirige calles.

Vt pius mundi sator & redemptor,
Mentibus pulsa luuione puris,
Ritè dignetur veniens sacratos
Ponere gressus.

Laudibus ciues celebrant superni
Te Deus simplex pariterq; trine,
Supplices & nos veniam precamur,
Parce redemptis, Amen.

DIE FESTO S. PETRI ET PAVLI APOSTOLORVM.

SVMMARIVM. *Vno communiq; festo celebrantur præcipui Apostoli, quos vnus idemq; dies tùm in sanctæ mortis agone, tùm in cælestis vitæ felicitate coniunxit. In sequenti lectione partem habemus historiæ ad B. Petrum propriè pertinentis: ea ipsa nomen alteri quoque festo tribuit, quod propter Petri vincula Kal-*

Augu-

Augusti celebratur. Quæ quidem historia nos pulchrè commonefacit, Ecclesiæ iam inde ab initio persequutiones graues non deesse: contra has verò Ecclesiæ arma suppetere fidem, patientiam, orationem sine intermissione: sic demum in Christo frangi vires omnes aduersarias. Euangelium habet quæstionem de filio hominis, & super ea confessionem Petri à Christo eximiè laudatam honoratamq;. Rectè autem Patres docent, non modò super Christum fundamentum primarium, sed & super Petrum ceu secundarium fundari nouam Dei domum Ecclesiam; & fundatam à Petri successore Pontifice in vnitate & soliditate necessaria conseruari, illamq; omnium hæresum & schismatum non minimam esse causam, quod vni & summo sacerdoti ac iudici vice Christi non obtemperatur. Qui Petri cathedræ iungitur, meus est, inquit Hieronymus. Itaque Christi ordinationi resistit, qui Petri ac successoris eius velut summi pastoris ouis esse detrectat, summamq; in Ecclesia potestatem Petro tributam non reueretur. Nam penes Petrum eiusq; Ecclesiam statuit & reliquit Christus claues regni cælorum: huic supremam committit potestatem peccata ligandi & soluendi, eidem oues vniuersas spiritualiter pascendas ac regendas tradit. De Paulo Apostolo electo vase, doctore gentium, qui plus collegis aliis & laborauit & pertulit, suprà dictum est, vbi eius conuersio celebratur.

EPISTOLARIS LECTIO ACT. XII.

IN diebus illis, Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis, gladio. Videns autẽ quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem: tradensque eum quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. ORATIO autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cùm autem producturus eum esset. Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante hostium custodiebant carcerem. Et eccè Angelus Domini adstitit, & & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens, sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum [illegible]stimabat autem se visum videre. Transeuntes [illegible]tem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta

eſt eis: & exeuntes proceſſerunt vicum vnum: & continuò diſceſſit Angelus ab eo. Et Petrus ad ſe reuerſus, dixit: NVNC ſcio verè, quia miſit Dominus Angelum ſuum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudęorum.

EVANGELIVM MATTH. XVI.

IN illo tempore, Venit IESVS in partes Cæſareæ Philippi: *Cætera leges poſita die feſto Cathedræ ſancti Petri.*

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui hodiernam diem Apoſtolorum tuorum Petri & Pauli martyrio conſecraſti, da Eccleſiæ tuæ eorum in omnibus ſequi præceptum, per quos religionis ſumpſit exordium; per Dominum noſtrum Ieſum &c.

Alia oratio.

Deus, cuius dextera beatum Petrum Apoſtolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit: & coapoſtolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo Pelagi liberauit: exaudi nos propitius & concede, vt amborum meritis, æternitatis gloriam conſequamur. Qui viuis & regnas Deus.

Canticum de eodem feſto.

Hodiè Simon Petrus aſcendit crucis patibulum, Halleluia: hodiè clauicularius regni gaudens migrauit ad Chriſtum: hodiè Paulus Apoſtolus lumen orbis terræ inclinato capite pro Chriſti nomine martyrio coronatus eſt.

Hym-

Hymnus de Apostolis Petro & Paulo.

AVrea luce & decore roseo,
Lux lucis omne perfudisti seculum.
Decorans cælos inclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis veniam.
Ianitor cæli, doctor orbis pariter
Iudices secli, vera mundi lumina,
Per crucem alter, alter ense triumphans
Vitæ senatum laureati poßident.
Iam bone pastor Petre clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Resolue tibi potestate tradita,
Qua cunctis cælum verbo claudis, aperis.
Doctor egregie Paule mores instrue,
Et mente polum nos transferre satage,
Donec perfectum largiatur plenius
Euacuato quod ex parte gerimus.
Oliuæ binæ, pietatis vnicæ,
Fide deuotos, spe robustos maximè,
Fonte repletos charitatis germine
Post mortem carnis impetrate viuere.
Sit trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque iubilatio,
In vnitate cui manet imperium
Ex tunc & modò per æterna secula, Amen.

DIE FESTO VISITATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

SVMMARIVM. *Quæ ad Ecclesiam adamatam Christi sponsam spectant, haud perperam Virgini Deiparæ adaptantur: vt dicatur eadem & sit quoque Dei amica, columba formosa, & si quid aut fingi, aut efferri amabilius inter amicissimos potest. Habet Euangelium & suum Dialogum casti sanctiq; amoris plenum, si personam spectes siue visitantis Mariæ, siue eius quæ inuisitur, Elisabethæ. Hæc docet Mariæ dignitatem agnoscere & prædicare. Nam ad eius veluti præsentis numinis felicem occursum exclamat admirabunda, & spiritu repletur prophetico, et infantem in vtero suo sentit subsilientem. Maria verò nos docet humilitatem, charitatem, diligentiam. Nam ipsa θεοτόκος non dedignatur ad cognatam salutandam & adiuuandam vltro properanter, longo & difficili itinere proficisci.*

EPISTOLARIS LECTIO CANT. II.

Ecce iste venit saliens in montibus, transiliés colles. Similis est dilectus meus capreę, hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parieté nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra no-

ſtra: tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis.

EVANGELIVM LVC. I.

EXurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt: vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius. Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: BENEDICTA inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. ET BEATA quæ credidiſti: quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino Et ait Maria: MAGNIFICAT anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ECCE enim ex hoc beatā me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. Et

misericordia eius à progenie in progenies, timẽtibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.

OBSERVATIO.

Quam beatam dicunt omnes piæ generationes, quia magna fecit ei potens Dominus, hanc vilissimæ cuique mulierculæ generationes impiæ comparant, imò & seipsas ipsæ.

Oratio Ecclesiæ.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire, vt quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, visitationis eius votiua solemnitas pacis tribuat incrementum, Per Dominum nost.

Canticum de eodem festo.

Hodie Ioannes Spiritu sancto repletus, Dominum quem verbis laudare non potuit, corporis obsequio recognouit. Beata Elisabeth, quam mater Domini visitauit, vt Ioannes in vtero suo Spiritum sanctificationis accipiens, præcursoris officium inchoaret.

Aliud.

Aliud.

Beata sterilis, quæ præcursorem Domini senio ingrauescente concepit: beatior virgo: quæ Deum atque hominem genuit Vtraque miraculum sentit, & mysterium recognoscit: sed Elisabeth suum vertit in præconia visitantis, Maria vtrunque refert in gloriam conditoris.

DIE FESTO S. MARIÆ MAGDALENAE.

SVMMARIVM. *Sequens lectio sanctum spirat amorem, pulchre seruiens Magdalenæ, quæ præter mulieres alias in Euangelio laudem habet, quòd post suam conuersionem à Christo sit amata plurimum, eundemq; sponsum vicißim amarit adeò, vt & diligentis & dilectæ sponsæ vel amicæ indolem, affectus ac mores mirabiliter exprimat. In alia verò lectione confertur mulieri forti, matronæq; frugi ac religiosæ. Nam vt scribunt Euangelistæ, curam officium & amorem illa suum erga Christum fideliter declarauit, & reliquas ferè omnes amore & ardore sancto superauit. Euangelium proponit peccatricem, vt vocant, Euangelicam, insigne speculum omnium verè & integrè pænitentium. Eam verò Mariam Magdalenam fuiße, graues authores cum Gregorio Magno scribunt: quæ summum quidem dolorem & odium peccatorum tanto lachrymarum imbre coram multis fuso demon-*

ſtrat, & ſummum deinde amorem erga Chriſtum tot fidis officiis domi, foris, ante & poſt reſurrectionem Domini comprobat, vt laudem eximiam vbiuis gentium promereatur. Amat Chriſtus cum Magdalena plorantes, & primum lachrymis pœnitentium, deinde verò ſanctè amantium delectatur, illisq; fauet plurimum, qui rerum & ſolicitudinum humanarum obliti, ad ſacra æternaq; curanda ſe totos impendunt. Nunc paucos videas pœnitentis Magdalenæ ſodales, quã plurimi & mundi ſtudio, & carnis voluptate, non autem pœnitentia & charitate ſectantur.

LECTIO CANT. III. ET VIII. R.

SVrgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum, cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruosq́ue camporum: ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Pone me. vt ſignaculum, ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt, vt mors, dilectio: dura, ſicut infernus, æmulatio. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ

multæ, non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtãtiam domus ſuæ, pro dilectione: quaſi nihil, deſpiciet eam.

ALIA EPISTOLARIS LECTIO PROVERB. XXXI.

MVlierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius: Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ. Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum. De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Conſiderauit agrum, & emit eum. De fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Stragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Sin-

donem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Cananæo. Fortitudo & decor indumentũ eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ,& lex clementiæ in lingua eius. Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. FALLAX gratia & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eã in portis opera eius.

EVANGELIVM LVC. VII.

IN illo tempore, Rogabat IESVM quidam Pharisæus. *Cætera inuenies suprà feria* V. *post Dominicam passionis.*

Oratio Ecclesiæ.

Beata Mariæ Magdalenæ, quæsumus Domine, suffraggiis adiuuemur, cuius precibus exoratus, quatriduanum fratrem viuum ab inferis resuscitasti. Qui viuis & regnas Deus.

Canticum de S. Magdalena.

Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei IESV *Christi: Quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.* VERSVS: *Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Quem vidi quem amaui,*

ui, in quem credidi, quem dilexi.

Aliud.

MARIA vnxit pedes IESV, & extersit capil lis suis : & domus impleta est ex odore vnguenti.

Hymnus de eadem Magdalena.

Lauda mater Ecclesia,
Lauda Christi clemētiā:
Qui septem purgat vitia,
Per septiformem gratiā,
Maria soror Lazari,
Quæ tot cōmisit crimina
Ab ipsa fauce Tartari,
Redit ad vitæ limina.
Post fluxæ carnis scādala,
Fit ex lebete phiala
In vas translata gloriæ,
De vase contumeliæ.
Aegra currit ad medicū,
Vas ferens aromaticum:
Et à morbo multiplici,
Verbo curatur medici.
Surgentem cum victoria
Iesum vidit ab inferis,
Prima meretur gaudia:
Quæ plus ardebat cæteris
Contriti cordis punctio,
Cum lacrymarum fluuio
Et pietatis actio
Ream soluit à vitio.
Soli Deo sit gloria,
Pro multiplici gratia,
Qui culpas & supplicia
Remittit, et dat præmia,
Amen.

DIE FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

SVMMARIVM. *Epistolam miram Apostolicæ vitæ perfectionem exprimit, in summa illa persecutione, cùm nihil haberet mundus contemptius quā pri-*

mos

mos Christi discipulos, Iacobum, Paulum, & reliquos, cùm illi in Apostolico munere versarentur. Verè Christus illis prædixit: Ecce mitto vos sicut oues inter lupos. Sed & alia sequens lectio non minus ad Iacobum quàm ad Moysen &, similes id genus iustos pertinet, quos nimirum Deus miris modis extulit, atque cohonestauit. Euangelium infirmitatem duorum discipulorum ostendit, & Christi responsio sanat morbum ambitiosorum, omnesq; Christi discipulos ad bibendum calicem seu crucem portandam vocat. Cùm verò duo sint inter Apostolos huiusnominis Iacobi, vt minorē alterū, ita hunc maiorem vocant, cuius nunc solennis memoria celebratur, & quem Euangelium hîc Zebedæi filium ac Ioannis Euangelistæ fratrem fuiße commonstrat. Idem Luca teste, vel primus Apostolorum Christi calicem bibit, Herodiano gladio cæsus, & Hispanorum factus Apostolus, qui Christo Domino fidem, obedientiam & charitatem suam maximam viuens, moriens comprobauit.

EPISTOLA I. CORINTH. IIII.

FRatres, Puto, quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Vsq; in hanc horam & esurimus, &

ſitimus,& nudi ſumus, & colaphis cędimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur: & benedicimus. Perſecutionem patimur: & ſuſtinemus: Blaſphemamur: & obſecramus Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. Non vt confundam vos, hæc ſcribo: ſed ut filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto: ſed non multos patres Nam in Chriſto IESV, per Euangelium ego vos genui.

ALIA LECTIO EPISTOLARIS ECCLE. XLIIII. ET XKV.

BEnedictio Domini ſuper caput iuſti. Ideo dedit illi Dominus hæreditatem, & diuiſit illi patrem in tribubus duodecim, & inuenit gratiam in conſpectu omnis carnis. Magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu regum, & oſtendit illi gloriam ſuam, in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Dedit illi præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, & excelſum fecit illum. Statuit illi teſtamentum ſempiternum, circuncinxit eum zona iuſtitiæ, & induit eum Dominus coronam gloriæ.

Augusti celebratur. Quæ quidem historia nos pulchrè commonefacit, Ecclesiæ iam inde ab initio persequutiones graues non deesse: contra has verò Ecclesiæ arma suppetere fidem, patientiam, orationem sine intermissione: sic demum in Christo frangi vires omnes aduersarias. Euangelium habet quæstionem de filio hominis, & super ea confessionem Petri à Christo eximiè laudatam honoratamq; . Rectè autem Patres docent, non modò super Christum fundamentum primarium, sed & super Petrum ceu secundarium fundari nouam Dei domum Ecclesiam, & fundatam à Petri successore Pontifice in vnitate & soliditate necessaria conseruari, illamq; omnium hæresum & schismatum non minimam esse causam, quod vni & summo sacerdoti ac iudici vice Christi non obtemperatur. Qui Petri cathedræ iungitur, meus est, inquit Hieronymus. Itaque Christi ordinationi resistit, qui Petri ac successoris eius velut summi pastoris ouis esse detrectat, summamq; in Ecclesia potestatem Petro tributam non reueretur. Nam penes Petrum eiusq; Ecclesiam statuit & reliquit Christus claues regni cælorum: huic supremam committit potestatem peccata ligandi & soluendi, eidem oues vniuersas spiritualiter pascendas ac regendas tradit. De Paulo Apostolo electo vase, doctore gentium, qui plus collegis aliis & laborauit & pertulit, suprà dictum est, vbi eius conuersio celebratur.

EPISTOLARIS LECTIO ACT. XII.

IN diebus illis, Misit Herodes rex manus, vt affligeret quosdam de Ecclesia. Occidit autem Iacobum fratrem Ioannis, gladio. Videns auté quia placeret Iudæis, apposuit apprehendere & Petrum. Erant autem dies azymorum. Quem cùm apprehendisset, misit in carcerem: tradensque eum quatuor quaternionibus militum custodiendum, volens post Pascha producere eum populo. Et Petrus quidem seruabatur in carcere. ORATIO autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Cùm autem producturus eum esset. Herodes, in ipsa nocte erat Petrus dormiens inter duos milites, vinctus catenis duabus: & custodes ante hostium custodiebant carcerem. Et eccè Angelus Domini adstitit, & & lumen refulsit in habitaculo: percussoque latere Petri, excitauit eum, dicens: Surge velociter. Et ceciderunt catenæ de manibus eius. Dixit autem Angelus ad eum: Præcingere, & calcea te caligas tuas Et fecit sic. Et dixit illi: Circunda tibi vestimentum tuum, & sequere me. Et exiens, sequebatur eum, & nesciebat quia verum est quod fiebat per Angelum [illegible] istimabat autem se visum videre. Transeuntes [illegible]tem primam & secundam custodiam, venerunt ad portam ferream, quæ ducit ad ciuitatem, quæ vltrò aperta

est eis: & exeuntes processerunt vicum vnum: & continuò discessit Angelus ab eo. Et Petrus ad se reuersus, dixit: NVNC scio verè, quia misit Dominus Angelum suum, & eripuit me de manu Herodis, & de omni expectatione plebis Iudęorum.

EVANGELIVM MATTH. XVI.

IN illo tempore, Venit IESVS in partes Cæsareæ Philippi: *Cætera leges posita die festo Cathedræ sancti Petri.*

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui hodiernam diem Apostolorum tuorum Petri & Pauli martyrio consecrasti, da Ecclesiæ tuæ eorum in omnibus sequi preceptum, per quos religionis sumpsit exordium; per Dominum nostrum Iesum &c.

Alia oratio.

Deus, cuius dextera beatum Petrum Apostolum ambulantem in fluctibus, ne mergeretur, erexit: & coapostolum eius Paulum tertiò naufragantem de profundo Pelagi liberauit: exaudi nos propitius & concede, vt amborum meritis, æternitatis gloriam consequamur. Qui viuis & regnas Deus.

Canticum de eodem festo.

Hodiè Simon Petrus ascendit crucis patibulum, Halleluia: hodiè clauicularius regni gaudens migrauit ad Christum: hodiè Paulus Apostolus lumen orbis terræ inclinato capite pro Christi nomine martyrio coronatus est.

Hym-

Hymnus de Apostolis Petro & Paulo.

AVrea luce & decore roseo,
Lux lucis omne perfudisti seculum.
Decorans cælos inclyto martyrio
Hac sacra die, quæ dat reis veniam.
Ianitor cæli, doctor orbis pariter
Iudices secli, vera mundi lumina,
Per crucem alter, alter ense triumphans
Vitæ senatum laureati possident.
Iam bone pastor Petre clemens accipe
Vota precantum, & peccati vincula
Resolue tibi potestate tradita,
Qua cunctis cælum verbo claudis, aperis.
Doctor egregie Paule mores instrue,
Et mente polum nos transferre satage,
Donec perfectum largiatur plenius
Euacuato quod ex parte gerimus.
Oliuæ binæ, pietatis vnicæ,
Fide deuotos, spe robustos maximè,
Fonte repletos charitatis germine
Post mortem carnis impetrate viuere.
Sit trinitati sempiterna gloria,
Honor, potestas, atque iubilatio,
In vnitate cui manet imperium
Ex tunc & modò per æterna secula, Amen.

DIE FESTO VISITATIONIS B. MARIAE VIRGINIS.

SVMMARIVM. *Quæ ad Ecclesiam adamatam Christi sponsam spectant, haud perperam Virgini Deiparæ adaptantur: vt dicatur eadem & sit quoque Dei amica, columba formosa, & si quid aut fingi, aut efferri amabilius inter amicissimos potest. Habet Euangelium & suum Dialogum casti sanctiq; amoris plenum, si personam spectes siue visitantis Mariæ, siue eius quæ inuisitur, Elisabethæ. Hæc docet Mariæ dignitatem agnoscere & prædicare. Nam ad eius veluti præsentis numinis felicem occursum exclamat admirabunda, & spiritu repletur prophetico, et infantem in vtero suo sentit subsilientem. Maria verò nos docet humilitatem, charitatem, diligentiam. Nam ipsa* θεοτόκος *non dedignatur ad cognatam salutandam & adiuuandam vltro properanter, longo & difficili itinere proficisci.*

EPISTOLARIS LECTIO CANT. II.

ECce iste venit saliens in montibus, transiliés colles. Similis est dilectus meus capreę, hinnuloque ceruorum. En ipse stat post parieté nostrum respiciens per fenestras, prospiciens per cancellos. En dilectus meus loquitur mihi. Surge propera amica mea, columba mea, formosa mea, & veni. Iam enim hyems transijt, imber abijt & recessit, flores apparuerunt in terra nostra:

ſtra: tempus putationis aduenit: vox turturis audita eſt in terra noſtra: ficus protulit groſſos ſuos, vineæ florentes dederunt odorem ſuum. Surge propera amica mea, ſpecioſa mea, & veni, columba mea in foraminibus petræ, in cauerna maceriæ. Oſtende mihi faciem tuam. Sonet vox tua in auribus meis: Vox enim tua dulcis.

EVANGELIVM LVC. I.

EXurgens Maria in diebus illis, abiit in montana cum feſtinatione in ciuitatem Iuda: & intrauit in domum Zachariæ, & ſalutauit Eliſabeth. Et factum eſt: vt audiuit ſalutationem Mariæ Eliſabeth, exultauit infans in vtero eius. Et repleta eſt Spiritu ſancto Eliſabeth: & exclamauit voce magna, & dixit: BENEDICTA inter mulieres, & benedictus fructus ventris tui. Et vnde hoc mihi, vt veniat mater Domini mei ad me? Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis, exultauit in gaudio infans in vtero meo. ET BEATA quæ credidiſti: quoniam perficientur ea quæ dicta ſunt tibi à Domino Et ait Maria: MAGNIFICAT anima mea dominum. Et exultauit ſpiritus meus in Deo ſalutari meo. Quia reſpexit humilitatem ancillæ ſuæ, ECCE enim ex hoc beatã me dicent omnes generationes. Quia fecit mihi magna qui potens eſt: & ſanctum nomen eius. Et

misericordia eius à progenie in progenies, timētibus eum. Fecit potentiam in brachio suo: dispersit superbos mente cordis sui. Deposuit potentes de sede, & exaltauit humiles. Esurientes impleuit bonis: & diuites dimisit inanes. Suscepit Israel puerum suum, memorari misericordiæ suæ. Sicut locutus est ad patres nostros, Abraham & semini eius in secula. Mansit autem Maria cum illa quasi mensibus tribus: & reuersa est in domum suam.

OBSERVATIO.

Quam beatam dicunt omnes piæ generationes, quia magna fecit ei potens Dominus, hanc vilissimæ cuique mulierculæ generationes impiæ comparant, imò & seipsas ipsæ.

Oratio Ecclesiæ.

Famulis tuis, quæsumus Domine, cælestis gratiæ munus impertire, vt quibus beatæ Virginis partus extitit salutis exordium, visitationis eius votiua solemnitas pacis tribuat incrementum, Per Dominum nost.

Canticum de eodem festo.

Hodie Ioannes Spiritu sancto repletus, Dominum quem verbis laudare non potuit, corporis obsequio recognouit. Beata Elisabeth, quam mater Domini visitauit, vt Ioannes in vtero suo Spiritum sanctificationis accipiens, præcursoris officium inchoaret.

Aliud.

Aliud.

Beata sterilis, quæ præcursorem Domini senio ingrauescente concepit: beatior virgo: quæ Deum atque hominem genuit Vtraque miraculum sentit, & mysterium recognoscit: sed Elisabeth suum vertit in præconia visitantis, Maria vtrunque refert in gloriam conditoris.

DIE FESTO S. MARIÆ MAGDALENAE.

SVMMARIVM. *Sequens lectio sanctum spirat amorem, pulchrè seruiens Magdalenæ, quæ præter mulieres alias in Euangelio laudem habet, quòd post suam conuersionem à Christo sit amata plurimum, eundemq; sponsum vicißim amarit adeò, vt & diligentis & dilectæ sponsæ vel amicæ indolem, affectus ac mores mirabiliter exprimat. In alia verò lectione confertur mulieri forti, matronæq; frugi ac religiosæ. Nam vt scribunt Euangelistæ, curam officium & amorem illa suum erga Christum fideliter declarauit, & reliquas ferè omnes amore & ardore sancto superauit. Euangelium proponit peccatricem, vt vocant, Euangelicam, insigne speculum omnium verè & integrè pænitentium. Eam verò Mariam Magdalenam fuiße, graues authores cum Gregorio Magno scribunt: quæ summum quidem dolorem & odium peccatorum tanto lachrymarum imbre coram multis fuso demon-*

ſtrat, & ſummum deinde amórem erga Chriſtum tot fidis officiis domi, foris, ante & poſt reſurrectionem Domini comprobat, vt laudem eximiam vbiuis gentium promereatur. Amat Chriſtus cum Magdalena plorantes, & primum lachrymis pænitentium, deinde verò ſanctè amantium delectatur, illisq; fauet plurimum, qui rerum & ſolicitudinum humanarum obliti, ad ſacra æternaq; curanda ſe totos impendunt. Nunc paucos videas pænitentis Magdalenæ ſodales, quã plurimi & mundi ſtudio, & carnis voluptate, non autem pœnitentia & charitate ſectantur.

LECTIO CANT. III. ET VIII. R.

SVrgam, & circuibo ciuitatem: per vicos & plateas quæram, quem diligit anima mea. Quæſiui illum, & non inueni. Inuenerunt me vigiles, qui cuſtodiunt ciuitatem. Num, quem diligit anima mea, vidiſtis? Paululum, cùm pertranſiſſem eos, inueni, quem diligit anima mea. Tenui eum, nec dimittam, donec introducam illum in domum matris meæ, & in cubiculum genitricis meæ. Adiuro vos, filiæ Ieruſalem, per capreas, ceruosque camporum: ne ſuſcitetis, neque euigilare faciatis dilectam, donec ipſa velit. Pone me. vt ſignaculum, ſuper cor tuum, vt ſignaculum ſuper brachium tuum: quia fortis eſt, vt mors, dilectio: dura, ſicut infernus, æmulatio. Lampades eius, lampades ignis, atque flammarum. Aquæ

multæ

multæ, non potuerunt extinguere charitatem: nec flumina obruent illam. Si dederit homo omnem ſubſtãtiam domus ſuæ, pro dilectione: quaſi nihil, deſpiciet eam.

ALIA EPISTOLARIS LECTIO PROVERB. XXXI.

MVlierem fortem quis inueniet? Procul & de vltimis finibus pretium eius: Confidit in ea cor viri ſui, & ſpoliis non indigebit. Reddet ei bonum, & non malum, omnibus diebus vitæ ſuæ. Quæſiuit lanam, & linum, & operata eſt conſilio manuum ſuarum. Facta eſt quaſi nauis inſtitoris, de longè portans panem ſuum. De nocte ſurrexit, deditque prædam domeſticis ſuis, & cibaria ancillis ſuis. Conſiderauit agrum, & emit eum. De fructu manuum ſuarum plantauit vineam. Accinxit fortitudine lumbos ſuos, & roborauit brachium ſuum. Guſtauit & vidit quia bona eſt negotiatio eius, non extinguetur in nocte lucerna eius. Manum ſuam miſit ad fortia, & digiti eius apprehenderunt fuſum. Manum ſuam aperuit inopi, & palmas ſuas extendit ad pauperem. Non timebit domui ſuæ à frigoribus niuis: omnes enim domeſtici eius veſtiti ſunt duplicibus. Stragulatam veſtem fecit ſibi: byſſus & purpura indumentum eius. Nobilis in portis vir eius, quando ſederit cum ſenatoribus terræ. Sindonem

donem fecit & vendidit, & cingulum tradidit Cananæo. Fortitudo & decor indumentũ eius, & ridebit in die nouissimo. Os suum aperuit sapientiæ,& lex clementiæ in lingua eius. Considerauit semitas domus suæ, & panem ociosa non comedit. Surrexerunt filij eius, & beatissimam prædicauerunt: vir eius laudauit eam. Multæ filiæ congregauerunt diuitias: tu supergressa es vniuersas. FALLAX gratia & vana est pulchritudo: mulier timens Dominum, ipsa laudabitur. Date ei de fructu manuum suarum, & laudent eã in portis opera eius.

EVANGELIVM LVC. VII.

IN illo tempore, Rogabat IESVM quidam Pharisæus. *Cætera inuenies suprà feria* V. *post Dominicam paßionis.*

Oratio Ecclesiæ.

Beata Maria Magdalenæ, quæsumus Domine, suffraggiis adiuuemur, cuius precibus exoratus, quatriduanum fratrem viuum ab inferis resuscitasti. Qui viuis & regnas Deus.

Canticum de S. Magdalena.

Regnum mundi & omnem ornatum seculi contempsi propter amorem Domini mei IESV *Christi: Quem vidi, quem amaui, in quem credidi, quem dilexi.* V*ERSVS: Eructauit cor meum verbum bonum: dico ego opera mea regi. Quem vidi quem amaui,*

ui, in quem credidi, quem dilexi.

Aliud.

MARIA vnxit pedes IESV, & exterſit capil lis ſuis : & domus impleta eſt ex odore vnguenti.

Hymnus de eadem Magdalena.

Lauda mater Eccleſia,
Lauda chriſti clemētiā:
Qui ſeptem purgat vitia,
Per ſeptiformem gratiā,
Maria ſoror Lazari,
Quæ tot cōmiſit crimina
Ab ipſa fauce Tartari,
Redit ad vitæ limina.
Poſt fluxæ carnis ſcādala,
Fit ex lebete phiala
In vas tranſlata gloriæ,
De vaſe contumeliæ.
Aegra currit ad medicū,
Vas ferens aromaticum:
Et à morbo multiplici,
Verbo curatur medici.
Surgentem cum victoria
Ieſum vidit ab inferis,
Prima meretur gaudia:
Quæ plus ardebat cæteris
Contriti cordis punctio,
Cum lacrymarum fluuio
Et pietatis actio
Ream ſoluit à vitio.
Soli Deo ſit gloria,
Pro multiplici gratia,
Qui culpas & ſupplicia
Remittit, et dat præmia,
Amen.

DIE FESTO S. IACOBI APOSTOLI.

SVMMARIVM. *Epiſtolam miram Apoſtolicæ vitæ perfectionem exprimit, in ſumma illa perſecutione, cùm nihil haberet mundus contemptius quā pri-*

mos Christi discipulos, Iacobum, Paulum, & reliquos, cùm illi in Apostolico munere versarentur. Verè Christus illis prædixit: Ecce mitto vos sicut oues inter lupos. Sed & alia sequens lectio non minus ad Iacobum quàm ad Moysen &, similes id genus iustos pertinet, quos nimirum Deus miris modis extulit atque cohonestauit. Euangelium infirmitatem duorum discipulorum ostendit, & Christi responsio sanat morbum ambitiosorum, omnesq; Christi discipulos ad bibendum calicem seu crucem portandam vocat. Cùm verò duo sint inter Apostolos huiusnominis Iacobi, vt minorē alterū, ita hunc maiorem vocant, cuius nunc solennis memoria celebratur, & quem Euangelium hîc Zebedæi filium ac Ioannis Euangelistæ fratrem fuiße commonstrat. Idem Luca teste, vel primus Apostolorum Christi calicem bibit, Herodiano gladio cæsus, & Hispanorum factus Apostolus, qui Christo Domino fidem, obedientiam & charitatem suam maximam viuens, moriens comprobauit.

EPISTOLA I. CORINTH. IIII.

FRatres, Puto, quòd Deus nos Apostolos nouissimos ostendit, tanquam morti destinatos: quia spectaculum facti sumus mundo, & angelis, & hominibus. Nos stulti propter Christum vos autem prudentes in Christo. Nos infirmi, vos autem fortes. Vos nobiles: nos autem ignobiles. Vsq; in hanc horam & esurimus, & sitimus,

ſitimus,& nudi ſumus, & colaphis cędimur, & inſtabiles ſumus, & laboramus operantes manibus noſtris. Maledicimur: & benedicimus. Perſecutionem patimur: & ſuſtinemus: Blaſphemamur: & obſecramus Tanquam purgamenta huius mundi facti ſumus, omnium peripſema vſque adhuc. Non vt confundam vos, hæc ſcribo: ſed ut filios meos chariſſimos moneo. Nam ſi decem millia pædagogorum habeatis in Chriſto: ſed non multos patres Nam in Chriſto IESV, per Euangelium ego vos genui.

ALIA LECTIO EPISTOLARIS ECCLE. XLIIII. ET XLV.

BEnedictio Domini ſuper caput iuſti. Ideo dedit illi Dominus hæreditatem, & diuiſit illi partem in tribubus duodecim, & inuenit gratiam in conſpectu omnis carnis. Magnificauit eum in timore inimicorum, & in verbis ſuis monſtra placauit. Glorificauit eum in conſpectu regum, & oſtendit illi gloriam ſuam, in fide & lenitate ipſius ſanctum fecit illum, & elegit eum ex omni carne. Dedit illi præcepta, & legem vitæ, & diſciplinæ, & excelſum fecit illum. Statuit illi teſtamentum ſempiternum, circuncinxit eum zona iuſtitiæ, & induit eum Dominus coronam gloriæ.

EVANGELIVM MATTH. XX.

IN illo tempore, Accessit ad eum mater filiorum Zebedæi, cum filiis suis adorans & petés aliquid ab eo. Qui dixit ei: Quid vis? Ait illi, Dic vt sedeant hi duo Filij mei, vnus ad dexteram tuam, & vnus ad sinistram in regno tuo. Respondens autem IESVS, dixit: Nescitis quid petatis. POTESTIS BIBERE CALICEM, quem ego bibiturus sum? Dicunt ei: Possumus. Ait illis: Calicem quidẽ meum bibetis: sedere autem ad dexteram meam & sinistram, non est meum dare vobis, sed quibus paratum est à Patre meo. *OBSERVATIO.*

Vide obseruata fer. 4. Dom. 2. Quadrag.

DE S. IACOBO APOST.



IACOBVS Zebedæi filius, Ioannis Apostoli, germanus frater, Galilæus, inter primos Apostolos, vocatus cum fratre, relictis patre ac retibus, secutus est Dominum, & ambo, ab ipso Iesu Boanerges, id est, tonitrui filij, sunt appellati. Is vnus fuit ex tribus Apostolis, quos Saluator maximè dilexit xit, & testes esse voluit suæ transfigurationis, & interesse miraculo, cum Archisynagogi filiã à mortuis excitauit, & adesse, cum secessit in montem Olìueti, patrem oraturus, antequam

à Iu-

à Iudæis comprehenderetur. Verum Iacobus, post Iesu Christi ascensum in cælum, in Iudæa, & Samaria, prædicans eius diuinitatem, plurimos, in quibus Hermogenem hæreticum, ad Christianam fidem conuertit. Mox peragrata Hispania, ibiq; prædicato Euangelio, rediȷt Hierosolymam. Sed Claudio Imperatore, Herodes ad regnum elatus, vt à Iudæis gratiam iniret, Iacobum liberè Iesum Christum Deum confitentem, capitis condemnauit. Quem cum is, qui eum duxerat ad tribunal, fortiter martyrium subeuntem vidisset, statim se & ipse Christianum esse professus est. Ad supplicium cum raperentur, petiȷt ille à Iacobo veniam, quem Iacobus osculatus, pax inquit tibi sit. Itaque vterque est securi percussus, cùm paulò ante Iacobus Paralyticum sanasset. Corpus eius posteà Compostellam translatum est, vbi summa celebritate colitur; conuenientibus eo religionis, & voti causa, ex toto terrarum orbe peregrinis. Memoria ipsius Natalis, hodierno die, qui translationis dies est, ab ecclesia celebratur; cum ipse Calendis Aprilis, primus Apostolorum Hierosolymis, profuso sanguine testimonium Iesu Christo dederit. *OBSERVATIO.*

Vides religionis & voti causa susceptas ad sanctorum sepulchra peregrinationes.

Oratio

Oratio Ecclesiæ.

Esto Domine plebi tuæ sanctificator & custos, vt Apostoli tui Iacobi munita præsidiis, & conuersatione tibi placeat, & secura mente deseruiat, Per domin.

DIE FESTO AD VINCVLA PETRI APOSTOLI.

Epistolarum Lectionem, ac Euangelium huc refer ex feriis S. Petri & Pauli Apostolorum.

DE S.PETRO AD VINCVLA.



HEODOSIO Imp. Eudoxia eius vxor cũ Hierosolymã, soluẽdi voti causa venisset ibi multis est affecta muneribus: præ cæteris, insigne donum accepit ferreæ catenæ, auro gemmisq; ornatæ: quam illam esse affirmabant, qua Petrus Apostolus ab Herode vinctus fuerat. Eudoxia catenam piè venerata, eam posteà Romam Pontifici maximo detulit Qui vicissim illi monstrauit alteram catenam, quo Nerone Imperatore idẽ Apostolus constrictus fuerat. Cum igitur pontifex, Romanam catenam cum ea, quæ Hierosolymis allata fuerat, contulisset; factum est, vt illæ inter se sic connecterentur, vt non duæ, sed vna catena, ab eodem artifi-

ac confecta esse videretur. Quo miraculo, tantus honor sacris illis vinculis haberi cœpit, vt propterea hoc nomine, S. Petri ad vincula Ecclesia dedicata sit in Exquilijs, eiusq; memoriæ dies festus institutus Calend. Augusti. Quo tempore honos, qui eo die Augusto Cæsari tribui solitus erat, Petri vinculis haberi cœpit. Quæ tactæ ægros sanabant, & dæmones eijciebant. Quo in genere anno salutis humanæ nongentesimo accidit, vt quidam Comes Othonis Imperatoris familiaris, occupatus ab immundo spiritu seipsum dentibus, dilaniaret. Quare is iussu Imp. ad Ioannem Pontificem ducitur: qui vt sacra catena, Comitis collum attigit, erumpens nefarius spiritus hominem liberum reliquit, ac deinceps in vrbe, sanctorum Vinculorum religio, propagata est.

OBSERVATIO.

Habes reliquiarum venerationem, & miracula ad earum contactum quibus placens Deo exhibita illis veneratio confirmatur.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui beatum Petrum apostolum, a vinculis absolutum, illæsum abire fecisti: nostrorum, quæsumus, absolue vincula peccatorum: & omnia mala a nobis propitiatus exclude. Per dominum nostrum.

DIE FESTO S. DOMINICI.

Epistola, & Euangelium vt in festo S. Syluestri.

DE S. DOMINICO CONF.



OMINICVS Calarogæ, in Hispania, ex nobili Gusmanorum familia natus, Palentiæ liberalibus disciplinis, & Theologiæ operam dedit: quo in studio, cum plurimũ profecisset, prius Oxomensis Ecclesiæ Canonicus regularis, deinde ordinis fratrum prædicatorum author fuit. Huius mater grauida, sibi visa est in quiete, continere in aluo catulum ore præferentem facem, qua editus in lucem orbem terrarum incẽderet. Quo somnio significabatur, fore vt splendore sanctitatis, ac doctrinæ, gentes ad Christianam pietatem inflammarentur. Veritatem exitus cõprobauit, id enim & præstitit per se, & per sui ordinis socios deinceps est consecutus. Huius autem ingenium, ac virtus, maximè enituit in euertendis hæreticis, qui perniciosis erorribus Tolosates peruertere conabantur. Quo in negotio septem consumpsit annos. Postea Romam venit ad Lateranense concilium, cum Episcopo Tolosano, vt ordo quem instituerat, ab Innocentio tertio confirmaretur. Quæ res dum in deliberatione versatur, Dominicus hortatu

hortatu pontificis ad suos reuertitur, vt sibi regulam deligeret. Romam rediens ab Honorio tertio, qui proximus Innocentio successerat, confirmationem ordinis prædicatorum impetrat. Romæ autem duo instituit Monasteria, alterum virorum, mulierum alterum, Tres etiam mortuos ad vitam reuocauit, multaque alia edidit miracula, quibus ordo prædicatorum mirificè propagari cœpit. Verum cùm eius opera, vbique terrarum monasteria iam ædificàrentur, innumerabilesque homines religiosam, ac piam vitam instituerent, Bononiæ, anno Christi ducentesimo vigesimo tertio supra millesimum, in febrem incidit: ex qua cum se moriturum intelligeret, conuocatis fratribus, & alumnis suæ disciplinæ, eos ad innocentiam, & integritatem cohortatus est. Postremo charitatem, humilitatem, paupertatem, tanquam certum patrimonium, eis testamento reliquit, fratribusq; orantibus, in illis verbis, Subuenite sancti Dei, occurrite Angeli, obdormiuit in Domino, Nonis Augusti, quem posteà Gregorius nonus Pontifex, retulit in sanctorum numerum.

OBSERVATIO.

Gratam esse Deo monasticam vitam auctorum sanctitas editaq; per eos miracula declarant, atque hunc tamen odêre mirum in modum Nouatores nostri,

cænobiorum cænobitarumq; euersores atque carnifices.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui ecclesiam tuam, beati Dominici confessoris tui illuminare dignatus es meritis, & doctrinis, concede: vt, eius intercessione temporalibus non destituatur auxiliis, & spiritualibus semper proficiat incrementis. Per dominum nostrum Iesum &c.

DE S. MARIA AD NIVES.

Cætera require in festis B. Mariæ.



IBERIO summo Pontifice, Ioannes Patricius Romanus, & vxor, pari nobilitate, cum liberos non suscepissent, quos bonorum hæredes relinquerent, suam hæreditatem, sanctissimæ virgini Dei matri, vouerunt, ab ea summis precibus assiduè petentes, vt, in qđ piũ opus, eam pecuniã potissimũ erogari vellet, aliquo modo significaret. Quorum preces & vota, ex animo facta, B. Virgo Maria, benignè audiens, miraculo comprobauit. Nonis igitur Augusti, quo tempore, in vrbe Maximi calores esse solent, noctu nix partem collis Esquilini contexit. Qua nocte, Dei mater, separatim Ioannem, & coniugem in somnis admonuit, vt quem locum niue consperſum viderent, in eo Ecclesiam ædifica-

ædificarent, quæ Mariæ Virginis nomine dedicaretur, se enim ita velle, ab ipsis hæredem instituí. Quod Ioannes ad Liberium pontificem detulit, qui idem per somnium sibi contigisse affirmauit. Quare solemni sacerdotum, & populi supplicatione, ad collem venit niue coopertum, & in ea locum Ecclesiæ designauit, quæ Ioannis, & vxoris pecunia extructa est, posteà à Sixto tertio restituta varijs nominibus primum est appellata, Basilica Liberij. Sancta Maria ad præsepe: Sed cum multæ iam essent in vrbe Ecclesiæ, sub nomine S. Mariæ Virginis: vt quæ Basilica nouitate miraculi, ac dignitate ceteris eiusdem nominis Basilicis præstaret, vocabuli etiam excellentia significaretur, Ecclesia S. Mariæ maioris dicta est; cuius dedicationis memoria ex niue, quæ hodierno die mirabiliter cecidit, aniuersaria celebritate colitur.

OBSERVATIO.

Habes hæreditatem amplam dicatam B. Virgini ex voto & in Ecclesiæ structuram insumptam, quā miraculo designatam & sub nomine eiusdem dedicatam vides: habes & populi cleriq; solennes supplicationes. Adhuc nihilominus sacras ædes diruere, & ex imis fundamentis euertere heretici non verentur.

DIE FESTO S. LAVRENTII MARTYRIS.

Svmmarivm. De eleemosyna promptè, hilariter ac largè conferenda, & quis eius fructus, quodqúe sit præmium, Epistola commonstrat. Hanc verò suo exemplo luculenter illustrat S. Laurentius, qui Ecclesiæ thesauros suæ fidei cõcreditos dispersit, deditq́; pauperibus, seminans nimirũ temporalia, & paulò pòst cũ iustis abundè metẽs æterna bona. Euangeliũ de grano frumenti, & de anima seu vita hîc rectè perdenda tractat. suamqúe vim exprimit in Laurentio & aliis Christi martyribus. Ad horum imitationem accedunt, qui carnem crucifigunt cum vitiis & concupiscentiis eius, futuri postea consortes gloriæ, quia in cruce Domino lubenter sese conformant. Rectè hoc festum celebrauerimus, si cum Laurentio in eleemosynis erogandis largi, & in edomandis affectibus malis strenui esse studeamus, nósque fidos tùm Christo, tùm Ecclesiæ ministros, ad mortem vsque præstemus.

LECTIO II. CORINTH. IX.

FRatres, Qui parcè seminat, parcè & metet: & qui seminat in benedictionibus, de benedictionibus & metet. Vnusquisque prout destinauit in corde suo: non ex tristitia, aut ex necessitate. Hilarem enim datorem diligit devs. Potens est autem Deus omnem

nem gratiam abundare facere in vobis, vt in omnibus ſemper omnem ſufficientiam habentes, abundetis in omne opus bonum, ſicut ſcriptum eſt; DISPERSIT, DEDIT pauperibus: iuſtitia eius manet in ſeculum ſeculi. Qui autem adminiſtrat ſemen ſeminanti: & panem ad manducandum præſtabit, & multiplicabit ſemen veſtrum, & augebit incrementa frugum iuſtitiæ veſtræ. *OBSERVATIO.*

Ex ſemente bonorum operam æternam gloriam metere nos docet Apoſtolus, Idem liberum aſtruit arbitrium illis verbis vnúſquiſque prout deſtinauit in corde ſuo &c. Quod etiam declarat vt ſæpius annotauimus Chriſtus conditionali particula Si quis, in ſequente Euangelio.

EVANGELIVM IOAN. XII.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: Amen amen dico vobis, NISI GRANVM FRVMENTI cadens in terram, mortuum fuerit, ipſum ſolum manet; ſi autem mortuum fuerit, multum fructum affert. QVI AMAT ANIMAM ſuam, perdet eam: & qui odit animam ſuam in hoc mundo, in vitam æternam cuſtodit eam. Si quis mihi miniſtrat, me ſequatur: & vbi ſum ego, illic & miniſter meus erit. Si quis mihi miniſtrauerit, honorificabit eum Pater meus.

DE S. LAVRENTIO.

Ex ser. S. Leon.



VM furor gentilium poteſtatum, in electiſſima quæque Chriſti mẽbra ſæuiret, ac præcipuè eos, qui ordinis erant ſacerdotalis impeteret; in Leuitam Laurentium, qui non ſolum miniſterio Sacramentorum, ſed etiam diſpenſatione Eccleſiaſticæ ſubſtantiæ eminebat, impius perſecutor efferbuit, duplicem ſibi prædam de vnius viri comprehenſione promittens, quem ſi feciſſet ſacræ pecuniæ traditorem, faceret etiam veræ religionis exortem. Armatur itaque gemina face, homo pecuniæ cupidus, & veritatis inimicus; auaritia, vt rapiat aurum: impietate, vt auferat Chriſtum, poſtulat ſibi, ab immaculato ſacrarij præſule, opes eccleſiaſticas, quibus auidiſſimus inhiabat, inferri. Cui leuita caſtiſſimus, vbi eas repoſitas haberet, oſtendens, numeroſiſſimos ſanctorum pauperum obtulit greges, in quorum victu atque veſtitu, inamiſſibiles condiderat facultates, quæ tanto integrius erant ſaluæ, quanto ſanctius probabantur expenſæ. Fremit ergo, prædo fruſtratus, & in odium religionis, quæ talem diuitiarum vſum inſtituiſſet inardeſcẽs, direptionem theſauri po-

cioris aggreditur, apud quem nullam denariorum substantiam reperisset, vt illud depositum, quo sacratius erat diues, auferret. Renunciare Christo Laurentium iubet, & solidissimam illam Leuitici animi fortitudinem, diris parat vrgere supplicijs. Quorum vbi prima nil obtinēt, vehementoria succedunt. Laceros artus, & multa verberum sectione conscissos, subiecto præcipit igne torreri, vt per cratem ferream, quæ iam de feruore continuo, vim in se haberet vrendi, conuersorum alterna mutatione membrorum, fieret cruciatus vehementior, & pœna productior. Nihil obtines, nihil proficis, sæua crudelitas. Subtrahitur tormentis tuis materia mortalis, & Laurentio in cœlos abeunte, tu deficis flammis tuis. Superari charitatis Christi flamma non potuit. Segnior fuit ignis, qui foris vssit, quam qui intus incendit. Sæuisti persecutor in martyrem, sæuisti & auxisti palmam, dum aggeras pœnam. Nam quid non ad victoris gloriam ingenium tuum reperit, quando in honorem transierunt triumphi, etiam instrumenta supplicij? Gaudeamus igitur dilectissimi gaudio spiritali, & de felicissimo inclyti viri fine gloriemur in Domino, qui est mirabilis in sanctis suis, in quibus nobis, & præsidium constituit, & exemplum: atque ità per vniuersum mundum clarificauit

gloriam

gloriam suam, vt à solis ortu vsque ad occasum, Leuiticorum luminum coruscante fulgore, quā clarificata est Hierosolyma Stephano, tam illustris fieret Roma Laurentio.

OBSERVATIO.

Diaconus Laurentius Sixto summo pontifici sacra facienti ministrans thesauros Ecclesiæ asseruabat, quos moriturus pontificis iussu pauperibus erogauit. Vetus igitur hic fuit mos, thesauros vt haberent Ecclesiæ. O quam multos habuit nostra hæc ætas Decios thesaurorum Ecclesiæ auidos & sacrorum ministrorum carnifices.

Oratio Ecclesiæ.

Da nobis, quæsumus omnipotens Deus, vitiorum nostrorum flammas extinguere, qui beato Laurentio tribuisti tormentorum suorum incendia superare, Per.

Canticum.

Beatus Laurentius dum in craticula superpositus vreretur, ad impiissimum tyrannum dixit: Assatum est iam, versa & manduca: nam facultates Ecclesiæ quas requiris, in cælestes thesauros manus pauperum deportauerunt.

SACRO DIE ASSVMPTIONIS BEATAE MARIAE Virginis.

SVMMARIVM. *Nullus dies cuiquam sancto-*

rum

rum quàm hodiernus, Deiparæ Virgini, solennius celebratur: quæ corpore & animo in cælos euecta, summam post Christum filium gloriam & dignitatem est consequuta: Atque huc Nicephorus refert illud ex Psalmis: Exurge Domine, tu & arca sanctificationis tuæ. Rectè igitur in eiusdem Virginis persona profertur lectio sequens, vbi velut in spiritu exultans illa, sibíque gratulans, suam ipsa gloriam, eámque incomparabilem, palàm deprædicat. Et quidem partem non bonam tantùm vt Martha, sed optimam nunquam auferendam elegit, postquam non anima tantùm, sed corpore hinc feliciter assumpta, & super choros Angelorum exaltata, & à vero Salomone filio coronata nec primam similem visa est, nec habere sequentem. Sunt & alia complura in Euangelio, quæ propter Castelli rationem, & ex comparatione Marthæ ac Mariæ ad hanc Virginem, eiusq; festum accommodari facilè possint. Hanc mundi cælíque reginam omnes cum Angelo prædicent, cum Elisabeth suspiciant, cum Ecclesia venerentur, sed & cum Athanasio fidenter ita compellent. Decet te matrem regeneratricem, dominam & heram cognominari, eò quòd ex te prodiit Rex, Dominus & Deus noster. Ad te clamamus, recordare nostri sanctissima Virgo, quæ etiam à partu virgo permansisti. Beatam te prædicant omnes Angelorum & terrestrium hierarchi Exaltamus te magna & canora voce, dicentes: Aue gratia plena, Dominus tecum. Intercede

esde hera, & domina, & regina, & mater Dei pro nobis. Sic Athanasius in Euangelium de sanctissima Deipara. Sequens autem lectio pulchrum est preconium diuinæ æternæq; sapientiæ, sed quod Patres ad mariam Deiparam trasferunt, vt quæ iure de se prædicat, creatorem in suo tabernaculo requieuisse, seque instar cedri, cypreßi, palmæ, roseti, oliuæ & platani, hoc est præ cæteris electis, & coram tota Ecclesia sublimiter exaltatam esse.

EPISTOLARIS LECTIO ECCLES. XXIIII.

IN omnibus requiem quæsiui, & in hæreditate Domini morabor. Tunc præcepit, & dixit mihi creator omnium: ET QVI creauit me, requieuit in tabernaculo meo, & dixit mihi: In Iacob inhabita, & in Israel hæreditare, & in electis meis mitte radices. Ab initio & ante secula creata sum: & vsque ad futurum seculum non desinam, & in habitatione sancta coram ipso ministraui Et sic in Sion firmata sum, & in ciuitate sanctificata similiter requieui, & in Hierusalem potestas mea. Et radicaui in populo honorificato, & in partes Dei mei hæreditas illius, & in plenitudine sanctorum detentio mea. Quasi cedrus exaltata sum in Libano: & quasi cypressus in monte Sion. Quasi palma exaltata sum in Cades, & quasi plantatio rosæ in Hiericho. Quasi

oliua speciosa in campis, & quasi platanus exaltata sum iuxta aquam in plateis. Sicut cinamomum & balsamum aromatizans odorem dedi: quasi myrrha electa, dedi suauitatem odoris.

EVANGELIVM LVC. X.

IN illo tempore, Intrauit IESVS in quoddam castellum, & mulier quædam Martha nomine, excepit illum in domum suam: & huic erat soror nomine Maria, quæ etiam sedens secus pedes Domini, audiebat verbum illius. Martha autem satagebat circa frequēs ministerium, quæ stetit, & ait: Domine, non est tibi curę quòd soror mea reliquit me solam ministrare? Dic ergo illi vt me adiuuet. Et respondens, dixit illi Dominus: MARTHA MARTHA solicita es, & turbaris erga plurima. Porrò vnum est necessarium: MARIA OPTIMAM partem elegit, quæ non auferetur ab ea.

Oratio Ecclesiæ.

Famulorum tuorum, quæsumus Domine, delictis ignosce: vt qui tibi placere de actibus nostris non valemus, genitricis filii tui Domini nostri intercessione saluemur, Per eundem Dominum nostrum Iesum.

Canticum.

Hodie Maria virgo cælos ascendit, gaudete: quia cum Christo regnat in æternum Aliud.

Beata es virgo Maria Dei genitrix, quæ credidisti

Do-

Domino: perfecta sunt in te, quæ dicta sunt tibi: ecce exaltata es super choros Angelorum. Intercede pro nobis ad Dominum Deum nostrum.

Hymnus ad Mariam Deiparam.

O gloriosa domina,
Excelsa super sydera,
Qui te creauit prouidè,
Lactasti sacro vbere.
Quod Eua tristis abstulit.
Tu reddis almo germine:
Intrent vt astra flebiles,
Cæli fenestra facta es.
Tu regis alti ianua,
Et porta lucis fulgida:
Vitam datā per virginē,
Gentes redēptæ plaudite.
Maria mater gratiæ,
Mater misericordiæ,
Tu nos ab hoste protege,
Et hora mortis suscipe.
Gloria tibi Domine,
Qui natus es de virgine,
Cu patre & sācto spiritu,
In sēpiterna secula, Amē.

DIE FESTO S. BARTHOLOMAEI APOSTOLI.

SVMMARIVM. *Docet Epistola de præcellenti dignitate Apostolorum, quos inter ministros Ecclesiæ verbiq; sui præcones primos & præcipuos dederit Deus, magnisq; donis & miraculis exornauerit. In Euangelio cernimus primam Apostolorum institutionem, quos Christus facta prius oratione larga, vocauit, elegit, nominauit, assumpsit, ac variis deinde tùm legibus, tùm donis instruxit. In his Apostolus Bartholomæus non postremum tenuit locum, non minus vita & morte*

quàm genere nobilis, Armenorum Apostolus, qui Euãgelium non solùm vita & doctrina, sed & ipso sanguine, ac detracta cute pulcherrimè cohonestauit.

EPISTOLA I. CORINTH. XII. R.

FRatres, Vos estis corpus Christi, & membra de membro. Et quosdam quidem posuit Deus in Ecclesia: PRIMÒ Apostolos, secundò Prophetas, tertiò doctores, deinde virtutes, exinde gratias curationum, opitulationes, gubernationes, genera linguarum, interpretatio sermonum. NVNQVID omnes Apostoli? nunquid omnes Prophetę? nunquid omnes doctores? nunquid omnes virtutes? nunquid omnes gratiam habent curationum? nunquid omnes linguis loquuntur? nunquid omnes interpretantur? Aemulamini autem charismata meliora.

EVANGELIVM LVC. VI. R.

IN illo tempore, Exiit IESVS in montem orare: & erat pernoctans in oratione Dei. Et cùm dies factus esset, vocauit discipulos suos: & elegit duodecim ex ipsis, quos & Apostolos nominauit. Simonem quem cognominauit Petrũ, & Andream fratrem eius: Iacobum & Ioannẽ, Philippum & Bartholomæum, Matthæum & Thomam, Iacobum Alphæi & Simonem qui vocatur Zelotes, & Iudam Iscarioten, qui fuit proditor. Et descendens cum illis, stetit in loco cam-

campeſtri, & turba diſcipulorum eius, & multitudo copioſa plebis ab omni Iudæa & Hieruſalem: & maritima, & Tyri & Sidonis, qui venerant vt audirent eum, & ſanarentur à languoribus ſuis. Et qui vexabantur à ſpiritibus immundis, curabantur. Et omnis turba quærebat eum tangere: quia virtus de illo exibat, & ſanabat omnes.

OBSERVATIO.

Non eſt monſtro ſimile myſticum Chriſti corpus Eccleſia, cuius membra eundem actum habeant omnia, vt hac Epiſtola, & ea quæ in feſto S. Simonis & Iudæ legitur notabis ordinata eſt vt caſtrorum acies. At horrendus illæ ſatanæ partus hæreſis confuſa habet omnia: vide Tertull. de præſcrip. adu. hæreſ. circa finem. Pro Euangelio vide obſeruata in Euang. feſti. S. Matthiæ.

ALIA EPISTOLA EPHES. II.

FRatres, Iam non eſtis hoſpites, & aduenæ, &c. *Reliqua vide in feſto S. Thomæ poſita.*

EVANGELIVM IOAN. XV.


Iuxta vſum aliarum Eccleſiarum.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis: HOC EST præceptum meum vt diligatis inuicem ſicut dilexi vos. Maiorem hac dilectionem nemo habet, quàm vt animam ſuam ponat quis pro amicis ſuis. VOS AMICI mei eſtis, ſi

feceritis

feceritis quæ ego præcipio vobis. Iam non dicam vos ſeruos: quia ſeruus neſcit quid faciat Dominus eius. Vos autem dixi amicos:quia omnia quæcunque audiui à patre meo,nota feci vobis. Non vos me elegiſtis,ſed ego elegi vos: & poſui vos,vt eatis,& fructum afferatis, & fructus veſter maneat:vt quodcunque petieritis Patrem in nomine meo,det vobis. HAEC mando vobis,vt diligatis inuicem.

DE S. BARTHOLOMÆO APOSTOLO.



ARTHOLOMAEVS Apoſtolus Galilæus,cum in Indiam citeriorem,quæ in orbis terrarum ſortitione,ad prædicandum Ieſu Chriſti Euangelium obuenerat, progreſſus eſſet;aduentum Domini Ieſu, iuxtà ſancti Matthæi Euangelium, illis gentibus prædicauit. Sed cum in ea prouincia plurimos ad Ieſum Chriſtum conuertiſſet,multos labores,calamitateſque perpeſſus, venit in maiorem Armeniam.Ibi Polemonem Regem, & cõiugem eius, ac prætereà duodecim ciuitates, ad Chriſtianã fidem perduxit. Quæ res, in eum magnam inuidiam concitauit, illius gentis ſacerdotum: nam

vſque adeò Polemonis Regis fratrem, in Apoſtolum incenderunt, vt is, viuo Bartholomæo, pellem crudeliter detrahi iuſſerit, ac caput abſcindi: quo in martyrio animam Deo reddidit. Eius corpus Albani, quæ eſt vrbs maioris Armeniæ, vbi is paſſus fuerat, ſepultum eſt: quod poſteà ad Liparam inſulam delatum. inde Beneuentum, translatum eſt: Poſtremò Romam, ab Othone ſecundo Imperatore, Gregorio quinto pontifice Maximo, portatum, in Tiberis inſula, in Eccleſia eius nomine Deo dicata, collocatum fuit. Agitur autem Romæ dies feſtus, octauo Calendas Septembris, & per octo conſequentes dies, illa baſilica, magna populi frequentia celebratur. *OBSERVATIO.*

En tibi reliquiarum venerationem, dies feſtos, & Eccleſias ſanctorum nomine dicatas. Oratio Eccl. *Omnipotens ſempiterne Deus, qui huius diei venerandam, ſanctamq; lætitiam in beati Apoſtoli tui Bartholomæi feſtiuitate tribuiſti, da Eccleſiæ tuæ quæſumus, & amare quod credidit, & prædicare quod docuit, Per dominum noſtrum Ieſum Chriſtum &c.*

DIE FESTO S. AVGVSTINI.

Epiſtola, & Euangelium, vt in feſto S. Ambroſii.

AVguſtinus, Tagaſtæ in Aphrica, honeſtis parentibus natus, ac puer docilitate ingenij

nij æquales longè superans, breui omnibus doctrina antecelluit. Adolescens, alienus à Christiana religione, Mediolanum se contulit: vbi cum frequens Ambrosij Mediolanensis Episcopi esset auditor; eius opera incensus, studio Christianæ fidei, circiter trigesimum annum agens, ab ipso baptizatur. Reuersus in Aphricam cum religione, vitæ sanctimoniam coniungens, à Valerio notæ sanctitatis Episcopo Hipponensis presbyter factus est. Quo tempore, familiam instituit religiosorum; quibus cum victu communi, eodemque cultu vtens, eos ad Apostolicæ vitæ, doctrinæque disciplinam diligentissimè erudiebat: sed cum vigeret Manichæorum hæresis, in qua etiam ipse aliquamdiu fuerat, vehementius in illam inuehi cœpit. Fortunatumque Heresiarcham confutauit. Hac Augustini pietate commotus Valerius, eum adiutorem adhibuit Episcopalis officij. Nihil illo fuit humilius, nihil continentius. Lectus ac vestitus moderatus, vulgaris mensa, quam semper sacra, vel lectione, vel disputatione condiebat. Tanta benignitate fuit in pauperes, vt cum non esset alia facultas, sacra vasa frangeret, ad eorum inopiam sustentandam. Feminarum, & in eis sororis: & fratris filiæ contubernium, familiaritatemque vitauit: quippe qui diceret, & si propinquæ mu-

fieres suspectæ non essent, tamen quæ ad eas ven titarent, posse suspicionem efficere. Nullum finem fecit: prædicandi Dei verbum, nisi graui morbo oppressus. Hereticos insectatus & corā, & scriptis, ac nullo loco passus consistere: Aphricam à Manichæorum, Donatistarum, Pelagianorum, multorumq; præterea hæreseos errore liberauit. Tam multa piè, subtiliter, & copiose scripsit, vt Christianam doctrinam maximè illustrarit. Quē imprimis secuti sunt, qui posteà Theologicam disciplinam, via & ratione tradiderunt. Vandalis Aphricam bello vastantibus, & Hipponem tertium iam mensem obsidentibus, in febrim incidit. Itaque cum discessum è vita sibi instare intelligeret, Psalmos Dauid, qui ad pœnitentiam pertinent, in conspectu positos, profusis lachrymis legebat, Solebat autem dicere. Neminem & si nullius sceleris sibi conscius esset, committere debere, vt sine pœnitentia migraret è vita. Ergo sensibus integris in oratione defixus, astantibus fratribus, quos ad charitatem, pietatem, virtutesque omnes erat adhortatus, migrauit in cœlum. Vixit annos septuaginta sex, in Episcopatu ad quadraginta. Cuius corpus primum in Sardiniam delatum, deinde à Leoprando, Longobardorū rege magno pretio redemptum, Ticinum translatum

est

eſt,ibique honorificè conditum.

OBSERVATIO.

Religioſorum familiam Auguſtinus inſtituit.

Oratio Eccleſiæ.

Adeſto ſupplicationibus noſtris omnipotens Deus: & quibus fiduciam ſperandæ pietatis indulges, intercedente beato Auguſtino confeſſore tuo: atque pontifice, conſuetæ miſericordiæ tribue benignus effectum. Per dominum noſtrum &c.

Canticum.

O doctor optime, Eccleſiæ ſanctæ lumen beate Auguſtine diuinæ legis amator, deprecare pro nobis filiū Dei.

DIE FESTO NATIVITATIS B. MARIAE VIRGINIS.

Epiſtolarem & Euangelicam Lectionem ſuprà inuenies in feſto Conceptionis. ita & cætera.

DIE FESTO EXALTATIONIS S. CRVCIS.

Epiſtola & Euangelium eodem ſe modo habent, vt in feſto Inuentionis S. Crucis annotatum eſt.



OSDROAS Perſarum rex, extremis Phocæ imperij temporibus, Ægypto, & Africa occupata, ac Hieroſolyma capta, multiſque ibi cæſis Chriſtianorum millibus,

Christi Domini crucem,quam Helena in monte Caluariæ collocarat,in Persidem abstulit.Itaque Heraclius,qui Phocæ successerat,multis belli incommodis,& calamitatibus affectus, pacem petebat, quam, à Cosdroa victorijs insolente, ne iniquis quidem conditionibus, impetrare poterat.Quare in summo discrimine,se assiduis ieiunijs,& orationibus exercens, opem à Deo,vehementer implorabat: Cuius monitu, exercitu comparato,signa cum hoste contulit,ac tres duces Cosdroæ, cum tribus exercitibus superauit. Quibus cladibus fractus Cosdroas, in fuga, qua traijcere Tigrim parabat, Medarsem filium, socium regni designat. Sed eam contumeliam, cũ Sinochius Cosdroæ maior natu filius ferret atrociter, patri simul, & fratri, necem machinatur: quam paulò post vtrique ex fuga retracto, attulit,regnumque,ab Heraclio impetrauit, quibusdam acceptis conditionibus, quarum ea prima fuit, vt crucem Christi Domini restitueret Ergo crux, quatuordecim annis postquam venerat in potestatem Persarum,recepta est: Quam, rediẽs Hierosolymam Heraclius, solenni celebritate, suis humeris, retulit in eum montem, quo eam saluator tulerat. Quod factum, illustri miraculo commendatum est. Nam Heraclius, vt erat auro, & gemmis ornatus, insistere coactus est in

porta, quæ ad Caluariæ montem ducebat. quò enim magis progredi conabatur, eò magis retineri videbatur: cumque ea re, & ipse Heraclius, & reliqui omnes, obstupescerent, Zacharias Hierosolymorum antistes, Vide inquit Imperator, ne isto triumphali ornatu, in cruce ferenda, parum IESV CHRISTI paupertatem, & humilitatem imitere. Tum Heraclius, abiecto amplissimo vestitu, detractisq; calceis, ac plebeio amictu indutus, reliquum viæ facilè confecit, & in eodem Caluariæ loco crucem statuit, vnde fuerat à Persis asportata. Itaque decretum est, vt quotannis, exaltationis crucis memoria celebraretur, quod ibidem fuerit reposita ab Heraclio, vbi saluatori primum fuerat constituta.

OBSERVATIO.

Quam longè absint à vera pietate noui huius seculi Iconoclastæ superius monuimus, & hac historia confirmatur quam pius Catholicus diligenter obseruet. Vide Metaphr. ex Andrea Cretensi Episc.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui nos hodierna die Exaltationis sanctæ Crucis annua solemnitate lætificas præsta, quæsumus: vt, cuius mysterium in terra cognouimus, eius redemptionis præmia in cœlo mereamur. Per dominum. &c.

Canticum.

Super omnia ligna cedrorum tu sola excelsior, in

qua vita mundi pependit, in qua Christus triumphauit, & mors mortem superauit.

FESTO DIE S. MATTHÆI APOSTOLI ET EVANGELISTAE.

SVMMARIVM. *Fuit Matthæus ex quatuor animalibus ab Ezechiele prædictis, vt sicut sequens docet lectio, quatuor noui testamenti Euangelistæ diuinitus electi & ornati designarentur. Paulina Epistola, quam alii huic festo adhibent, ad Matthæum quoque pertinet, cùm sit ex Apostolis & Euangelistis, quos peculiariter instituit Christus ad Christianam Ecclesiam condendam, & in syncera doctrina concordiaq; confirmandam. Euangelium nobis explicat Matthæi admirabilem vocationem & conuersionem, simulq; raram Christi bonitatem, qui publicanũ mundi negotiis & curis affixum adit, vocat, admittit, recipit, defendit, confirmat, sibiq; dilectum Apostolum, & primum Euangelistam, nouiq; testamenti martyrem facit. Speculum illum dicas verè pœnitentiæ, & cuiuslibet iustificandi peccatoris exemplar; cum illo certè Christus medicus ægrotos omnes vocat ad pœnitentiæ medicinam, & venientes mirificè consolatur.*

LECTIO EZECH. I. R.

SImilitudo vultus quatuor animalium, &c. *Reliqua ex festo S. Marci repetantur.*

ALIA EPISTOLA EPHES. IIII.

FRatres, Vnicuique noſtrum data eſt gratia ſecundum menſuram donationis Chriſti. propter quod dicit: Aſcendens in altum, captiuam duxit captiuitatẽ: dedit dona hominibus. Quòd autem aſcendit, quid eſt, niſi quia & deſcendit primum in inferiores partes terræ? Qui deſcendit, ipſe eſt & qui aſcẽdit ſuprà oẽs cælos, vt impleret omnia. Et ipſe dedit quoſdã quidem Apoſtolos, quoſdam autem Prophetas, alios verò Euangeliſtas, ALIOS autem Paſtores & Doctores ad conſummationem ſanctorum in opus miniſterij, in ædificationẽ corporis Chriſti: donec occurramus omnes in vnitatem fidei & agnitionis filij Dei, in virum perfectum, in menſuram ætatis plenitudinis Chriſti.

OBSERVATIO.

Præter ea quæ in Epiſtola feſt. S. Bartholomei obſeruata fuerunt nota Chriſtum in inferiores terræ partes deſcendiſſe, captiuam vt inde captiuitatem educeret ſanctorum Patrum, non vt horrendæ blaſphemat Caluinus in cruce damnatorum ſenſiſſe pænas. Habes hic Limbum ſinum Abrahæ à Chriſto, & inferiores terræ partes appellatum à Paulo.

EVANGELIVM MATTH. IX.

IN illo tempore, Cùm tranſiret IESVS, vidit hominem ſedentem in telonio, Matthęũ

nomine.

nomine. Et ait illi: SEQVERE ME. Et ſurgens, ſecutus eſt eum. Et factum eſt: diſcumbente eo in domo, ecce multi publicani & peccatores venientes, diſcumbebant cum IESV & diſcipulis eius. Et videntes Phariſæi, dicebant diſcipulis eius: Quare cum publicanis & peccatoribus manducat Magiſter veſter? At IESVS audiens, ait: Non eſt opus valentibus medico, ſed malè habentibus. Euntes autem, diſcite quid eſt: Miſericordiam volo, & non ſacrificium. NON ENIM veni vocare iuſtos, ſed peccatores.

DE S. MATTHÆO.



MATTHAEVS, qui & Leui, Apoſtolus, & Euangeliſta, Capharnai, cum ad telonium ſederet, à Chriſto vocatus, ſtatim ſecutus eſt ipſum; quem etiam, cum reliquis diſcipulis, hoſpitio accepit. Poſt Chriſti reſurrectionem, antequam, in prouinciam proficiſceretur, quæ, ei ad prædicandum obtigerat, primus in Iudæa, propter eos, qui ex circuncіſione crediderant, Euangelium Ieſu Chriſti, Hebraicè ſcripſit mox in Æthiopiam profectus, Euangelium prædicauit; ac prædicationem, multis miraculis confirmauit. Illo igitur imprimis miraculo, quo Re-

gis

gis filiam, à mortuis excitauit, Regem patrem, & vxorem eius, cum vniuersa prouincia, ad Christi fidem conuertit. Rege mortuo, Hirtacus, eius successor, cum Ephigeniam, regiam filiam, vellet sibi dari, in matrimonium, Matthæum, cuius opera, illa virginitatem Deo vouerat, & in sancto proposito perseuerabat, ad altare mysterium celebrantem, iussit occidi: Qui, vndecimo Calen. Octob. munus Apostolicum, martyrij gloria, cumulauit. Cuius corpus, Gregorio septimo, summo pontifice, Salernum translatum, ibi, magno hominum concursu, ac pietate, colitur.

OBSERVATIO.

Occasionem conscripti Euangelii nota, Votum Virginitatis, Mysterii denique per Matthæum ad altare celebrationem. His hæreticum reuinces pius.

Oratio Ecclesiæ.

Beati Apostoli & Euangelistæ Matthæi, Domine precibus adiuuemur: vt quod possibilitas nostra non obtinet, eius nobis intercessione donetur, Per domin.

DIE SACRO S. MICHAELIS ARCHANGELI ET OMNIVM Angelorum Dei.

SVMMARIVM. *Lectio sequens, quæ principium est Apocalypsis, valet ad parandam attentionem &*

& authoritatem illi operi, ac salutationem insuper Apostolicam continet. Quadrat & præsenti festo, dum septem meminit spirituum, siue Angelorum, qui sunt in cōspectu throni Dei. Euangelium generatim de Angelis loquitur, quò videant faciem patris in cælis, & puerorum quoque custodes ac tutores sint: sicut & Paulus ait, Omnes sunt administratorii spiritus, in ministerium missi propter eos, qui hæreditatem capiunt salutis. Sunt & alii præclari in Euangelio loci velut de ambitione vitanda, & sectanda humilitate, de vitando scandalo, de paruulis non contemnendis, sed suscipiēdis, fouendis, honorandis. Iam de Michaele aliisq; Angelis electis, quibus hic dies est sacer, scripturæ sacræ testantur, pios ac benignos illos esse erga genus humanū, eorumq; ordines & gradus distinguit varios: in excellentibus autem S. Michaelem collocat: vt hinc princeps dicatur & sit populi Dei, tùm in prælio contra diabolum, tùm in orationis suffragio ad fideles iuuandos. Vide scripturæ testimonia, si requiris, apud Rupertum in 8. cap. Apocalypsis. Cur verò electos, innocentes & cælestes illos spiritus non magna religione colamus, veneremur, amemus, vt qui semper adstant Deo, semper vident faciem Patris, semper glorificant Trinitatem? qui præterea nostra bona opera, nostrásque preces offerunt Altissimo, & simul assiduè pro nobis orāt? qui dæmoni sese pro nobis opponunt, nosq; contra hostium insidias muniunt ac defendunt: qui bona nobis

vtilia & salutaria libenter procurant & suggerunt, qui nos in hac vita multis modis iuuant, consolantur, regunt ac gubernant, vt è multis scripturæ testimoniis & exemplis intelligimus.

EPISTOLARIS LECTIO APOCALYP. I.

SIgnificauit Deus quæ oportet fieri citò, loquens per angelum suum seruo suo Ioanni, qui testimonium perhibuit verbo Dei, & testimonium IESV Christi quæcunque vidit. Beatus qui legit & qui audit verba Prophetiæ huius: & seruat ea quæ in ea scripta sunt: Tempus enim propè est. Ioãnes septem Ecclesiis quę sunt in Asia: Gratia vobis & pax ab eo qui est, qui erat, & qui venturus est; & à septem spiritibus qui in conspectu throni eius sunt, & à IESV Christo, qui est testis fidelis, primogenitus mortuorum, & princeps regum terrę: qui DILEXIT NOS, ET LAVIT NOS à peccatis nostris in sanguine suo.

EVANGELIVM MATTH. XVIII.

IN illa hora accesserunt discipuli ad IESVM, dicentes: Quis putas maior est in regno cælorum? Et aduocans IESVS paruulum, statuit eum in medio eorum, & dixit: Amen dico vobis, NISI CONVERSI FVERITIS, & efficiamini sicut paruuli, non intrabitis in regno

gno cælorum. Quicunque ergo humiliauerit se sicut paruulus iste, hic maior est in regno cælorum. Et qui susceperit vnum paruulum talem in nomine meo; me suscipit: qui autem scandalizauerit vnum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris. Væ mundo à scandalis. Necesse est enim vt veniant scandala: veruntamen væ homini illi, per quem scandalum venit. Si autem manus tua, vel pes tuus scandalizat te: abscinde eum, & proiice abs te: bonum tibi est ad vitam ingredi debilem vel claudum: quàm duas manus vel duos pedes habentem mitti in ignem æternum. ET SI OCVLVS TVVS scandalizat te, erue eum, & proiice abs te: bonum tibi est vnum oculum habentem in vitam intrare, quàm duos oculos habentem, mitti in gehennam ignis. Videte ne contemnatis vnum ex his pusillis: dico enim vobis, quia ANGELI EORVM in cælis semper vident faciem Patris mei qui in cælis est.

OBSERVATIO.

Qui fidem nostram vt Basilius inquit ad nudum nomen reuocant, nec explicatione egere sacras literas profitentur, hic habent sanè vbi plusquam satis, erutis oculis, abscissis manibus ac pedibus amentis animi pœnas luant impuri Nouatores.

Oratio Ecclesiæ.

DEVS, qui miro ordine angelorum ministeria hominumq; dispensas, concede propitius, vt quibus tibi ministrantibus in cælo semper aßistitur, ab his in terra vita nostra muniatur, Per Dominum nostrum.

Can[illegible]ica de S. Michaele.

DVM sacrum mysterium cerneret Ioannes, Archangelus Michael tuba cecinit: ignosce Domine Deus noster, qui aperis librum, & soluis.

Aliud.

Princeps gloriosißime Michael Archangele, esto memor nostri: & hic, & vbique semper precare pro nobis filium Dei, Halleluia, Halleluia.

Hymnus de S. Angelis.

CHRISTE sanctorum decus angelorum,
Rector humani generis, & author,
Nobis æternum tribue benignus
Scandere cælum.
Angelum pacis Michael ad istam.
Cælitus mitte rogitamus aulam,
Nobis vt crebro veniente crescant
Prospera cuncta.
Angelus fortis Gabriel vt hostem
Pellat antiquum, volitet ab alto,
Sæpius templum veniens ad istud,
Nostri misertus.
Angelum nobis medicum salutis

Mitte

Mitte de cœlis Raphael, vt omnes
Sanet ægrotos, pariterq; nostros
Dirigat actus.
Hinc Dei nostri genitrix Maria,
Totus & nobis chorus angelorum,
Semper aßistant simul & beata
Concio tota.
Præstet hoc nobis Deitas beata
Patris, ac nati pariterq; sancti
Spiritus, cuius reboat in omni
Gloria mundo. Amen.

DIE FESTO S. HIERONYMI.

Epistolam, Euangelium, & Canticum require in festo S. Ambrosii.

DE S. HIERONYMO PRESB. CONF. ET ECCLE. DOCTORE.



IERONYMVS, Eusebij filius Stridone in Dalmatia, Constantio Imperatore natus, Romæ, puer est baptizatus, & in liberalibus disciplinis, à Donato, & alijs viris doctissimis, eruditus adolescens, discendi studio Galliam peragrauit: vbi pios aliquot, & in diuinis literis, eruditos viros coluit, multosq; sacros

ſacros libros: ſua manu deſcripſit, mox ſe in Græciam conferens, philoſophia, & eloquentia inſtructus, ſummorum Theologorum conſuetudine floruit; imprimis vero, Gregorio Nazianzeno Conſtantinopoli operam dedit: quo doctore, ſe ſacras literas didiciſſe profitetur. Tum religionis cauſa, viſit Chriſti Domini incunabula, totámque luſtrauit Palæſthinam; quam peregrinationem, adhibitis hebræorum eruditiſſimis, ad ſacræ ſcripturæ intelligentiam, ſibi multum profuiſſe teſtatur. Deinde ſeceſſit, in vaſtam Syriæ ſolitudinem: vbi quadriennium, in lectione diuinorum librorum, cœleſtiſque beatitudinis contemplatione conſumpſit, aſſidua ſe abſtinentia, vi lachrymarum, & corporis affictatione diſcrucians. Presbyter, à Paulino Epiſcopo Antiochię factus, Romam de controuerſijs quorundam Epiſcoporum, cum Paulino, & Epiphanio, ad Damaſum pontificem profectus, eius Eccleſiaſticis epiſtolis adiutor fuit: Verum, cum priſtinæ ſolitudinis deſiderio teneretur, in Palæſthinam reuerſus, Bethlehem, ad Chriſti Domini præſepe, in monaſterio, quod à Paula Romana, extructū erat, cęleſtem quandam vitæ rationem inſtituit: & quanquam variè morbis, doloribuſque tentaretur: tamen corporis incommoda, pijs laboribus, & perpetua lectione, ac ſcriptione ſuperabat.

bat. Tanquam ad oraculum, ex omnibus orbis terræ partibus, ad ipsum, diuinæ scripturæ quæstiones referebantur. Illum Damasus pontifex; illum Sanctus August. de locis scripturæ difficillimis, sæpe consuluit, propter eius singularem doctrinam, & linguæ non solum Latinæ, & Græcæ, sed Hebraicæ etiam, & Chaldaicæ intelligentiam, & quod omnes penè scriptores, eiusdem Augustini testimonio legerat. Hæreticos, acerrimis scriptis exagitauit. Piorum, & Catholicorũ patrocinium semper suscepit. Vetus testamentum, Damasi iussu, ex Hebræo; Nouum, ex Græco conuertit, magna etiam ex parte explicauit. Multa præterea latinè reddidit scripta doctorũ virorum, & ipse, alijs proprij ingenij monumentis, Christianam disciplinam illustrauit. Qui ad summam senectutem perueniens, sanctitate & miraculis illustris, Honorio Imp migrauit in cœlum. Cuius corpus, ad Bethleem sepultum est, postea Romam, in Basilicam S. Mariæ, ad præsepe translatum.

OBSERVATIO.

Peregrinationem ad præsepe Domini visendum D. Hieronymus suscipit. Monasterium ibidem Paula Romana extruit, in quo presbyter factus cælestem vitam ducit. Oratio Ecclesiæ

Deus, qui Ecclesia tua in exponendis sacris scripturis

pturis, beatum Hieronymum confessorem tuum, doctorem maximum, prouidere dignatus es: præsta, quæsumus, vt eius suffragantibus meritis, quod ore simul, & opere docuit, te adiuuante exercere valeamus. Per.

DIE FESTO S. FRANCISCI.

SVMMARIVM. *Epistola in quo nobis gloriandum sit admonet: non enim diuitiarum iactantia, aut caducum quidpiam aliquid prodest, imo neque ea de qua tantoperè gloriati sunt Iudæi temporaneæ circuncisio, aut sapientia morumq; probitas de qua Ethnici, sed ea qua de Paulus loquitur noua & generatione, & actione creatura, quæ nihil vetustum, hoc est nihil eius generationis redolet, qua sumus filii iræ, procliues ad malum, seruiq; peccati protoplasti vitio, quem crucifigere nos oportet, cum vitiis & concupiscentiis suis vt hac regula pacem, & misericordiam consequamur, Christum dominum referentes. Hanc sanè vanitati, improbitati, deliciis dediti, quia non sequuntur, æterna flammarum incendia glomerant. Euangelii summarium suo locò require.*

EPISTOLA GAL. I.

FRatres: Mihi autem absit gloriari, nisi in cruce domini nostri Iesu Christi: per quem mihi mundus crucifixus est, & ego mundo. In Christo enim Iesu neque circuncisio aliquid

valet, neque præputium: sed noua creatura. Et qui hanc regulam secuti fuerint: pax super illos, & misericordia, & super Israel Dei. De cetero nemo mihi molestus sit. Ego enim stigmata domini Iesu in corpore meo porto. Gratia domini nostri Iesu Christi, cum spiritu vestro fratres. Amen.

EVANGELIVM MATTH. XI. R.

IN illo tempore, Respondens Iesus, dixit: Confiteor tibi pater, &c. *Require in festo S. Matthiæ.*

DE S. FRANCISCO CONFES.

Ex Bonauentura.



RANCISCVS, Assisij in Vmbria natus, patris exemplum secutus, à prima ætate mercaturam fecit: qui, quodam die, pauperem, pro Christi amore, flagitantem pecuniam, cum præter consuetudinem repulisset: repentè, eo facto commotus, largè, et misericordiam impertiuit, & ex eo die, Deo promisit, se, nemini vnquam poscenti eleemosynam, negaturum. Cum verò, post in grauem morbum incidisset, ex eo aliquando confirmatus, cœpit ardentius colere officia charitatis. Qua in exercitatio

ne, tantum profecit, vt Euangelicæ perfectionis cupidus, quicquid haberet, pauperibus largiretur. Quod ferens iniquius pater, eum ad Assisinatem Episcopum duxit, vt coram illo, bonis cederet paternis: qui reiectis etiam vestibus, patri cõcessit omnia, illud subiungens, sibi in posterum, maiorem facultatem fore dicendi, Pater noster qui ęs in cælis. Cum autem illud ex Euangelio, audiuisset: nolite possidere aurum, neq; argentum, neque pecuniam, in zonis vestris, non peram in via, neque duas tunicas, neque calceamenta, sibi eam regulam seruandam proposuit: Itaq; detractis calceis, & vna contentus tunica, cum 12. socios adhibuisset, Ordinem Minorum instituit. Quare Romam venit, anno salutis 1208. vt sui ordinis Regula ab Apostolica sede confirmaretur. Quem cum accedentem ad se summus pontifex, Innocentius tertius reiecisset, quod in somnis posteà, sibi ille, quem repulerat, collabentem Lateranensem Basilicam, suis humeris sustinere visus esset, conquisitum accersiri iussit, benigneque accipiens, omnem eius institutorum rationem confirmauit. Franciscus igitur, dimissis in omnes orbis terræ partes fratribus, ad prædicandum Christi Euangelium, ipse cupiens sibi, aliquam dari martyrij occasionem, nauigauit in Syriam: vbi à Rege Soldano, libera-

lissime tractatus, cum nihil proficeret, redijt in Italiam. Multis igitur extructis suæ familiæ domicilijs, se in solitudinem montis Aluerni contulit: vbi quadraginta diebus, propter honorem S. Michaelis Archangeli, in ieiunio, & oratione consumptis, festo die exaltationis S. Crucis ei Seraphim crucifixi effigiem inter alas continens, apparuit, qui eius, & manibus, & pedibus, vestigia clauorum impressit quæ S. Bonauentura, cum Alexandri quarti, summi pontificis, prædicationi interesset, narrasse pontificem, à se visa esse, literis commendauit. His insignibus, summi in eum Christi amoris, maximam habebat omnium admirationem. Ac biennio post, grauiter ægrotans, deferri voluit in Ecclesiam sanctæ Mariæ Angelorum: vbi gratiæ Spiritũ, vt à Deo acceperat, ibi spiritum vitæ redderet: Eo in loco, fratres ad paupertatem, ac patientiam, & sanctæ Romanæ Ecclesiæ fidem seruandam cohortatus, Psalmum illum pronuncians; Voce mea, ad Dominum clamaui, in eo versiculo; Me expectant iusti donec retribuas mihi, efflauit animam, quarto nonas Octobris. Quem miraculis clarum, Gregorius Nonus, pontifex Maximus, in sanctorum numerum scripsit.

OBSERVATIO.

Huc refer obseruationem in vita B. Dominici. & nota.

nota Cherubin Crucifixi imaginem referentem, & sacra stigmata B. Francisci corpori insigentem.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui Ecclesiam tuam beati Francisci meritis fœtu noua prolis amplificas: tribue nobis, ex eius imitatione, terrena despicere, & cælestium donorum semper participatione gaudere. Per dominum. Canticum.

Franciscus pauper & humilis, cælum diues ingreditur, hymnis cælestibus honoratur, Alleluia.

DIE FESTO S. LVCÆ.

SVMMARIVM. *Epistola D. Lucam a conscripto Euangelio commendat, cuius quanta sit excellentia, vel hoc vnum declarat, quod ecclesiarum iudicio atque decreto, dignus sit existimatus, qui Paulum in Euangelico ministerio comitaretur. vnum autem est quod notare, & ad nos transferre omnes debemus, nẽpe vt ita viuamus moresq; nostros componamus, vt non modo coram Deo qui scrutator est cordium & renũ probemur, sed & hominibus qui quæ foris sunt intuentur bona prouideamus. Euangelii summarium suo loco vide.* EPISTOLA II. COR. VIII.

FRatres: Gratias ago Deo: qui dedit eandem solicitudinem pro vobis in corde Titi: quoniam exportationem quidem suscepit: sed cum solicitior esset, sua voluntate profectus est ad vos. Misimus etiam cum illo fratrem nostrum,

cuius laus est in Euangelio per omnes ecclesias; Non solum autem: sed & ordinatus est ab ecclesijs comes peregrinationis nostræ, in hanc gratiam, quæ ministratur a nobis ad domini gloriam, & destinatam voluntatem nostram. Deuitantes hoc, nequis nos vituperet in hac plenitudine: quæ ministratur à nobis in domini gloriã: Prouidemus enim bona: nõ solum coram Deo, sed etiam coram hominibus. Misimus autem cũ illis & fratrem nostrum: quem probauimus in multis sæpe solicitum esse: nunc autem multò solicitiorem: confidentia multa in vos: siue pro Tito, qui est socius meus, & in vobis adiutor: siue fratres nostri, apostoli ecclesiarum, gloria Christi. Ostensionem ergo, quæ est charitatis vestræ, & nostræ gloria pro vobis, in illos ostendite in facie ecclesiarum.

EVANGELIVM LVCAE X.

IN illo tempore: Designauit Dominus &c. *vt in festo S. Marci.*

DE S. LVCA EVANG.

Ex lib. S. Hier. de Scrip. eccles. Tom. 1.



LVCAS, Medicus Antiochensis, vt eius scripta indicant, Græci sermonis non ignarus fuit, sectator Apostoli Pauli, & omnis peregrinationis eius comes. Scripsit

Euangelium, de quo idem Paulus, Misimus (inquit) cum illo, fratrem, cuius laus est in Euangelio, per omnes Ecclesias. Et ad Colossenses: Salutat vos Lucas, medicus charissimus. Et ad Timotheum. Lucas est mecum solus. Aliud quoque, edidit volumen egregium, quod titulo, Acta Apostolorum, prænotatur: cuius historia, vsque ad biennium, Romæ commorantis Pauli, peruenit (id est) vsque ad quartum Neronis annum. Ex quo intelligimus, in eadem vrbe librum esse compositum. Igitur periodos Pauli, & Theclæ, & totam baptizati Leonis fabulam, inter Apocryphas scripturas computamus. Quale enim est, vt indiuiduus comes Apostoli, inter cæteras eius res, hoc solum ignorauerit? Sed & Tertullianus, vicinus eorum temporum refert, presbyterum quendam in Asia, amatorem Apostoli Pauli, conuictum à Ioanne, quod auctor esset libri, & confessum, se hoc Pauli amore fecisse, & ob id, loco excidisse. Quidam suspicantur, quotiescunque in epistolis suis Paulus dicit, iuxtà Euangelium meum, de Lucæ significare volumine. Lucam autem, non solum ab Apostolo Paulo didicisse Euangelium, qui cum Domino in carne nō fuerat, sed à cæteris Apostolis, quod ipse quoque in principio sui voluminis declarat, dicens. Sicut tradiderunt nobis, qui à principio,

pio,

pio, ipsi viderunt, & ministri fuerunt sermonis. Igitur Euangelium, sicut audierat scripsit: Acta verò Apostolorum, sicut viderat, ipse composuit Vixit octoginta, & quatuor annos, vxoré non habens, sepultus est Constantinopoli, ad quam vrbem vicesimo Constantini anno, ossa eius, cum reliquijs Andreæ Apostoli, translata sunt, de Achaia.

OBSERVATIO.

Euangelium ex traditione scriptum vides à Luca, De quo plura Euseb. lib. 3. c. 4. & 24. æcumen. post expositionem Apocal. Isid. de patr. no. test. Bed. in Martyrol.

Oratio Ecclesiæ.

Interueniat pro nobis, quæsumus domine, sanctus tuus Lucas Euangelista: qui crucis mortificationem iugiter in suo corpore pro tui nominis honore portauit. Per dominum nostrum Iesum &c.

DIE SANCTO S. SIMONIS ET IVDAE APOSTOLORVM.

SVMMARIVM. *Meritò veneramur hos Apostolos duos à Christo datos, & reliquis Dei ministris prælatos, quemadmodum Epistola probat: imò inter omnes pastores & doctores, quos ad ædificationem Ecclesiæ instituit Christus, primarium semper locum Apo*

ſtoli tenent, maioribus etiam diuinæ gratiæ dotibus inſigniti. In Euangelio charitas, virtus verè Apoſtolica, commendatur, & mundi erga Chriſtum eiusq; Apoſtolos ingratitudo & impietas depingitur. Felices, qui Charitatis legem integram cum Apoſtolis ſeruant, & de ingrato mundo bene merentur, etiamſi benefacientes malè audiant, crudeliterq; tractentur: Præclarè Auguſtinus: Bonus magiſter inquit, dilectionem ſæpe commendat, tanquam ſola præcipienda ſit, ſine qua non poſſunt prodeſſe cætera bona: & quæ non poteſt haberi ſine cæteris donis, quibus homo efficitur bonus. Hanc charitatem, qua imprimis Apoſtoli flagrarunt, alia etiam ſequens Pauli Epiſtola prædicat, & virtutem eius, quod contra omnia mundi mala homines reddat inuictos, eiuſdem Pauli exemplò declarat.

EPISTOLA AD EPHES. IIII. R.

FRatres, VNICVIQVE noſtrûm data eſt gratia &c. *Reliqua vide in feſto S. Matthæi.*

ALIA EPISTOLA ROM. VIII.

Iuxta vſum aliarum Eccleſiarum.

FRatres, Scimus quòd omnis creatura ingemiſcit, & parturit vſque adhuc. Non ſolùm autem illa, ſed & nos ipſi primitias ſpiritus habentes, & ipſi intra nos gemimus adoptionem filiorum Dei, expectantes redemptionem corporis noſtri. Spe enim ſalui facti ſumus. Spes autem quę videtur, non eſt ſpes: nam quod

videt quis: quid ſperat? Si autem quod non vidimus, ſperamus: per patientiam expectamus. Similiter autem & SPIRITVS ADIVVAT infirmitatem noſtram, nam quid oremus ſicut oportet, neſcimus: ſed ipſe Spiritus poſtulat pro nobis gemitibus inenarrabilibus. Qui autem ſcrutatur corda, ſcit quid deſideret Spiritus: quia ſecundùm DEVM poſtulat pro ſanctis. Scimus autem quoniam DILIGENTIBVS DEVM omnia cooperantur in bonum, iis qui ſecundùm propoſitum vocati ſunt ſancti. Nam quos præſciuit, & prædeſtinauit conformes fieri imaginis filij ſui, vt ſit ipſe primogenitus in multis fratribus. Quos autem prædeſtinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iuſtificauit: quos autem iuſtificauit, illos & magnificauit. Quid ergo dicemus ad hæc? SI DEVS PRO nobis, quis contra nos? Qui etiam proprio filio ſuo non pepercit, ſed pro nobis omnibus tradidit illum: quomodo non etiam cum illo omnia nobis donauit? Quis accuſabit aduerſus electos DEI? DEVS qui iuſtificat. Quis eſt qui condemnet? CHRISTVS IESVS qui mortuus eſt, imò qui & reſurrexit, qui & eſt ad dexteram Dei, qui etiam interpellat pro nobis. QVIS ergo NOS SEPARABIT à charitate Chriſti? Tribulatio an anguſtia? an fames? an

nuditas?

nuditas? an periculum? an persec utio? an gladius? sicut scriptum est: Quia propter te mortificamur tota die: æstimati sumus sicut oues occisionis: sed in his omnibus superamus propter eum qui dilexit nos. Certus sum enim, quia neque mors, neque vita, neque angeli, neque principatus, neque virtutes, neque instantia, neque futura, neque fortitudo, neque altitudo, neque profundum, neque creatura alia poterit nos separare à charitate DEI, quę est in CHRISTO IESV Domino nostro.

OBSERVATIO.

Si spe salui facti sumus, non igitur sola saluat fides, sed cum spe & charitate, habesq; funiculũ salutis humanæ qui difficile rumpitur triplicem. Habes & spiritum aduocati munere fungentem in nobis. & Christum interpellantem in cælis. De certitudine autem salutis nemo nisi qui alter Paulus fuerit glorietur: illud quamuis verissimum sit., nihil posse hominem separare à charitate Dei, nisi volentem rebus aduersis dare manum. Est enim planè inuictum liberum arbitrium.

EVANGELIVM IOAN. XV.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: HAEC MANDO VOBIS, vt diligatis inuicem. Si mundus vos odit: scitote quia me priorem vobis odio habuit. Si de mundo fuissetis:

mundus

mundus quod suum erat, diligeret: quia verò de mundo non estis, sed ego elegi vos de mundo: propterea odit vos mundus. Mementote sermonis mei, quem ego dixi vobis, NON EST SERVVS maior domino suo. Si me persecuti sunt, & vos persequentur: si sermonem meum seruauerunt, & vestrum seruabunt. Sed hæc omnia facient vobis propter nomen meum: quia nesciunt eum qui misit me. Si non venissem & locutus fuissem eis, peccatum non haberent; nunc autem excusationem non habent de peccato suo. Qui me odit: & Patrem meum odit. Si opera non fecissem in eis, quæ nemo alius fecit: peccata non haberent. Nunc autem & viderunt, & oderunt & me & Patrem meum. Sed vt adimpleatur sermo qui in lege eorum scriptus est, quia odio habuerunt me gratis.

DE S. APOST. SIMONE ET IVDA.

Ex Beda, in Martyrologio.



SIMON Chananæus, qui & Zelotes; & Thadæus, qui & Iudas Iacobi appellatur in Euangelio, vnus ex canonicis Epistolis scriptor: hic Mesopotamiam, ille Æg-

Ægyptum, Euangelica prædicatione peragrauit. Posteà in Persidem conuenientes, cum innumerabiles filios Iesu Christo peperissent, fidemque in vastissimis illis regionibus, & efferatis gentibus disseminassent; doctrina & miraculis, ac denique glorioso Martyrio, simul sanctissimum Iesu Christi nomen illustrarunt.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui nos per beatos Apostolos tuos Simonem & Iudam ad agnitionem tui nominis venire tribuisti, da nobis eorum gloriam sempiternam & proficiendo celebrare, & celebrando proficere, Per Domi.

Canticum de sanctis Apostolis.

Vos, qui reliquistis omnia, & sequuti estis me, centuplum accipietis, & vitam æternam poßidebitis.

Hymnus in festo Apostolorum.

EXVLTET cælum laudibus, &c. fol. 73.

SOLENNI FESTO SANCTORVM OMNIVM.

SVMMARIVM. Constat Ecclesiam esse duplicem, in cælis triumphantem, & in terris militantem. Vtrobique sunt sancti & beati: sed illic velut in patria cum Christo regnantes: hic verò vt in via & transitu peregrinantes. Itaque lectio sequens, vt alia pleraque in Apocalypsi, ad priorem statum vere fœli-

cem

cem spectat. Electi sunt, signati sunt, & vndequaque collecti: stant ante thronum, numquam non laudant & benedicunt Deo, amant & orant pro nobis, quia sunt æquales angelis Dei, fratres itidem, & eiusdem nobiscum corporis membra. Euangelium agit de sanctis alterius generis quomodo illi hic exerceri debeant, vt sanctis illis prioribus adiungantur, ex beatitudine viæ scilicet, ad beatitudinem patriæ rectà contendentes. Sic demum merces suo merito congruens obtinetur. Huc referri potest quod suprà monuimus, de sanctorum festiuitatibus, quas populus quidem Christianus religiosa solennitate concelebrat (vt Augustini verba repetamus) & ad excitandam imitationem, & vt meritis eorum consocietur, atque orationibus adiuuetur. Qui veram æternamq; beatitudinem expetunt, per Euangelicam scalam gradibus octo distinctam, ascendant necesse est, initio quidem facto à paupertate spiritus, velut omnis boni radice atque fundamento. Per hos gradus transiit quoque Christus, qui vt ducem ipsum sequamur, tam compendiosè docet, tam blandè hortatur, tamque sapienter propositis præmiis fideles inuitat. Tot millia sanctorum in omni sexu, ætate, conditione per hanc scalam progressi, & immensos labores emensi, in cælis triumphos agunt, semperq; cum Christo viuunt & regnat. Nos verò qui contra omnem sanctorum morem, laborem in præcepto fingimus, & omnia potius quàm Deum vel timemus, vel

amamus

amamus:nos, inquam, tadet ac piget ſequi praeuntes, vt breui labore ſanctoq; certamine tantum fœlicitatis redimamus,promiſſaq;corona participes efficiamur. At qui,ſi Gregorio credimus,ad magna pramia perueniri non poteſt,niſi per magnos labores. Non coronabitur, niſi qui legitimè certauerit.

EPISTOLARIS LECTIO APOCALYP. VII.

IN diebus illis,Eccè ego Ioannes vidi alterum Angelum,aſcendentem ab ortu ſolis, habentem ſignum Dei viui: & clamauit voce magna, quatuor angelis, quibus datum eſt nocere terræ & mari,dicens:Nolite nocere terræ & mari, neque arboribus:quoad vſque ſignemus ſeruos Dei noſtri in frontibus eorum. Et audiui numerum ſignatorum,Centum quadraginta quatuor millia ſignati ex omni tribu filiorum Iſraël. Ex tribu Iuda,duodecim millia ſignati. Ex tribu Ruben,duodecim millia ſignati.Ex tribu Gad,duodecim millia ſignati. Ex tribu Aſer, duodecim millia ſignati. Ex tribu Nephthalim, duodecim millia ſignati.Ex tribu Manaſſæ, duodecim millia ſignati Ex tribu Simeon, duodecim millia ſignati.Ex tribu Leui,duodecim millia ſignati.Ex tribu Iſachar,duodecim millia ſignati. Ex tribu Zabulon, duodecim millia ſignati. Ex tribu Ioſeph, duodecim millia ſignati. Ex tribu Benia-

min duodecim millia ſignati. Poſt hæc vidi turbam magnam, quam dinumerare nemo poterat, ex omnibus gentibus & tribubus, & populis & linguis, ſtantes ante thronum, & in conſpectu Agni, amicti ſtolis albis, & palmæ in manibus eorum & clamabant voce magna, dicentes: SALUS DEO NOSTRO, qui ſedet ſuper thronum, & Agno. Et omnes angeli ſtabant in circuitu throni, & ſeniorũ, & quatuor animalium: & ceciderunt in conſpectu throni in facies ſuas, & adorauerunt Deum, dicentes: Amen BENEDICTIO, ET CLARITAS, & ſapientia, & gratiarum actio, honor & virtus, & fortitudo Deo noſtro in ſecula ſeculorum, Amen.

EVANGELIVM MATTH. V.

IN illo tempore, Videns IESVS turbas, aſcendit in montem: & cùm ſediſſet, acceſſerunt ad eum diſcipuli eius, & aperiens os ſuum, docebat eos, dicens: BEATI pauperes ſpiritu: quoniam ipſorum eſt regnum cælorum. BEATI mites quoniam ipſi poſſidebunt terram. BEATI qui lugent: quoniam ipſi conſolabuntur. BEATI qui eſuriunt & ſitiunt iuſtitiam: quoniam ipſi ſaturabuntur. BEATI miſericordes: quoniam ipſi miſericordiam conſequentur. BEATI mundo corde: quoniam ipſi Deum videbunt. BEATI pacifici: quoniam filij Dei vocabuntur.

buntur. BEATI qui persecutionem patiuntur propter iustitiam: quoniam ipsorum est regnum cælorum. BEATI estis cùm maledixerint vobis homines, & persecuti vos fuerint, & dixerint omne malum aduer sum vos, mentientes, propter me. Gaudete & exultate: quoniam merces vestra copiosa est in cælis.

OBSERVATIO.

Si merces copiosa: non vllum itaque meritum.

Oratio Ecclesiæ.

Omnipotens sempiterne Deus, qui nos omnium Sanctorum tuorum merita sub vna tribuisti celebritate venerari: quæsumus, vt desideratam nobis tuæ propitiationis abundantiam, multiplicatis intercessoribus, largiaris, per Dominum nostrum IESVM *Christum.*

Canticum de omnibus sanctis.

O quàm gloriosum est regnum, in quo cum Christo gaudent omnes sancti, amicti stolis albis, sequuntur agnum quocunque ierit.

Aliud.

Angeli, archangeli, throni, dominationes, principatus, potestates, virtutes, Cherubin, atque Seraphin, Patriarchæ, Prophetæ, sancti legis Doctores, Apostoli, omnes Christi Martyres, sancti Confessores, Virgines Domini, Anachoretæ, sanctique omnes intercedite pro nobis.

Hymnus de ijsdem.

CHriste redẽptor omniũ,
Conserua tuos famulos,
Beatæ semper virginis
Placatus sãctis precibus.
Beata quoque agmina
Cælestium spirituum,
Præterita, præsentia,
Futura mala pellite.
Vates æterni iudicis
Apostoliq; Domini,
Suppliciter exposcimus
Saluari vestris precibus.
Martyres Dei inclyti,
Confessoresq; lucidi,
Vestris orationibus
Nos ferte in cælestibus.
Chorus sãctarum virginũ,
Monachorumq; omnium,
Simul cũ sãctis omnibus
Consortes Christi facite.
Gentem auferte perfidam
Credentium de finibus,
Vt Christo laudes debitas
Persoluamus alacriter.
Gloria patri ingenito,
Eiusq; vnigenito,
Vnà cum sancto spiritu
In sẽpiterna secula, Amẽ.

IN DIE COMMEMORATIONIS ANIMARVM, SEV FIDELIVM defunctorum.

SVMMARIVM. *Hoc die facit Ecclesia, quod Chrysostomus monet, vt pro viribus & ipsi defunctos iuuemus & alios itidem, qui pro ipsis orent, commonefaciamus. Non enim frustra ab Apostolis sancitum est, vt in celebratione venerandorum mysteriorum memoria fiat eorum qui hinc decesserunt: nouerant illis multum hinc emolumenti fieri, multum vtilitatis. Ita*

Chryſoſtomus, cui vetuſtiores etiam patres conſonãt: nequis credat Aerianis iam olim damnatis, quia in Chriſto defunctos viuorum ſuffragiis & Eccleſiæ orationibus iniquiſſimè defraudarunt. Epiſtola, ſicut & Euangelium, extremum iudicii diem proponit, quando reſurgent omnes, & coram Chriſto iudice apparebunt: alii quidem in cælo beandi, alii verò apud inferos cruciandi. Vt autem ſcribit Auguſtinus: Purgatorias pœnas nullas futuras opinandum eſt, niſi ante illud vltimum tremendumq́; iudicium. Ac prodeſt interim extremi iudicii rationem conſiderare, vt eo libentius pro fidelibus mortuis oremus, ſacrificiumq́; altaris offeramus, quo ſeueriorem illum eſſe iudicem ſcimus, qui totius vitæ rationem non ſolum in die iudicii extremi, ſed etiam ſtatim poſt mortem exigit à ſingulis, vt ſuum cuique vel præmium rependat, vel ſupplicium, primum quidem in anima, poſtea verò in anima ſimul & corpore, cùm mortui omnes iudicabuntur. Atque huc ſpectat Auguſtini cenſura: In ſecundo, inquit, Machabæorum libro legimus, oblatum pro mortuis ſacrificium. Sed etſi nuſquam omnino in ſcripturis veteribus legeretur, non parua eſt vniuerſæ Eccleſiæ, quæ in hac conſuetudine claret, authoritas, vbi in precibus ſacerdotum, quæ Domino Deo ad eius altare funduntur, locum ſuum habet etiam commendatio animarum.

EPISTOLA I. CORINTH. XV.

FRatres, Ecce mysterium vobis dico. Omnes quidem resurgemus: sed non omnes immutabimur. IN MOMENTO, in ictu oculi, in nouissima tuba (canet enim tuba) & mortui resurgent incorrupti: & nos immutabimur. oportet enim corruptibile hoc, induere incorruptionem: & mortale hoc, induere immortalitatem. Cùm autem mortale hoc induerit immortalitatem; tunc fiet sermo, qui scriptus est: Absorpta est mors in victoria Vbi est mors victoria tua? vbi est mors stimulus tuus? stimulus autem mortis peccatum est: virtus verò peccati lex. DEO autem gratias, qui dedit nobis victoriam per Iesum Christum Dominum nostrum.

ALIA LECTIO II. MACHAB. XII.

IN diebus illis, Vir fortissimus Iudas collatione facta, duodecim millia drachmas argenti misit in Hierosolymã offerri pro peccatis mortuorum sacrificium, benè & religiosè de resurrectione cogitans. (Nisi enim eos qui ceciderant, resurrecturos speraret, superfluum videretur & vanũ orare pro mortuis,) & quia considerabat, quòd hi qui cum pietate dormitionem acceperant, optimam haberent repositam gratiam. SANCTA ergo & salubris est cogitatio pro defunctis exorare, vt à peccatis soluantur.

OBSERVATIO.

Ex libris Machabæorum docet Epistola viuentiū precibus oblationibus ac sacrificiis vita functos iuuari, Hos libros non Iudæi quidem, sed Ecclesia in Canone reponit, vt habes ex Hieron. quos qui pro canonicis nō recipiunt, planè synagogæ filii habendi, quibus Christus nihil prodest.

EVANGELIVM IOANN. V. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis & turbis Iudæorum: Amen amen dico vobis, quia venit hora, & nunc est, quando MORTVI audient vocem filij Dei: & qui audierint, viuent, Sicut enim pater habet vitam in semetipso: sic dedit & filio vitam habere in semetipso: & potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est Nolite mirari hoc, quia venit hora, in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei. ET PROCEDENT qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerunt, in resurrectionem iudicij.

ALIVD EVANGELIVM MATTH. XXV.

IN illo tempore, Dixix IESVS discipulis suis, Cùm venerit filius hominis &c. *Reliqua reperies Feria 2. post Dominicam Inuocauit.*

Oratio Ecclesiæ.

Fidelium Deus omnium conditor & redemptor, animabus famulorum famularumq; tuarum remis-

sionem cunctorum tribue peccatorum : vt indulgentiam quam semper optauerunt, piis supplicationibus consequantur. per Dominum nostrũ IESVM *Christũ.*

Preces pro defunctis.

Absolue Domine animas omnium fidelium defunctorum ab omni vinculo delictorum : Et gratia tua illis succurrente mereantur euadere iudicium vltionis, & lucis æternæ beatitudine perfrui.

DIE FESTO S. MARTINI EPISCOPI.

SVMMARIVM. *Huc repeti ferè poßunt, quæ suprà de S. Nicolao præcesserunt. Fuit sanè Martinus sacerdos magnus in Gallia, nec solùm in Occidentali, sed etiam in Orientali Ecclesia tam celebris, vt è sanctis Episcopis celebriorem vix vllum cognoscamus: vir siue vitæ integritatem, siue miraculorum gloriam spectes, Apostolicus planè, sicut historia eius à discipulo Seuero scripta testatur, Euangelium nos admonet diuini luminis, quod mirabiliter in Martino fulsit, eumq; planè coram Deo & hominibus fecit illustrem, vt velut ardens lucerna super candelabrum posita, in domo Ecclesiæ lumen pulcherrimum præbeat, dictus idcirco gemma sacerdotum. Sunt qui circa has ferias cutem curant & indulgent genio, ac tantum non Bacchanalia, siue, vt vocant ipsi. Martinalia viuunt. Quid autem*

tem hoc est aliud, quàm institutum Ecclesiæ sanctum ridere, adeoq; in Deum ipsum & Martinum peccare, illumq; crapula & ebrietate colere velle, qui omnis & abstinentiæ & continentiæ perfectum se magistrum præbuit?

EPISTOLARIS LECTIO ECCLESIAST. XXIIII. ET XXV.

ECce sacerdos magnus qui in diebus suis placuit Deo &c. *Cætera feriis S. Nicolai adscripta sunt.*

EVANGELIVM LVCAE XI. R.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Nemo accendit lucernam, & in abscondito ponit, neque sub modio: sed super candelabrum, vt qui ingrediuntur, lumen videant. Lucerna corporis tui, est oculus tuus. SI OCVLVS tuus simplex fuerit: totum corpus tuum lucidum erit. Si autem nequam fuerit, etiam corpus tuum tenebrosum erit. Vide ergo ne lumen quod in te est, tenebræ sint. Si ergo totum corpus tuum lucidum fuerit, non habens aliquam partem tenebrarum, erit lucidum totum: & sicut lucerna fulgoris illuminabit te.

ALIVD EVANGELIVM LVCAE XII.

Iuxtà vsum quarundam Ecclesiarum.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis: Sint lumbi vestri præcincti &c. *Reliqua ex S. Nicolai festo petantur.*

DE

DE S. MARTINO EPISCOPO ET CONFESS.

Ex Seuero.



ARTINVS, Sabariæ, in Pannonia natus, cum decimum attigisset annum, inuitis parentibus, ad Ecclesiam confugiens, in Cathecumenorum numerum adscribi voluit. Quindecim annos natus, in militiam profectus, primum in Constantij, deinde Iuliani exercitu militauit. Qui cum nihil haberet, præter arma, & vestimentũ quo tegebatur, Ambiani pauperi, ac nudo ab eo petenti, vt Christi nomine, sibi eleemosinam tribueret, partẽ chlamydis dedit. Cui sequenti nocte Christus dimidiata illa veste, indutus apparuit, hanc mittens vocem: Martinus Catechumenus hac me veste contexit. Decem & octo annos, cum haberet, baptizatus est. Quare relicta militari vita, ad Hilarium, Pictauensem Episcopum se contulit, à quo in Acolythorum numerum redactus est. Post factus Episcopus Turonensis, monasterium ædificauit, vbi cum octoginta monachis, sanctissimè aliquamdiu vixit. Qui cum posteà, ad Gandacensem vicum suæ diœcesis, in grauẽ febrim incidisset: assidua Deum oratione precabatur, vt se ex illo mortali carcere liberaret. Quem audientes

dientes discipuli, sic rogabát: Cur nos pater deseris, cui nos miseros derelinquis? Quorum voce commotus Martinus, ità Deum orabat: Domine, si adhuc populo tuo sum necessarius, non recuso laborem, sed cum eum, in illa vehementi febre supinum orantem viderent discipuli, suppliciter ab eo petierunt, vt conuerso corpore, tantisper dum remitteret morbi vis, pronus conquiesceret. Quibus Martinus, Sinite me, inquit, cœlum potius, quam terram aspicere, vt suo iam itinere, iturus ad Dominum spiritus dirigatur. Instante iam morte, viso humani generis hoste; Quid (inquit) astas cruenta bestia? nihil in me funeste reperies, Ea in voce, vnum & octoginta ánnos natus, animam Deo reddidit: quam Angelorum chorus excepit, eosque diuinas canentes laudes multi, imprimisque Seuerinus Coloniensis Episcopus audiuit. Et sanctus etiam Ambrosius, eodem tempore, ad altare, arctiori somno correptus, ac post tertiam horam excitatus, Scitote, inquit, fratrem meum, Martinum exisse de corpore, meque eius funeri piam operam dedisse.

OBSERVATIO.

Ambrosius Mediolani tribus horis somno correptus funeri D. Martini curando Turonis interest. De quo plura habes à Paulino Nolano Episc. & Fortu-

uato presbytero, & Beda in Martyrol.

Oratio Ecclesiæ.

Deus, qui conspicis, quia ex nulla nostra virtute subsistimus, concede propitius, vt intercessione B. Martini confessoris tui atque Pontificis contra omnia aduersa muniamur, Per dominum nostrum &c.

Canticum.

Hic est Martinus electus Dei Pontifex, cui Dominus post Apostolos tantam gratiam conferre dignatus est, vt in virtute Trinitatis Deificæ mereretur fieri trium mortuorum suscitator magnificus.

Hymnus de S. Confessore Christi.

Iste confessor Domini sacratus, &c. fol. 81.

DIE FESTO S. CATHARINÆ VIRGINIS ET MARTYRIS.

SVMMARIVM. *Inter sanctas Virgines alias, quibus lectiones sequentes ritè accommodantur, S. Catharina multum excelluit, nimirum genere, doctrina, castitate, Zelo fidei, inuictæ mentis fortitudine, & in sponsum Christum incredibilis perpetuæq; charitatis ardore. Ob has eximias dotes fonti authorum illa gratias agit, vt in lectione mox sequenti est cernere. Fuit hæc vna profectò de Virginibus, quas Paulus porrò describit: & quas commendat Euangelium, vtpotè sapiens, vigilans, oleo charitatis instructa, & cælestibus nuptiis digna; quæq; velut optima negociatrix*

trix, vt vnum Christum sponsum lucrifaceret seipsam & omnia vltrò contempsit. Cyprianus de sancta virginitate testatur, quòd sit flos Ecclesiastici germinis, decus atque ornamentum gratiæ spiritualis, opus honoris integrum atque incorruptum. quodq; sint Virgines illustrior gregis Christi portio, cui munus & præmium in cælis maximum rependatur. Habuit verò semper Ecclesia, & in summo pretio habuit Catharinas, hoc est, vt Tertullianus loquitur, complures filias pudori dicatas, & Deo nuptas virgines. Habuit inquam spadones omnibus ætatibus voluntarios, qui in se concupiscentiam omnem libidinis extinguerent, & propter cæleste regnum in carne sine carne militarent. Certè Catharina, Tecla, Valeria, Agnes, & Lucia non modò mentis & corporis virginitatem Deo sanctè vouerunt, sed & corpus ipsum immanibus cruciatibus obiicere, quàm promissæ pudicitiæ iacturam facere maluerunt.

EPISTOLARIS LECTIO, ECCLES. LI.

CONfitebor tibi Domine rex, & collaudabo Deum saluatorem meum. Confitebor nomini tuo: quoniam adiutor & protector factus es mihi, & liberasti corpus meum à perditione, à laqueo linguæ iniquæ, & à labijs operantium mendacium, & in conspectu astantium factus es mihi adiutor. Et liberasti me secundum multitudinem misericordiæ nominis tui à rugien-

tanquam non gaudentes: & qui emunt: tanquam non possidentes: & qui vtuntur hoc mundo: tanquam non vtantur. PRAETERIT enim figura huius mundi. Volo autem vos sine solicitudine esse. QVI SINE vxore est, solicitus est quæ Domini sunt, quomodo placeat Deo. Qui autem cum vxore est, solicitus est quæ sunt mūdi, quomodo placeat vxori: & diuisus est. ET MVLIER innupta & virgo, cogitat quæ Domini sunt: vt sit sancta & corpore & spiritu.

OBSERVATIO.

Quanta dignitate Matrimonium superet Virginitas hinc aduersus nouos Iouinianistas deprahendes.

EPISTOLA I. COR. X.

FRatres: Qui gloriatur, in domino glorietur. Non enim qui seipsum commendat, ille probatus est: sed quem Deus commendat. Vtinam sustineretis modicū quid insipientiæ meæ: sed & supportate me. Æmulor enim vos Dei æmulatione. Despondi enim vos vni viro, virginem castam exhibere Christo.

EVANGELIVM MATTH. XXV.

IN illo tempore, Dixit IESVS discipulis suis parabolam hanc: Simile est regnum cęlorum decem virginibus: quæ accipientes lampades suas, exierunt obuiam sponso & sponsæ. Quinque autem ex eis erant fatuæ, & quinque pru-

dentes

dentes. Sed quinque fatuæ, acceptis lampadibus, non ſumpſerunt oleum ſecum: prudentes verò acceperunt oleum in vaſis ſuis cum lampadibus. Moram autem faciente ſponſo, dormitauerunt omnes ac dormierunt. Media autem nocte clamor factus eſt, ECCE ſponſus venit, exite obuiam ei. Tunc ſurrexerunt omnes virgines illæ: & ornauerunt lampades ſuas. Fatuæ autem ſapientibus dixerunt: Date nobis de oleo veſtro; quia lampades noſtræ extinguuntur. Reſponderunt prudentes, dicentes: Ne fortè non ſufficiat nobis & vobis, ite potius ad vendentes, & emite vobis. Dum autem irent emere, venit ſponſus: & quæ paratæ erant, intrauerunt cum eo ad nuptias, & clauſa eſt ianua. Nouiſſimè verò veniunt & reliquę virgines, dicentes: DOMINE domine, aperi nobis. At ille reſpondens ait: Amen amen dico vobis, neſcio vos. VIGILATE itaque: quia neſcitis diem neq; horam.

ALIVD EVANGELIVM MATTH. XIII.

IN illo tempore, Dixit IESVS diſcipulis ſuis parabolam hanc: Simile eſt regnum cęlorũ theſauro abſcondito in agro, quem qui inuenit homo, abſcondit, & præ gaudio illius vadit, & vendit vniuerſa quæ habet, & emit agrum illũ. Iterum ſimile eſt regnum cęlorum homini negociatori, quærenti bonas margaritas. Inuenta

autem

autem vna preciosa margarita, abijt, & vendidit omnia quæ habuit, & emit eam. Iterum simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mare, & ex omni genere piscium congreganti: quàm, cū impleta esset, educentes, & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa, malos autem foras miserunt. Sic erit in consummatione seculi. EXIBUNT Angeli & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis: IBI erit fletus & stridor dentium. Intellexistis hæc omnia? Dicunt ei: Etiam. Ait illis: Ideo omnis scriba doctus in regno cælorum, similis est homini patri familias, qui profert de thesauro suo noua & vetera.

OBSERVATIO.

Contemptu abiectioneq; terrenorum cælestis & qui omne pretium superat Christus emitur, Ecclesia non solis electis vt falsò quidem prædicant constat, sed sagenæ in mare similis bonos malosq; pisces congregat.

DE S. CATHARINA VIRG. ET MART.



ATHARINA, nobilis virgo Alexandrina, à prima ætate studia liberalium artium, cum fidei ardore coniungens, breui ad eam sanctitatis & doctrinæ perfectio-

nem peruenit,vt decem & octo annos nata,eruditissimum quemque superaret. Quæ cum Maxentij iussu,multos propter Christianæ religionis professionem,variè tormentis cruciatos,ad supplicium rapi videret, non dubitanter ipsum adiit Maxentium,eique nephariam immanitatem obiiciens,sapientissimis rationibus, Christi fidem, ad salutem necessariã esse affirmauit. Cuius prudentiam Maxentius admiratus, retineri eam iubet, accersitis vndique doctissimis hominibus,maximisque propositis præmijs ijs, qui conuictam Catharinam, à Christi fide ad idolorum cultum perduxissent. Quod contrà accidit. Nam quinquaginta philosophi,qui ad eam coarguendam conuenerunt,vi,ac subtilitate eius disputationis, tanto Iesu Christi amore sunt incensi,vt pro illo mori non dubitauerint. Quamobrem, Maxentius blanditijs, ac promissis,Catharinam,de sententia deducere aggreditur. Verum id frustra fieri intelligens, verberibus affectam, plumbatisque contusam, dies vndecim,sine cibo,ac potu,inclusam tenet in carcere. Quo tempore Faustina Maxentij vxor,& Porphyrius belli dux, visendæ virginis causa carcerem ingressi, & eiusdem prædicatione in Iesum Christum credentes, postea martyrio coronati sunt.Interim Catharina educitur, è custodia:

ſtodia: & rota expanditur crebris, & acutis præfixa gladijs, vt virginis corpus, crudeliſſimè dilaceraretur. Quæ machina, breui, Catharinæ oratione, confracta eſt; eoque miraculo, multi Chriſti fidem ſuſceperunt. Ipſe Maxentius, in impietate, & crudelitate obſtinatior, Catharinam ſecuri percuti imperat. Quæ fortiter dato capite, ad ſeptimum Calend. Decemb. ad duplicatum virginitatis, & martyrij præmium, euolauit: Cuius corpus, ab Angelis, in Sina Arabiæ monte, mirabiliter collocatum eſt.

OBSERVATIO.

Angeli, Virgini, funeris obſequia præſtant, grata mirum in modum Deo Virginitas.

Oratio Eccleſiæ.

Deus, qui dediſti legem Moyſi in ſummitate montis Sinai, & in eodem loco per ſanctos Angelos tuos, corpus beatæ Catharinæ virginis & martyris tuæ mirabiliter collocaſti, præſta quæſumus, vt eius meritis & interceſſione, ad montem qui Chriſtus eſt, peruenire valeamus, per Dominum noſtrum IESVM *Chriſtũ.*

Hymnus de S. Virginib.

IESV corona virginum,
Quem mater illa cõcipit.
Quæ ſola virgo parturit,
Hæc vota clemẽs accipe.
Qui paſcis inter lilia,
Septus choreis virginum,
Sponſus decorans gloria:
Sponſiſq; reddẽs præmia.
Quocũque pergis, virgines
Sequũtur, atque laudib⁹

Post te canentes cursităt, Corruptionis vulnera.
Hymnosq; dulces psonăt. Præsta pater piissime,
Te deprecamur largius, Patriq; compar vnice,
Nostris adauge sensibus, Cum spiritu paracleto,
Nescire prorsus omnia Regnăs p oē seculū, amē.

DIE FESTO DEDICATIONIS ECCLESIAE.

SVMMARIVM. *An Ecclesiam Dei contemnitis? inquit Paulus, nimirum Ecclesiam pro templo accipiens, quod ex veteri atque constanti more dedicatur in scholam cælestium documentorum, in apothecam spiritualium medicamentorum, in domum supplicationum & officinam omnis cultus diuini religiosè exercendi. Domus mea, inquit Christus, domus orationis vocabitur. Hæc Ecclesia repræsentat aliam, quæ viuis è lapidibus in angulari lapide Christo fabricata, ciuitatem nouam, sanctam & illustrem planè constituit, sicut de cælesti Hierusalem Ioannes docet in sequenti lectione. At in Euangelio historia extat de Zachæi conuersione: qui Christi benignitate commotus, non modò fide, sed etiam obedientia & hospitalitate se verè filium Abrahæ declarauit. Sic docemur & nos Christum hospitem excipere ac honorare: vt non solùm exterioris, sed etiam interioris & spiritualis templi dedicatio, quæ primum in baptismo facta est, in nobis fœliciter peragatur. Honorauit certè Christus*

templum

templum sua præsentia, suis concionibus atque miraculis: honorarunt Apostoli, semper in eo laudantes & benedicentes Deum: honorarunt primi Christiani, quotidie vnanimiter in templo perdurantes, sicut & Anna vidua de templo nō discedebat: de quo nunc etiam rectè dixeris: Quàm terribilis est locus iste? non est hîc aliud, nisi domus Dei & porta cæli. Imò verò sicut idem Iacob aiebat: Verè Dominus est in loco isto. Quantum igitur est scelus, veneranda templa, quibus & suum honorem barbari sæpe tribuerunt, in quibus totius religionis officina, piorumq́; omnium asylum est atque perfugium, palam violare atque prophanare, vel parum in illis honestè versari? Præclarè quidem Nilus: In Ecclesia non secus ac cælo versare: ideo in ea nil loquere vel cogita terrenum. Dei domum venerare, Ecclesiam frequenta: à motibus enim ac perturbationibus exterioribus nos liberare solet.

LECTIO APOCAL. XXI.

IN diebus illis, Vidi ciuitatem sanctam Hierusalem nouam, descendentem de cælo, à Deo paratam, sicut sponsam ornatam viro suo. Et audiui vocem magnam de throno dicentem: ECCE TABERNACVLVM Dei cum hominibus: & habitabit cum eis, & ipsi populus eius erunt: & ipse Deus cum eis erit eorum Deus, & ABSTERGET DEVS omnem lacrymam ab oculis eorum, & mors vltrà non erit, neque lu-

ctus, neque clamor, neque dolor erit vltrà, quia prima abierunt. Et dixit qui sedebat in throno, ECCE NOVA FACIO omnia.

EVANGELIVM LVCAE XIX.

IN illo tempore, ingressus IESVS perambulabat Iericho. Et ecce vir nomine Zachæus: & hic princeps erat Publicanorum, & ipse diues, & quærebat videre IESVM quis esset: & non poterat præ turba, quia statura pusillus erat. Et præcurrens ascendit in arborem sycomorum vt videret eum: quia inde erat transiturus. Et cum venisset ad locum, suspiciens IESVS vidit illum, & dixit ad eum: Zachæe festinans descende: quia HODIE IN DOMO tua oportet me manere. Et festinans descendit: & excepit illum gaudens. Et cùm viderent, omnes murmurabant, dicentes, quòd ad hominem peccatorem diuertisset. Stans autem Zachæus dixit ad Dominum: ECCE DIMIDIVM bonorum meorum do pauperibus: & si quid aliquem defraudaui, reddo quadruplum. Ait IESVS ad eum, Quia HODIE SALVS DOMVI HVIC FACTA est: eò quòd & ipse filius sit Abrahæ. VENIT enim FILIVS HOMINIS quærere & saluum facere quod perierat.

Oratio Ecclesiæ.

DEVS, qui nobis per singulos annos huius sancti templi

templi tui consecrationis reparas diem, & sanctis semper mysteriis repræsentas incolumes, exaudi preces populi tui, & præsta, vt quisquis hoc templum beneficia petiturus ingreditur, cuncta se impetrasse lætetur: Per Dominum nostrum Iesum Christum filium tuũ.

Canticum.

Domus mea domus orationis vocabitur, dicit Dominus: in ea omnis qui petit accipit, & qui quærit inuenit: & pulsanti aperietur.

Hymnus de dedicatione Templi.

Vrbs beata Hierusalem,
Dicta pacis visio:
Quæ construitur in cælis,
Viuis ex lapidibus,
Et Angelis coronata,
Vt sponsata comite.
Noua veniens è cælo,
Nuptiali thalamo
Præparata vt sponsata
Copuletur Domino:
Plateæ & muri eius
Ex auro purissimo.
Portæ nitent margaritis,
Adytis patentibus,
Et virtute meritorum
Illuc introducitur
Oĩs, qui ob Christi nomẽ
Hoc in mundo premitur.
Tunsionibus, pressuris
Expoliti lapides
Suis coaptantur locis
Per manus artificis,
Disponuntur permansuri
Sacris ædificiis.
Angulare fundamentum
Lapis Christus missus est,
Qui compage parietum
In vtroque nectitur,
Quẽ Sion sancta suscepit,
In quo credẽs permanet.
Omnis illa Deo sacra,
Et dilecta ciuitas,
Plena modulis, & laude
Et canore iubilo,

Trinum Deū vnicumq;
Cum fauore prædicat.
Hoc in tēplo summe Deus
Exoratus adueni,
Et clementi bonitate
Precum vota suscipe,
Largam benedictionem
Hic infunde iugiter.
Hic promereantur omnes
Petita acquirere,
Et adepta poßidere
Cum sanctis perenniter,
Paradisum introire,
Translati in requiem.
Gloria & honor Deo
Vsquequò altißimo,
Vna patri filioq;
Inclyto Paracleto:
Cui laus est & potestas
Per immēsa secula, Amē

FINIS.



PIO LECTORI.



Reue Exercitamentorum Christianæ pietatis Enchiridium dum cudimus, penè iusti voluminis excessimus mensuram; sanctorum nos exemplis mira quadam suauitate trahentibus, quorum omnium præclarè gesta si in hunc locum conferre voluissemus, longè à promissa breuitate recessissemus, cùm tantis eos Deus honoribus affecerit tantis donauerit priuilegijs, tanta deniq; eorum præcibus, tamq; admirabilia patrarit, verè vt cum Dauide dicere possimus, Mirabilis Deus in sanctis suis. His inanima obtemperarunt, Feræ blanditæ sunt, & seruierunt, cesserunt Dęmones, eorumque iniurias vlti sunt. Luciam flamma non vrit, cuius festum 13. Decembris celebratur: orante Agnete extinguitur 21. Ian. Terræmotu excitato, ruente pariete, Quinciani Prætoris familiares duo opprimuntur 5. Febr. Tempestates Idolorum templa euertunt, dum Vitus & Modestus deduntur neci. 15. Iunij. A Felice consputa simulachra corruunt, 30. August. orante Triphone labitur Iouis statua Nouēb. 10. Mare cedit in eo proiecto Clemente 23. eiusdem. Moueri Lucia nequit loco, vt in Lupanar abducatur.

tur. Araneæ expanſis momento telis, Felicem inſequente ſatellite occultant 14. Ian. Paulo primo eremitæ dimidium panis quotidiè, aduenıente verò Antonio, integrum Corui detulerunt. 15. Ian. Iidem à cæteris volucribus illæſum Vincentij cadauer conſeruarunt 22. Ian. Leones Paulo eremitæ ſepulchrum vnguibus fodiunt 15. Ian. ad Priſcæ expoſitæ pedes proſternuntur 18. Ian. capite caudaq́;. Primo & Fœliciano blandiuntur 9. Iunij. Dariam vi in meretriciam viam ductã protegunt 26. Octob. Ioannem & Paulum ſecretò interfectos, Dœmones promulgant, ad quorum ſepulchrum ducti arreptitij liberantur 26. Iunij. Iudicem, Appollinis ſacerdotem in Vitalem concitantem inuadunt, & in flumen agunt præcipitem 28. Apr. Agnetis virginitatẽ violare tentans Præfecti filius, concidit: virginis deindè præcibus ad vitam reuocatur 21. Ian. Mitto quadragenarias 40. martyrum coronas, 9. Martij. Virginitatis retinendæ deſiderio concitas mortes vt in Petronila, 31. Maij, aliaq́; innumerabilia, quæ ſi quis noſſe pleniùs deſideret, ex Romano *Breuiario*, Bedæ Martyrologio, Vſuardo, Aloyſio Lippomano, alijſq́; quamplurimis haurire, & ſitim explere poterit. Nobis hæc pauca annotaſſe ſufficiat. Simul hic finis ſit, vbi te pie lector

prius

prius monuerimus, vt notes an nè similia virtutis exempla in hęreticis vnquam inuenias, aut quicquam in sacrosanctas imagines diuinitus, (quamuis scelerate multa impijs manibus) potuisse deprehendas, nō sanè. In peius semper sub rupto catholicę fidei fundamento ruunt sententijs, ac moribus, quorum in morte non apparent Angeli, ad quorum sepulchra nulla miracula, viuentes Euangelium ventosum seminant, ex quo nō pacem, vt ex eo quod Christi est, sed turbinē metunt. Tene igitur quod accipisti ne alius accipiat coronam tuam.




CAPITA DOCTRINÆ

Christianæ compendio tradita, vt sit veluti paruus Catechismus Catholicorum.

CAPVT PRIMVM.

DE FIDE ET SYMBOLO FIDEI.

Quis dicendus est Christianus atque Catholicus?



ct.11. VI Baptismatis Sacramento initiatus IESV Christi veri Dei atque hominis salutarem doctrinam in eius Ecclesia profitetur: neque sectis vel opinionibus vllis ab Ecclesia Catholica alienus adhæret.

Quibus de rebus primum docendi sunt Christiani?

De fide, Spe, Charitate, Sacramentis & officiis iustitiæ Christianæ.

Quid est Fides?

Donum Dei ac lumen quo illustratus homo
ph.2. firmiter assentitur omnibus, quæ Deus reuela-
e.11. uit, & nobis per Ecclesiam credenda proposuit: siue scripta illa sint, siue non sint.

Quæ summa est Fidei seu omnium credendorum?

Symbolum Apostolorum, in duodecim distinctum articulos.

Qui

Qui sunt illi duodecim articuli?

HI VIDELICET;

I. Credo in Deum Patrem omnipotentem, Creatorem cæli & terræ.

II. Et in IESVM Christum filium eius vnicum, Dominum nostrum.

III. Qui conceptus est de Spiritu sancto, natus ex Maria virgine.

IIII. Passus sub Pontio Pilato, crucifixus, mortuus, & sepultus.

V. Descendit ad inferos, tertia die resurrexit à mortuis.

VI. Ascendit ad cęlos, sedet ad dexteram Dei Patris omnipotentis.

VII. Inde venturus est iudicare viuos & mortuos.

VIII. Credo in Spiritum sanctum.

IX. Sanctam Ecclesiam Catholicam, Sanctorum communionem.

X. Remissionem peccatorum.

XI. Carnis resurrectionem,

XII. Et vitam æternam, Amen.

Quid sibi vult primus Symboli articulus, Credo in Deum Patrem?

Ostendit primam in Deitate personam, Patrem scilicet cælestem & æternum, cui nihil factu impossibile sit vel difficile, qui cælum & Gen. 1. Ps 148.

terram

Ioa. 5. terram, visibilia simul & inuisibilia cuncta ex
Mat. 16 nihilo produxerit, & producta vsque conser-
Colo. 1. uat, & gubernat summa bonitate & sapientia.

Quid verò secundus articulus,
Et in IESVM Christum filium eius?

Heb. 1. Commonstrat secundam in Deitate perso-
Psal. 2. nam, IESVM Christum scilicet, filium Dei na
& 109 turalem, vnicum illum, ab æterno genitum, &
Luc. 1. patri consubstantialem, Dominum ac Redem-
Act. 10 ptorem nostrum, vt qui nos perditos liberauit.
Heb. 1.

Quid porrò tertius, Qui cõceptus est de Spiritu Sãcto?

Mysterium proponit Dominicæ incarnatio
Luc. 1. nis. Quia idem Dei filius de cælis descendens,
Ioan. 1. humanam naturam assumpsit: sed modo singu-
Phil. 2. lari prorsus, vt qui conceptus fuit sine patre, ex
Luc. 1. virtute Spiritus Sancti, & natus ex Maria virgi-
Esa. 7. ne illibata.

Quid verò quartus, Passus sub Pontio Pilato?

Mat. 1. Mysterium tractat redemptionis humanæ.
Esa. 53 Nam idem verus Dei filius secundum huma-
Ma. 20 nam illam naturam assumptam, extrema verè
& 27. passus est pro nobis & peccatoribus omnibus
Ioã. 1. redimendis. Vnde licet agnus esset sine macula,
tamen sub Pontio Præside in crucem suffixus,
in cruce mortuus, & deinde sepultus fuit.

Quid autem quintus, Descendit ad inferos?

Mysterium resurrectionis Christi comple-
ctitur

ctitur, qui ſecundum animam quidem Patres è limbo liberaturus deſcendit: tertio verò poſt mortem die, reſumpto corpore, vi propria factus eſt rediuiuus. Ma. 28 Lu. 24 Eph. 4. 1 Co. 15

Quid ſextus articulus, Aſcendit ad cælos?

Myſteriũ affert glorioſæ Aſcenſionis Chriſti, vt qui poſt expletum redemptionis noſtræ opus, ad Patrem tranſiuit ex hoc mundo, & cælos ſua virtute Triumphator aſcendit, atque in ipſa æterna Patris gloria ſuper omnia eſt collocatus. Mar. 16 Luc. 24 Act. 1. Eph. 4. Phil. 2.

Quid ſeptimus, Inde venturus eſt iudicare?

Demonſtrat extremum iudicij diem, quando Christus humana in carne viſibilis rurſus de cęlo deſcendet, ac tremendum aget iudicem omnium, proborum ac improborum, & reddet vnicuique ſecundum opera eius. Heb. 1. Mat. 16 & 25. 1 Th. 4.

Quid verò octauus, Credo in Spiritum Sanctũ? Pſa. 6.

Exhibet tertiam in Trinitate perſonam Spiritum Sanctum, qui ex patre filioque procedens, vnus verus æternusque Deus eſt, & regnat cum Patre & filio, & proinde cum vtroque ſimul adoratur & conglorificatur. Mat. 16 Rom. 2 Ioan 5 Ath. in ſymb.

Quid nonus articulus, Sanctam Eccleſiam Catholicam?

De Eccleſia docet quatuor nobis credenda eſſe: Primum, Eccleſiam eſſe vnam, nimirum in 1. Can. 4.

ohe.4 vno ſpiritu Chriſti Ieſu, in vna fide, fideiq́ue
11. & Sacramentorum doctrina, in vno capite ac
ph.6. rectore vniuerſalis Eccleſiæ, vicario Chriſti
Cor.6 ſcilicet ac Diui Petri ſucceſſore. Secundò, hanc
ã 14 ipſam Sanctam eſſe, quia tum à Chriſto capite
r 16. & ſponſo ſuo, cui per fidem & Sacramenta con-
11. iungitur, ſanctificatur: tum à Spiritu ſancto per
a. 28 petuò guber atur. Tertiò, eandem eſſe Ca-
ar. 16 tholicam ſeu vniuerſalem, quia toto orbe diffu
ſa, Chriſti fideles omnes omnium temporum
111 comprehendit. Quartò & poſtremò, in hac ip-
u. 24 ſa Eccleſia Communionem eſſe Sanctorum,
Act. 1. puta non eorum ſolùm, qui in terris credentes
Eph. 4. peregrinantur, verum etiam qui carnis morta-
Pſa. 118 litate exuti vel regnãt in cælo, vel illic regna-
Ro. 12. turi, in igne purgatorio, ſuorum peccatorum
Co. 12 ſordibus expiantur. Qui quidem veluti vnius
corporis membra, ſe inuicem iuuant mutuis
officiis, meritis, orationibus: & ſacroſancti Miſ-
ſæ ſacrificij, Sacramentorumq́ue Eccleſiæ vir-
tute participant.

Quid porrò decimus, Remiſsionem peccatorũ?

Lu. 24 Offert præſentem Dei gratiam peccatori-
Eze. 8 bus omnibus, ne quis de venia peccatorum ſuo-
Ioã. 20 rum conſequenda vnquam deſperet, modò in
Eccleſia perſeueret Catholica, & ritè eiuſdem
Sacramentis vtatur.

Quid

Quid autem vndecimus, Carnis resurrectionem? Act. 2
Mortuos omnes ad vitam excitandos asserit, Iob. 19
& nouissimum iudicij diem confirmat: Nam 1. Co. 15
ante Christi tribunal in carne rediuiui omnes Ioã. 5
apparebimus, vt recipiat vnusquisque, prout Dan. 12
gessit in suo corpore, siue bonum, siue malum. Mat. 25

Quid demum postremus, Et vitam æternam?
Fidei & virtutis Christianæ præmium beatam immortalitatem ostẽdit, vt certò sciamus, Mat. 7 & 19
post hanc vitam superesse aliam longè diuersam, vereque securam, beatam, ac sempiternam, Heb. 5
quæ credentibus & obtemperantibus Christo destinata sit.

Quæ est summa omnium Symboli articulorum?
Corde & ore confiteor Dominum Deum, quo nihil aut maius, aut sapientius, aut melius potest excogitari, eum & vnum in essentia seu 1. Io. 5
natura diuina, & trinum in personis esse, vtpotè Patrem, & Filium, & Spiritum sanctum: ita vt hi tres vnum sint, vnus verus, æternus, immensus & incomprehensibilis Deus: ex quo, Ro. 11
per quem, & in quo sunt omnia. Pater est conditor vniuersorum, Filius redemptor hominum, Spiritus Sanctus, Ecclesiæ, seu Christi fidelium sanctificator & rector. Igitur huic sanctissimæ & indiuiduæ Trinitati respondent Symboli tres partes præcipuæ: Prima, quæ de

Creatione eſt, Patri. ſecunda, quæ de Redemptione, Filio: tertia, quæ de Sãctificatione, Spiritui ſancto accomodatur.

Quid eſt Eccleſia?

co. 12. Pe. 5. Ioã. 21. Eſt omnium Chriſti fidem atque doctrinam profitentium congregatio, quæ ſub vno & ſummo poſt Chriſtum capite & paſtore in terris gubernatur.

Qui ab Eccleſia prorſus alieni ſunt?

Mat. 16 Concil. Florẽt. Primùm Iudæi & infideles omnes, atque à fide apoſtatæ, deinde hæretici, ij ſcilicet, qui cùm baptizati ſint, contra Catholicam fidem cum pertinacia tuẽtur errorem. Præterea Schiſmatici, quia à pace & vnitate Catholica ipſi ſe ſegregant. Mat. 18 1. Cor. 5 Poſtremò qui à Communione Sanctorum, à participatione Sacramentorum, & ab Eccleſiæ ſuffragiis, diuiniſque officiis per Eccleſiaſticam poteſtatem legitimè excluduntur: vnde & Excommunicati dicuntur: Qui omnes à Chriſti corpore, quod eſt Eccleſia ſeiuncti & alieni ſunt, proindeque ſpiritualis vitæ ac ſalutis expertes manent, Satanæ mortique perpetuæ, niſi reſipiſcant, obnoxij. Ac vitandi quidem illi omnes Catholicis, ſed imprimis hæretici & ſchiſmatici, non minus quàm peſtes quædam exitiales, fugiendi ac execrandi ſunt.

Quæ demum est simplex, breuis & recta fidei regula, qua Catholici ab hæreticis discernuntur?

Ea est, Christi fidem atque Ecclesiæ authoritatem integram profiteri, illudq́; ratum ac fixum tenere oportere, quod Ecclesiæ Catholicæ pastores atque doctores credendum definierint. Cæterum si quis Ecclesiam non audierit, sit tibi, inquit Christus ipse, sicut ethnicus & publicanus. Non enim habebit Deum Patrem, qui Ecclesiam noluerit habere matrem. *Mat. 1*

CAPVT SECVNDVM,

De Spe & Oratione Dominica.

Quid est Spes?

Virtus est diuinitus infusa, per quam certa cum fiducia nostræ salutis & æternæ vitæ bona expectantur. *Ro. 5.* 8.

Vnde modum rectè sperandi & petendi discimus? *Petr. 1*

Ex oratione Dominica, quam Christus ipse Dominus & magister noster ore suo sacrosancto tradidit & præscripsit. *Mat. 1* *Luc. 1*

Recita per partes Orationē Dominicā. Prima petitio.

Pater noster, qui es in cælis, Sanctificetur nomen tuum.

Secunda,

Adueniat regnum tuum.

Tertia,

Fiat voluntas tua, sicut in cælo & in terra.

Quarta,

Panem noſtrum quotidianũ da nobis hodie.

Quinta,

Et dimitte nobis debita noſtra, ſicut & nos dimittimus debitoribus noſtris.

Sexta,

Et ne nos inducas in tentationem:

Septima,

Sed libera nos à Malo, Amen.

Quid ſibi vult initium huius orationis, Pater noſter qui es in cælis?

Præfatiuncula eſt, quæ nos memores reddit Rom. 8 ſummi beneficij, quo Deus Pater per Chriſtum Gal. 4. nos ſibi in filios adoptiuos, & hæredes cooptauit. Eph. 1. Atque hoc dulci Patris nomine prouocamur, tùm ad eum redamandum, tùm ad precandum magna cum fiducia.

Quid explicat prima petitio. Sanctificetur nomẽ tuũ?

Proborum filiorum iuſtum & liberale deſiderium. Hi petunt ſemper & vbique in ſe aliiſque promoueri cognitionem, timorem, honorem, amorem, & cultum æternæ maieſtatis, & quicquid demum ad ſummi optimique patris gloriam ſpectat.

Quid ſecunda petitione agimus, Adueniat regnum tuum?

Petimus gloriam regni cæleſtis, æternęque felici-

felicitatis nobis donari, vt citò cum Christo in sempiternum regnemus.

Quid tertia, Fiat voluntas tua?

Petimus diuinæ gratiæ nobis opem adesse, vt Patris voluntatem in terra, sicut beati omnes in cælo faciunt, syncerè, alacriter, & constanter adimpleamus. Rom. Mat.2

Quid quarta, Panem nostrum quotidianum da nobis hodie?

Petimus suppeditari nobis, quæ ad vitam siue corporis, siue animi fouendam & sustentandam spectant, vt victum & vestitum, verbum Dei & Ecclesiæ Sacramenta. 1.Ti. Pro. 3 Mat. Ioã.

Quid quinta, Et dimitte nobis debita nostra?

Petimus veniam ac remissionem peccatorum, parati vicissim, remittere, quod in nos alij peccauerint.

Quid penultima, Et ne nos inducas in tentationem?

Petimus in hac tanta vitæ imbecillitate, diuina virtute fulciri, atque aduersus Mundum, Carnem, Dæmonemque defendi, ne quocunque modo tentationi succumbentes, peccato consentiamus.

Quid septima & postrema petitione, Sed libera nos à malo?

Petimus Dei benignitatem, qua ipse nos liberet, & vindicet à miseria tùm corporis, tùm ani

mi, siue in hac vita, quoad saluti nostræ congruit, siue in futura. Et additur: *Amen*, hoc est, fiat, siue fiet, vt spem desideriumque monstremus accipiendi ea, quæ septem his petitionibus continentur.

Quæ summa est priorum orationis huius petitionum?

Priores quatuor ostendunt, quæ hic bona sperare ac petere debeamus: Inter quæ primum ac summum est, diuinæ Maiestatis honor & gloria: Proximum, nostra fœlicitas: huic accedit Deo debita obedientia: postremum est, corporis animæque sustentatio necessaria. Hæc summatim continentur prioribus quatuor

Quæ summa est reliquarum petitionum?

Tres posteriores continent mala, quæ deprecari debeamus: vt sunt peccata, quæ nobis Dei regnum præcludunt: tum tentationes, quæ nisi ope diuina protegamur, sua vi ad peccandum nos pertrahunt: ac postremò huius ac futuræ vitæ calamitates. Docet igitur Dominica precatio simul & bona petere, & mala deprecari.

Quomodo salutationem Angelicam recitas Virgini Matri?

uc. I. Aue Maria gratia plena Dominus tecum, benedicta tu in mulieribus, & benedictus fructus ventris tui IESVS: Sancta Maria mater Dei ora pro nobis peccatoribus; Amen.

Vnde

Vnde hic modus Deiparam Virginem ſalutandi profluxit?

Primùm ab exemplo Angeli Gabrielis, & Sanctæ Elizabethæ: deinde ex vſu ipſo, & conſenſu Eccleſiæ Catholicæ ortum ducit.

Quem verò fructum adfert hæc ſalutatio?

Sacroſanctæ Virginis & Dominicæ incarnationis gratam, & æquè ſalutarem nobis refricat memoriam, ac præterea monet, vt gratioſæ Virginis fauorem, atq; apud Deum interceſſionem nobis conciliemus.

Quid diſcimus ex hac ſalutatione?

Eximias dotes ac laudes incomparabilis Virginis, vt quòd Dei donis ac virtutibus ampliſſimis referta, quòd eadem virgo & mater, quòd inter omnes omnium temporum mulieres benedicta, quòd Regis Regum Chriſti Dei & Domini noſtri parens, ac perinde inuentrix gratiæ, ac genitrix vitæ nobis extitit.

CAPVT TERTIVM.

De Charitate & Decalogo.

Quid eſt Charitas?

Infuſa à Deo virtus, qua ipſe propter ſe, proximus autem propter Deum diligitur. *Mat.22* *Luc.10*

Quot ſunt Charitatis præcepta?

Duo principalia, Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, ex tota anima tua, & *Deu.6.* *Mat.22*

ex tota mente tua,& ex totis viribus tuis. Hoc est primum & maximum mandatum:secundum verò simile huic: Diliges proximum tuum, sicut teipsum. In his præceptis vniuersa lex pendet, & prophetæ.

Quo indicio se prodit Charitas erga Deum?

Ioã. 5. Si eius obserues mandata. Hæc est enim Charitas Dei, vt mandata eius custodiamus, & mandata eius grauia non sunt. Et Christus ipse do-
Ioã. 14. cet: Qui habet mandata mea, & seruat ea, ille est qui diligit me.

Quomodo se prodit, & agnoscitur Charitas erga proximum?

Co. 13. Charitas patiens est, benigna est, Charitas
Phil. 3. non æmulatur, non agit perperam, non inflatur, non est ambitiosa, non quęrit quæ sua sunt, non irritatur, nõ cogitat malum, non gaudet super iniquitate, congaudet autem veritati: Omnia suffert, omnia credit, omnia sperat, omnia sustinet.

Cur præcepta Decalogi decem proponuntur?

Et si duo sunt Charitatis præcepta, in quibus plenitudo legis versatur; tamen præcepta Decalogi idcirco adiiciuntur, vt perspicuè magis omnes intelligant, quę ad Charitatem tùm Deo, tùm proximo exibendam pertineat.

Quæ sunt præcepta Decalogi?

I.

Ego sum Dominus Deus tuus. Non habebis deos alienos coram me: non facies tibi sculptile, vt adores illud.

II.

Non assumes nomen Domini Dei tui in vanum: Nec enim insontem habebit Dominus eum, qui assumpserit nomen Domini Dei sui frustra.

III.

Memento vt diem sabbati sanctifices.

IIII.

Honora patrem tuum & matrem tuam, vt sis longæuus super terram, quam Dominus Deus tuus dabit tibi.

V.

Non occides.

VI. Non mœchaberis.

VII. Non furtum facies.

VIII.

Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium.

IX.

Non concupisces vxorem proximi tui.

X.

Non domum, non agrum, non seruum, non ancillam

ancillam, non bouem, non asinum, & vniuersa quæ illius sunt.

Quid sibi vult primum præceptum, Non habebis deos alienos.

Ex. 23. Deu. 18 & 19. Ec. 34. Mat. 4. Prohibet ac damnat idololatriam, seu cultum falsorum Deorum, artem magicam, vel diuinatoriam, obseruationes superstitiosas, omnem denique cultum impium: E diuerso autem requirit, vt vnum Deum Opt. maximum credamus, colamus, & inuocemus.

Licet ne sanctos colere & inuocare?

Dam. l. ...ca. 16 ...oã. 15. Licet, non ad eum quidem modum, quo iubemur Deum colere & inuocare, tãquam Creatorem & Redemptorem, & largitorem bonorum omnium: at longè inferiori gradu, nimirum veluti lectissimos Dei amicos, nostrosque apud ipsum intercessores, & patronos.

Huic ne præcepto aduersatur vsus imaginum Christi ac Sanctorum?

Dam l. ...re. l. 6 ...i. Sy- ...d. Ni. Nequaquam: quia præcepto huic, Non facies tibi sculptile, causa mox additur, vt adores illud, videlicet ethnicorum more, qui falsorum Deorum statuunt simulachra, & idola sua impiè colunt. Nos autem in imaginibus Christum & Sanctos, quos repræsentant, piò a maioribus tradito more veneramur.

Quid secundum prohibet, Non aßumes nomen Dei tui in vanum?

Vetat abusum diuini nominis & irreuerentiam: quæ committitur à periuris, blasphemis, per Deum, Sanctos vel creaturam aliquam, absque graui causa, veritate ac reuerentia iurantibus. Leu 9. Ec. 23. Hie. 4. Mat. 5.

Quid imperat tertium præceptum, Memento vt diem Sabbati sanctifices? Le. 23. Hie. 17

Vult sabbatum, seu diem festum in Ecclesia piis operibus celebrari: quod fit adeundo templum, & audiendo missam. Laborare autem hoc tempore & occupationibus deditum esse seruilibus, planè interdicit. Nu. 15

Quid iniungit quartum, Honora patrẽ & matrẽ?

Vt his qui secundum Deum vitæ nostræ sunt auctores, reuerentiam, obedientiam opemq; præstemus, ac omni demum officij genere illis ipsis satis faciamus. Deinde iubet, vt magistratus cùm ciuiles tum Ecclesiasticos, parentum & maiorum loco habeamus, illorum dicto lubenter pareamus, eorumque potestatem, ac auctoritatem reuereamur. Eph. 6. Colo. 3. Ro. 13. He. 13. 1 Pet. 2

Qua ratione potestatem & auctoritatem Ecclesiasticam reuerebimur.

Videlicet, si sacris & œcumenicis Concillis, si receptis Apostolorum ac patrum institutis ac

ac decretis, si probatis maiorum consuetudinibus, denique si summis Ecclesiæ pastoribus ac pontificibus tribuerimus, quã singularem illis debemus obseruantiam obedientiamque. Vbi vel maximè peccant, qui cultum diuinum & sanctiones, cæremoniasque Ecclesiasticas conuellunt atq; contemerant: tum qui Synodis & Pontificibus obtrectant, ac in Sacerdotum iura & templa inuolant, ac sacra prophanant.

Quid sibi vult quintum præceptum, Non occides?

Mat. 5. Prohibet vim externam, cædem & iniuriam
Deu. 5. omnem, quæ corpori & vitæ proximi adferri possit. Ad hæc iram, odium, rancorem, indignationem, & quosuis affectus ad proximi læsionem quouis modo spectantes excludit & penitus resecat.

Cor. 6 *Quid vetat sextum, Non mœchaberis?*

Mat. 5 Fornicationem, adulterium & obscœnos il-
Eph. 5. legitimosque concubitus: tum quicquid hone-
.Th. 4 stati, verecundiæ & ingenuo pudori aduersatur.
Heb. 13 Nam & qui viderit mulierem ad concupiscendum eam, iam mœchatus est eam in corde suo.

Quid precepto septimo cauetur, Non furtũ facies?

Omnis rei alienæ illicita contrectatio & vsurpatio: vt sic in furto, rapina, vsura, lucris iniustis, dolis malis, & iniquis contractibus; demũ quibusuis commutationibus & distributionibus

bus,quibus Christiana charitas læditur,& proximus circumuehitur.

Quid in octauo agitur? Non loqueris contra proximum falsum testimonium?

Interdicitur testimonium falsum, mendaciũ & omnis linguæ contra proximum abusus: vt in susurronibus,detractoribus,maledicis,adulatoribus,mendacibus,ac periuris.

Exo. 23 Eph. 4 Iac. 4 1.Pet.2

Quid postrema duo præcepta, Non concupisces vxorem,nec rem proximi?

Vetant concupiscentiam vxoris, ac rei alienæ:quoniam quod alienum est, haud solum iniustè & pro libidine nostra occupare non licet, sed ne voluntate quidem ad illud appetendum ferri debemus:ita vt nostris rebus cõtenti absq; omni inuidia, æmulatione & cupiditate viuamus.

Mat. 5 Deu. 5 1.Th.4

Quæ summa,quisue finis præceptorum Decalogi?

Nimirum, vt Deus & proximus syncerè diligantur: cuius rei symbolum fuit in duas tabulas Decalogi a Deo facta distinctio. In priore quidem tabula tria docentur, quæ ad charitatẽ Dei:in secunda verò septem, quæ ad dilectionẽ proximi spectant,explicantur.

1.Ioã. 5 Ex. 20

Qua ratione præcepta primæ tabulæ charitatem Dei edocent?

Quoniam tollunt & prohibent vitia cultui hono-

honorique Dei maximè contraria, idolatriam, apostasiam, hæresim, periurium, superstitiones: admonent autem, verum purumq; Dei cultum
ph. 4. corde, ore ac opere fideliter exhibendum esse: quod vbi fit, vtique solus verus Deus cultu latriæ colitur & adoratur.

Quomodo præcepta secundæ tabulæ charitatem proximi explicant?

Eo ipso, quòd nostrum erga proximum offi-
d Ti. 2 cium ordine complectuntur: videlicet, vt non
Co. 13. solum maiores honoremus, sed etiam opere, verbis ac voluntate prodesse omnibus, & nocere nemini studeamus, siue corpus proximi, siue persona iuncta coniugio, siue bona fortunę considerentur.

Quæ summa est præceptorum de proximo diligendo?

Hæc ipsa nimirum, Quod tibi non vis fieri,
Mat. 7. alteri ne feceris: Omnia verò quæcunq; vultis faciant vobis homines, & vos facite illis. Hæc est enim lex & prophetæ.

Sunt ne præter Decalogum alia præcepta?

Mat. 18 Sunt vtique, nec solum vtiliter illa, verùm
& 23. etiam necessariò obseruanda: præsertim Eccle-
Prou. 1. siæ præcepta, cui veluti sanctissimæ matri, sponsæque Christi aures & mentes præbere Catholici filij omnes debemus.

Quot sunt præcepta Ecclesiæ
Præcipua quinque numerantur.

I

Statutos Ecclesiæ festos dies celebrato. *Concil. Lugdũ*

II.

Sacrum Missæ officium diebus festis reuerenter audito. *Concil. Agath.*

III.

Indicta certis diebus ieiunia, & à quibusdam cibis abstinentiam obseruato. *Ca. Apostolo. 68 Concic. Gãgre.*

IIII.

Peccata tua Sacerdoti proprio, aut alteri cũ eius facultate, singulis annis confiteor. *Concil. Later. Ibidẽ.*

V.

Sacrosanctam Eucharistiam, vt minimum semel in anno, idq; circa festum Paschæ, sumito.

Quem fructum affert horum obseruatio præceptorum?

Hæc atque id genus alia Ecclesiæ tum instituta, tum præcepta primùm fidem, humilitatem & obedientiam Christianam exercent, deinde cultum diuinum, honestam disciplinam, & publicam tranquillitatem alunt, cõseruant & ornant, eoque mirificè conferunt, vt decenter & ordine cuncta in Ecclesia peragantur, præterquàm quòd æternam vitam meremur, si illa ex charitate obseruemus. *1. Co. 14.*

Ca-

CAPVT QVARTVM, de Sacramentis.

Quid est Sacramentum?

Au.l.3. de doc Chri. et Cate. rud. Am. li. 4. de Sac. Con. Fl. & Later. Concil. Floren. Cōstāt. & Tri. Concil. Floren.

Est inuisibilis gratiæ signum visibile, ad nostram sanctificationem diuinitus institutum. Aliud est enim quod in sacramento videmus, aliud quod in eo accipimus. Signum videmus externum: occultam verò & spiritualem gratiā, quæ res dicitur sacramenti, accipimus.

Quot sunt Sacramenta?

Septem, quę à Christo Domino instituta, ab Apostolis tradita, & in Ecclesia Catholica semper conseruata ad nos vsque peruenerunt. Sunt autem hæc, Baptismus, Confirmatio, Eucharistia, Pœnitentia, Extrema vnctio, Ordo, Matrimonium.

Quare Sacramenta veneranda, & summo in prætio habenda sunt.

Primum quidem, quia à Deo & Christo Domino in lege noua instituta: deinde, quia gratiā Dei nobis necessariam, eamq; vberrimam non modò significant, verumetiam ceu vasa quædā sacra diuini spiritus continent, & ritè suscipientibus conferunt: adhæc, quoniam aduersus peccatum præsentissima sunt remedia, seu diuina medicamēta nostri Samaritani, postremò, quia bonis gratiam habentibus, eam ipsam conser-

uant

uant,augent, amplificant. Luc.1

Cur Scaramentis cæremoniæ solennes & Ecclesiasticæ adhibentur?

Multis profectò & grauibus de causis. Primum, vt Sacramentorum administrationẽ spectantes admoneantur, nihil hîc profanum, sed arcana quædam, & diuinis plena mysteriis geri, quæ singularem reuerentiam exigant: Deinde, vt ad Sacramenta ipsa accedentibus cultũ promoueant interiorem, quem Deus præcipuè postulat, & cuius veluti signa, testimonia & exercitia sint cæremoniæ. Præterea, vt Sacramenta ministrantes maiori cũ dignitate & fructu munus suum obeant, dum veteris Ecclesiæ institutis, Sanctorumq; Patrum vestigiis fideliter inhærent. Constat etenim huiusmodi cæremonias plerasque inde à temporibus Apostolorũ, per continuam successionem ad nos vsque in Ecclesia perseuerasse. His demum retinetur honesta religiosaq; disciplina, his fouetur publica tranquillitas, quæ sæpè rituum externorum aut immutatione, aut innouatione grauiter interturbatur. Ioa. 3

Quid est Baptismus? Ad Ti

Primum maximeque necessarium legis nouę sacramentum, quod semel in aqua confertur, quo spiritualiter renascimur, & peccatorum ple- 3. Rom.6 Gal. 3

na remiſſione percepta, in filios Dei adoptamur, hæredesque vitæ cęleſtis aſcribimur.

Quid eſt Confirmatio.

Act. 8. Eſt baptizatis collatum ab epiſcopo ſacramē-
& 19. tum, in quo per ſanctum Chriſma, & verba ſa-
Concil. croſancta confertur gratia, & robur ſpiritus ad-
Florēt. ditur, tum ad firmiter credendum, tum ad no-
Aurel. men Domini, quando ſic eſt opus, liberè con-
Meldē. fitendum.

Quot ſunt præcipua de Euchariſtiæ doctrina Capita ſcitu neceſſaria?

Quinque; Primum eſt eius Veritas. Alterum eſt panis & vini in Chriſti corpus, & ſanguinē
Mat. 26 conuerſio. Tertium, adoratio debita. Quartum,
Mar. 14 eius oblatio: Quintum & poſtremum, eiuſdem
Luc. 22 ſacramenti ſumptio.
Ioan. 6 *Quæ eſt veritas ſacramenti Euchariſtiæ?*
1. *Co.* 10 Nimirum hæc, Chriſtum verum Deum ac
& 11. hominem verè ac integrè in hoc ſacramento
Co. La. contineri, & nobis adeſſe, vbi Sacerdos ritè or-
Ephe. dinatus panem & vinum verbis illis arcanis &
Conſt. à Chriſto traditis conſecrarit.
Ma. 26 *Quæ ſit conuerſio per verba illa, quibus hoc Sacra-*
& loca *mentum Sacerdos conſecrat?*
iā cita- Ea, vt per ipſa verba operante Chriſto, panis
ta ſupe & vinum in corpus & ſanguinem Dominicum
perius. conuertantur ac tranſſubſtantientur, atq; ita pa

nis

nis & vinum esse desinant in Eucharistia.

Quæ Sacramento huic debetur adoratio?

Eadem sane, quæ Christo Domino ac æterno Deo debetur, quippe quem illic præsentem agnoscimus. Ideoque religioso cùm corporis, tum animi cultu, vtar est, hoc Sacramẽtum supplices veneramur.

Mat. 4. Ap. 14. Ps. 98. & 9. 4. Heb. 1. Mal. 1. Da. 12.

Quare censetur hoc Sacramentum oblatio?

Quia est legis nouæ sacrificium, & oblatio munda, cruentis legis Iudaicæ sacrificiis incruẽta succedens, quæ pro viuis ac defunctis Christi fidelibus in Missa offertur ac celebratur. Vnde fit, vt Eucharistia non solum à fideli populo sumatur, sed etiam pro peccatis a Sacerdotibus ad Dominicæ passionis ac mortis continuam cõmemorationem quotidie immoletur, semperq́; oblata fuerit in Ecclesia Dei.

Ps. 109. 1. Co. 10. Cã. Apostolo. 3. & 8. Cõc. Nicæ. & Eph.

Quid in Sacramenti huius sumptione seruandum?

Quod fides & authoritas sanctæ matris Ecclesię docet, videlicet, Christiano laico sat esse, sub vna specie panis totum Christum accipere: & ex hac sumptione consequi, vt, qui non indignè accesserit, ingentem Dei gratiam, ac æternam quoque vitam obtineat, qui verus ac integer Sacramenti huius fructus existit: eoque fit efficacior, quo sæpius sacra & salutaris illa communio dignè iteratur.

Ma. 26. Heb. 5. C. Con. & Basi. Lu. 24. Act. 2. & 20. Chrysost.

Quid est Pænitentia?

in Mat. Est secunda post naufragium tabula, & necessarium relapsis Sacramentum, in quo remissio peccatorum & à reis petitur, & à sacerdotibus tribuitur.

Theph. Beda. Ioã. 20

Quot sunt partes & actiones Pænitentiæ?

Iaco. 5. Concil. Floren. Tres: Contritio, vel dolor animi peccata sua detestantis, & ad vitam meliorem adspirantis. Confessio, seu peccatorum suorum coram Sacerdote facta explicatio: & Satisfactio denique, seu vindicta punitioque criminum de se ipso sumpta, ad præstandos fructus dignos pœnitentiæ.

Ps. 50. Iaco. 5. Mat. 3

Quid est extrema Vnctio?

Est sacramentum, quo ægroti per oleum sacrũ & verba Christi in magnis morbi molestijs releuantur, vt felicius ex hoc mundo demigrent, & corpora etiam, si ita expedit, sanitati restituantur.

Iaco. 5. Concil. Floren. Mat. 10 1. Ti. 3.

Quid est Ordo?

Est sacramentum, quo Sacerdotibus alijsque ministris Ecclesiæ potestas confertur ad Ecclesiastica munia ritè decenterque obeunda.

Act. 13

Quid postremò est Matrimonium?

Gene. 2 Mat. 19 1. Co. 7 Ephe. 5 Sacramentum, quo vir & mulier legitimè contrahentes, indiuiduam vitæ societatem ineunt, gratiaque diuina donantur, tùm vt soboles honestè & Christianè suscipiatur ac educetur, tùm vt

fœdæ

fœdæ libidinis & incontinentiæ peccatum euitetur.

Eſt ne inter Sacramenta diſcrimen?

Eſt ſanè: Baptiſmus enim, Confirmatio & Ordo ſemel collata, nunquam iterantur, ſicuti cętera. Item Baptiſmus neceſſario ſuſcipitur ab omnibus, Euchariſtia à ratione vtentibus, & à relapſis Pænitentia. Arbitrarium eſt autem vti reliquis, modò nullum contemnas, aut irreuerenter ſumas, illudúe cùm ſumendi tempus eſt, negligas,

CAPVT QVINTVM.

De officiis iuſtitiæ Chriſtianæ.

Quot ſunt offitia Iuſtitiæ Chriſtianæ?

Hæc duo, Declina à malo ſiue peccato, & fac bonum, ſiue officium Iuſtitiæ. *Pſ. 36.* *1. Ioã.*

Quid poteſt homo cauere peccatum, & bonum facere, ſeu præſtare Iuſtitiam? *Eſa. 1.*

Non id per ſe quidem, ſed Chriſti gratia ac ſpiritu inſtructus Chriſtianus poteſt ac debet, quantum huius quidem vitæ ſtatus admittit, iuſtè viuere, & legem implere. *Ioan. 5* *2. Co. 3* *Luc. 1.* *Rom. 8*

Quotuplex peccatum eſt? *Tit. 3.*

Duplex, Originale, & Actuale. *Rom 6*

Quid eſt Originale? *Act. 2.*

Quod ab ortu nobis congenitũ, per Baptiſmum in Chriſto condonatur.

Quid Actuale?

Dictum, factum, vel concupitũ, contra, vel præter legem Dei aut Ecclesiæ.

Quotuplex Actuale?

Ephe.8 Duplex, Mortale, sic dictum, quia mortem
Iaco.1. animæ præsentem adfert: Anima enim quæ pec
Ez.18 cauerit, ipsa morietur. Et Veniale, vt cui venia facilè tribuitur, & sine quo ne iusti quidẽ viuũt.

Quibus gradibus ad peccatum deducimur?

Pro.11 His tribus, Suggestione, delectatione, consen
1.Ioã.1 su, seu deliberata voluntate peccandi.

Qui sunt supremi gradus peccantium?

Eorum, qui scientes ac prudentes ex mera peccant malitia, qui etiam de peccato ipso gloriantur, & qui bene monentibus obstrepunt, ac salutaria consilia prorsus contemnunt.

Quare peccatum fugiendum?

Psal.5. Quia Dominum Deum offendit, summum
Rom.2 bonum eripit, & summum affert malum peccan
Rom.6 ti, dum diuinam tollit fruitionem nunquam recuperandam, & pœnas ærumnasque homini accersit sempiternas.

Quæ dicuntur peccata capitalia?

Illa, ex quibus veluti capitibus & fontibus omnia alia peccata proficiscuntur.

Quot sunt peccata capitalia?

Septem; Superbia, Auaritia, Luxuria, Inui-

dia, Gula, Ira, Acidia.

Quæ ratione vitari & vinci hæc peccata poßunt?

Si Iesu Christi gratiæ cooperemur, peccatorum damna & pericula considerantes, & virtutes septem his peccatis contrarias exercentes. 2.Pe.

Quæ virtutes peccatis Capitalibus aduersantur?

Hę septem; Humilitas, Largitas, Castitas, Benignitas, Temperantia, Patientia, Deuotio, seu sedula pietas.

Quæ peccata in Spiritum sanctũ committi dicũtur?

Ea, quæ suà malitia sic diuinam excludunt Mat.1 gratiam, vt neq; in hoc seculo, nisi ægrè admodum, neq; in futuro remittantur.

Quot sunt peccata in Spiritum sanctum?

Sex, præsumptio de misericordia Dei, vel de impunitate peccati, Desperatio, Agnitę veritatis impugnatio, Fraternæ charitatis inuidentia, Obstinatio & Impœnitentia.

Quæ peccata in cælum clamare dicuntur?

Quæ per se vehementer abominanda sunt, & apertè humanę charitatis iura violant, vnde Ge.18. vindictam clamare perhibentur, & horrendis sępè modis in hac vita diuinitus vindicantur.

Quot sunt peccata in cælum clamantia?

Hæc quatuor, Homicidium voluntarium, Gen.4. peccatum Sodomiticum, oppressio pauperum, & 18. viduarum, atq; pupillorum; demum merces ope Ex.22.

 rario-

rariorum defraudata.

Quæ peccata dicuntur aliena?

Iaco. 5 Ea quę ab aliis quidem cõmittuntur, sed no-
Ps. 17. bis interim auctoribus, vel quoquo modo adiutoribus, aut saltem non impedientibus, vt idcirco nobis etiam imputentur.

Quot modis aliena peccata nobis imputantur?

Nouem his modis: Consilio, iussione, consensu, irritatione, laudatione seu adulatione, reticentia culpæ alienæ, conniuentia vel indulgentia, rei alienæ participatione, & praua facti alieni defensione.

Quæ dicuntur opera carnis?

Ea, quæ homines secundum carnem viuentes, & à Dei filiis spiritualibus degenerantes, committere solent.

Quæ sunt opera carnis?

Gala. 5 Paulus ea recenset in hunc modum: Manifesta sunt opera carnis, quæ sunt, Fornicatio, Immunditia, impudicitia, luxuria, idolorum seruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, dissensiones, sectæ, inuidiæ, homicidia, ębrietates, commessationes, & his similia, quæ prædico vobis, sicut prędixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non consequentur.

Est ne satis Christiano malum fugere, & à peccato declinare?

Nequaquam, sed præterea bonum agere, & virtutes exercere necesse est. Alioqui scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. Ps. 36. Esa. 1. Ro. 12 Iaco. 4.

Quid boni faciendum est Christiano?

In genere quidem quicquid boni lex naturalis, diuina vel humana præcipit vel ostendit. In specie verò, pro sua quisque vocatione præstare officium, & acceptæ Dei gratię cooperari cum gratiarum actione debet. omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. 1. Co. 7 Eph. 4. 2. Co 6 Colo. 2 Mat. 3 & 7.

Quæ sunt præcipua bonorum operum genera?

Ea, quibus sobriè, iustè, pieq; viuitur in hoc seculo, & per quæ itidem iusti magis magisque iustificantur, & sancti indies sanctificantur. Ad Ti. 2.

Quotuplicia sunt hæc operum bonorum genera?

Triplicia, vtpote Ieiunium, Eleemosyna seu Misericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna. 2. Co. 9 Iaco. 2 Ap. 21 Mat. 6

Quis est fructus bonorum operum?

Habēt ea promissionem ac mercedem huius & æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conseruant & augent; denique Christiani hominis vocationem certam faciunt atque consummant. Io 12. 1. Ti. 4 Ma 20 Ex. 23 Ioan. 3

Quid

Quid est Ieiunium?

.Co.7 Pe.1 Conc. Tagu. a. 35. & Bra a.2.c. Est certis diebus iuxta morem & præscriptũ Ecclesiæ carnibus abstinere, & saltem vnica cibi refectione in die contẽtum viuere frugalius. Sed si generatim hoc nomen accipias, Ieiunium est corporis quædam castigatio piè suscepta, vt vel caro spiritui subijciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Quid est Oratio?

Dama. Est mentis in Deum eleuatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis alijsque petimus, vel Deo benedicimus.

Quid est Eleemosyna, seu Misericordia?

Est beneficium, quo alterius miseriæ ex commiserationis affectu subuenimus.

Quotuplex genus est Eleemosynæ seu Misericordiæ?

Duplex: alia quippe sunt opera misericordiæ corporalia; alia verò spiritualia: quoniam vel ad corporalem vel ad spiritualem miseriam proximi subleuandam spectant.

Quot sunt opera misericordiæ corporalia?

Ma.25 Vide c. list.45 & 86. Septem: Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire.

Quot sunt opera misericordiæ spiritualia?

Sunt & ipsa septem, vti, Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere.

1. Th. Ro 1 Mat. & 18

Quæ sunt virtutes omnium præcipuæ?

Post Theologicas quidem illas, de quibus dictum est, Fidem & Spem & Charitatem, præcipuè sunt Cardinales, quæ Christianos cumprimis decent.

Quæ dicuntur Cardinales virtutes?

Quæ tanquam fontes aliarum & cardines, omnem honeste vitę rationem continent.

Amb. l. 1. Offic.

Quot sunt virtutes Cardinales?

Quatuor; Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo; quibus in Christo consequitur homo, vt prouidè iustè, temperatè ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo.

Augu. de spir tu & anima Sapi. 8 Tit. 2

Quæ dicuntur dona Spiritus sancti?

Septem illa, quæ super Christum requieuisse Propheta testatur, & quæ ab ipso, ceu fonte omnis gratiæ, in alios deriuantur: vt donum sapientiæ, donum intellectus, consilij, scientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Esa. 1 1. Io. 2

Quæ nam illa, quæ fructus spiritus vocantur?

Ea, quæ pij secundum spiritum viuentes operan-

Rom. 8

operantur, & per quæ ſpirituales, à carnalibus dignoſcuntur.

Qui ſunt fructus ſpiritus?

A Paulo Apoſtolo ſic numerantur: Chari-
Gala. 5 tas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.

Quæ dicuntur beatitudines Euangelicæ?

Illę propter quas in Euangelio etiam hi qui miſeri prorſus ac infelices mundo videntur, beati ac felices pronunciantur.

Quot ſunt Euangelicæ beatitudines

Mat. 5. Octo, quas ita Chriſtus in monte tradidit.
Luc. 6.

I.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum.

II.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terrã.

III.

Beati qui lugent, quoniã ipſi conſolabuntur.

IIII.

Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

V.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

VI.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

VII.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur.

VIII.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorũ.

Quæ dicuntur Euangelica consilia?

Videlicet, quæ per Euangelium non tanquam ad salutem necessaria; sed veluti suscipientibus magis expedita atque vtilia, à Christo non præcipiente quidem, sed consulente proponuntur. Mat.19

Quot sunt Euangelica consilia?

Principalia tria sunt, nimirum Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur. Act.4. Mat.9

Quæ hominis nouißima dicuntur?

Ea, quæ homini ad extremum accidunt, vt Mors, Iudicium, Infernus, & Cęlestis gloria, de quibus ita docet Sapiens, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

FINIS.

TESTIMONIA SCRIPTVRAE SACRAE, CONTRA HÆRETICOS IN PROMPTV

semper habenda.

Deu. 17 
I difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinẽ causam et causam, lepram & non lepram, & iudiciũ intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius sequerisque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.

Ibidem *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.*

De. 32 *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi: maiores*

maiores tuos, & dicent tibi.

Hæc dicit Dominus: State super vias & videte, & interrogate de semitis antiquis, quæ sit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus vestris. Hie.6.

Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent ex ore, eius, quia angelus Domini exercituum est. Mal.2

Audi fili mi disciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prou.1

Conserua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Prou.6

Ne transgrediaris terminos antiquos, quos posuerunt patres tui. Pro.22

Non te prætereat narratio seniorum. Ipsi enim didicerunt à patribus suis. Ab ipsis disces intellectum, & in tempore necessitatis dare responsum. Ecc. 8.

Videte ne quis vos seducat: surgent enim multi Pseudoprophetæ, & seducent multos. Tunc si quis vobis dixerit: Ecce hîc est Christus, aut ecce illic, nolite credere: & quoniam abundabit iniquitas, refrigescet charitas multorum. Qui autem perseuerauerit vsque in finem, hic saluus erit. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deserto est, nolite exire: Ecce in penetralibus nolite credere. Ma. 24

Qui

Lu. 10 *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.*

Ma. 23 *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò illorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.*

Mat. 16 *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.*

Lu. 22 *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

Ioh. 21 *Simon Ioannis diligis me? pasce agnos meos, pasce oues meas.*

Ma. 28 *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

Ioh. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum.*

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret

vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioã. 16

Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint. Ioã. 17

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ma. 18

Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Et multi sequentur eorum luxurias per quos via veritatis blasphemabitur: qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis. 2. Pe. 2 & 3.

Hoc primum scientes, quòd venient in nouißimis diebus in deceptione, illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Ibidem

Hoc est mandatum, vt quemadmodum audiuistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. 2. Io. 1

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Ibidem

Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coaceruabunt sibi magistros 2. Ti. 4

stros prurientes auribus.

Rogo autem vos fratres, vt obseruetis eos qui
Ro.16. *dissensiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didicistis, faciunt: & declinate ab illis: Huiusmodi enim Christo Domino non seruiunt, sed suo ventri, & per dulces sermones & benedictiones seducunt corda innocentium.*

Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Do-
2.The. 2. *mini nostri IESV Christi, vt subtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non secundum traditionem, quam acceperunt à nobis.*

2.The. 2. *Itaque fratres state, & tenete traditiones, quas didicistis, siue per sermonem siue per epistolam nostrã.*

Oportet hæreses esse, vt & qui probati sunt, ma-
1.Co.11 *nifesti fiant in vobis.*

Hæreticum hominem post vnam & secundam
Tit. 3. *correptionem deuita, sciens, quia subuersus est, qui eiusmodi est, delinquit, cùm sit proprio iudicio condemnatus.*

Si quis videtur contentiosus esse, nos talem con-
1.Co.11 *suetudinem non habemus, neque Ecclesia Dei.*

1.Ti.3 *Hæc tibi scribo, vt scias, quomodo oporteat te in domo Dei conuersari, quæ est Ecclesia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.*

He.13 *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Obedite præpositis vestris, & subiacete eis.*

1.Ti 6 *O Timothee, depositum custodi, deuitans propha-*

nas

nas vocum nouitates , & oppositiones falsi nominis scientiæ , quam quidam profitentes, circa fidem exciderunt.

Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo , qui vos vocauit in gratiam Christi , in aliud Euangelium : quod non est aliud , nisi sunt aliqui , qui vos conturbant.& volunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos , aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis,anathema sit. Gala.1

Vos autem Charißimi,memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri IESV *Christi , qui dicebant vobis: quoniam in nouißimis temporibus veniet illusores , secundum desideria sua ambulantes in impietatibus: Hi sunt, qui segregant semetipsos , animales spiritum non habentes. Hi sunt murmuratores querulosi , secundum desideria sua ambulantes,& os eorum loquitur superbiam.* Iudas Apostolus.

B. AVGVSTINI SENTENTIAE TRES NOTATV Dignissimæ.

FIRMISSIME *tene , & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos , sed etiam Iudæos, hæreticos atque schismaticos , qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam , in ignem æter* 1. Lib de fide ad Petrum

num ituros, qui paratus est Diabolo & angelis eius.

Firmißimè tene, & nullatenus dubites, quemli-
II. *bet hæreticum siue schismaticum, in nomine Patris, & Filii, &* Spiritus *sancti baptizatum, si Ecclesiæ* Catholicæ *non fuerit aggregatus, quantascunque eleemosynas fecerit, & si pro* Christi *nomine etiam sanguinem fuderit, nullatenus poße saluari. Omni enim homini qui Ecclesiæ* Catholicæ *non tenet vnitatem, neque baptismus, neque eleemosyna, quamlibet copiosa, neque mors pro nomine* Christi *suscepta proficere potest ad salutem, quamdiu in eo hæretica vel schismatica prauitas perseuerat, quæ ducit ad mortem.*

Firmißimè tene, & nullatenus dubites, non om-
II. *nes qui intrà Ecclesiam* Catholicam *baptizantur, accepturos esse vitam æternam: sed eos, qui percepto baptismate rectè viuunt, id est, qui abstinuerunt se à vitiis & concupiscentis carnis. Regnum enim cælorum sicut infideles hæretici atque schismatici non habebunt; sic* Catholici *criminosi poßidere nō poterūt.*


Sit nomen Domini benedictum in sæcula. Amen.



SENTENTIÆ EX MAGNO

ILLO THEOLOGO GREGORIO

Nazianzeno collectæ, quæ hominem vere Christianum, & Christianæ Philosophum efficere queant.



RINCIPIVM tibi ſit finiat omnia CHRISTVS.

DEVM primùm time, parentes cole, ſacerdotes lauda, ſenes venerare.

Deo dante nihil poteſt liuor: eodem abnuente nihil poteſt labor.

Perpetuam ſempiternæ gloriæ curam habe: Nam hæc præſens quotidie homines fallit.

Rota eſt incertè fixa, breuis hæc & multiplex vita. Sùrſum mouetur ac deorſum trahitur.

Mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium.

Eruditio maximum eſt hominibus in hac vita decus atque ornamentum: cæterum his qui ea abutuntur, pernicioſa.

Mercatum hanc vitam exiſtima. Si negociatus fueris, quæſtum facies. Vt enim parua magnis, ſic ſempiterna fluxis fragilibusque rebus commutantur. Quòd ſi nundinarum tempus tibi fluere ſinas, nullum aliud poſtea es habiturus.

rariorum defraudata.

Quæ peccata dicuntur aliena?

Iaco. 5 Ea quę ab aliis quidem cõmittuntur, ſed no-
Pſ. 17. bis interim auctoribus, vel quoquo modo adiutoribus, aut ſaltem non impedientibus, vt idcirco nobis etiam imputentur.

Quot modis aliena peccata nobis imputantur?

Nouem his modis: Conſilio, iuſſione, conſenſu, irritatione, laudatione ſeu adulatione, reticentia culpæ alienæ, conniuentia vel indulgentia, rei alienæ participatione, & praua facti alieni defenſione.

Quæ dicuntur opera carnis?

Ea, quæ homines ſecundum carnem viuentes, & à Dei filiis ſpiritualibus degenerantes, committere ſolent.

Quæ ſunt opera carnis?

Gala. 5 Paulus ea recenſet in hunc modum: Manife-
1 ſta ſunt opera carnis, quæ ſunt, Fornicatio, Im-
2 munditia, impudicitia, luxuria, idolorum ſeruitus, veneficia, inimicitiæ, contentiones, æmulationes, rixæ, diſſenſiones, ſectæ, inuidiæ, homicidia, ebrietates, commeſſationes, & his ſimilia, quæ prædico vobis, ſicut prędixi, quoniam qui talia agunt, regnum Dei non conſequentur.

Est ne satis Christiano malum fugere, & à peccato declinare?

Nequaquam, sed præterea bonum agere, & virtutes exercere necesse est. Alioqui scienti bonum, & non facienti, peccatum est illi. *Ps. 36. Esa. 1. Ro. 12 Iaco. 4.*

Quid boni faciendum est Christiano?

In genere quidem quicquid boni lex naturalis, diuina vel humana præcipit vel ostendit. In specie verò, pro sua quisque vocatione præstare officium, & acceptæ Dei gratiç cooperari cum gratiarum actione debet. omnis enim arbor, quæ non facit fructum bonum, excidetur, & in ignem mittetur. *1. Co. 7 Eph. 4. 2. Co. 6 Colo. 2 Mat. 3 & 7.*

Quæ sunt præcipua bonorum operum genera?

Ea, quibus sobriè, iustè, pieq; viuitur in hoc seculo, & per quæ itidem iusti magis magisque iustificantur, & sancti indies sanctificantur. *Ad Ti. 2.*

Quotuplicia sunt hæc operum bonorum genera?

Triplicia, vtpote Ieiunium, Eleemosyna seu Misericordia, & Oratio, de quibus ita legimus: Bona est oratio cum ieiunio, & eleemosyna. *2. Co. 7 Iaco. 2 Ap. 21 Mat. 6*

Quis est fructus bonorum operum?

Habét ea promissionem ac mercedem huius & æternæ vitæ, Deum placant, gratiam conseruant & augent; denique Christiani hominis vocationem certam faciunt atque consummant. *To. 12. 1. Ti. 4 Ma 20 Ex. 23 Ioan. 3*

Quid est Ieiunium?

.Co.7 Pe.1 Conc. Magũ. a. 35. & Brã a.2.c. 3. Dama. Est certis diebus iuxta morem & præscriptũ Ecclesiæ carnibus abstinere, & saltem vnica cibi refectione in die contẽtum viuere frugalius. Sed si generatim hoc nomen accipias, Ieiunium est corporis quædam castigatio piè suscepta, vt vel caro spiritui subijciatur, vel obedientia exerceatur, vel Dei gratia impetretur.

Quid est Oratio?

Est mentis in Deum eleuatio, per quam vel mala deprecamur, vel bona nobis alijsque petimus, vel Deo benedicimus.

Quid est Eleemosyna, seu Misericordia?

Est beneficium, quo alterius miseriæ ex commiserationis affectu subuenimus.

Quotuplex genus est Eleemosynæ seu Misericordiæ?

Duplex: alia quippe sunt opera misericordiæ corporalia; alia verò spiritualia: quoniam vel ad corporalem vel ad spiritualem miseriam proximi subleuandam spectant.

Quot sunt opera misericordiæ corporalia?

Ma.25 Vide c. dist.45 & 86. Septem: Esurientes pascere, potum dare sitientibus, operire nudos, captiuos redimere, ægrotos inuisere, hospitio peregrinos suscipere, mortuos sepelire.

Quot sunt opera misericordiæ spirtiualia?

Sunt & ipsa septem, vti, Peccantes corrigere, ignorantes docere, dubitantibus rectè consulere, pro salute proximi Deum orare, consolari mœstos, ferre patienter iniurias, offensam remittere.

1. Th. Ro 15 Mat. 6 & 18.

Quæ sunt virtutes omnium præcipuæ?

Post Theologicas quidem illas, de quibus dictum est, Fidem & Spem & Charitatem, præcipuè sunt Cardinales, quæ Christianos cumprimis decent.

Quæ dicuntur Cardinales virtutes?

Quæ tanquam fontes aliarum & cardines, omnem honeste vitę rationem continent.

Quot sunt virtutes Cardinales?

Quatuor; Prudentia, Iustitia, Temperantia, Fortitudo; quibus in Christo consequitur homo, vt prouidè iustè, temperatè ac fortiter in omni vita degat, ac placeat Deo.

Amb. l. 1. Offic. Augu. de spiritu & anima. Sapi. 8 Tit. 2.

Quæ dicuntur dona Spiritus sancti?

Septem illa, quæ super Christum requieuisse Propheta testatur, & quæ ab ipso, ceu fonte omnis gratiæ, in alios deriuantur: vt donum sapientiæ, donum intellectus, consilij, scientiæ, fortitudinis, pietatis, ac timoris Domini.

Esa. 11 1. Io. 2.

Quænam illa, quæ fructus spiritus vocantur?

Ea, quæ pij secundum spiritum viuentes operan-

Rom. 8

operantur, & per quæ ſpirituales, à carnalibus dignoſcuntur.

Qui ſunt fructus ſpiritus?

Gala. 5 A Paulo Apoſtolo ſic numerantur: Charitas, gaudium, pax, patientia, longanimitas, bonitas, benignitas, manſuetudo, fides, modeſtia, continentia, caſtitas.

Quæ dicuntur beatitudines Euangelicæ?

Illę propter quas in Euangelio etiam hi qui miſeri prorſus ac infelices mundo videntur, beati ac felices pronunciantur.

Quot ſunt Euangelicæ beatitudines

Mat. 5. Octo, quas ita Christus in monte tradidit.

Luc. 6. I.

Beati pauperes ſpiritu, quoniam ipſorum eſt regnum cęlorum.

II.

Beati mites, quoniam ipſi poſſidebunt terrã.

III.

Beati qui lugent, quoniã ipſi conſolabuntur.

IIII.

Beati qui eſuriunt, & ſitiunt iuſtitiam, quoniam ipſi ſaturabuntur.

V.

Beati miſericordes, quoniam ipſi miſericordiam conſequentur.

VI.

Beati mundo corde, quoniam ipsi Deum videbunt.

VII.

Beati pacifici, quoniam filij Dei vocabũtur.

VIII.

Beati qui persecutionem patiuntur propter iustitiam, quoniam ipsorum est regnum cęlorũ.

Quæ dicuntur Euangelica consilia?

Videlicet, quæ per Euangelium non tanquam ad salutem necessaria; sed veluti suscipientibus magis expedita atque vtilia, à Christo non præcipiente quidem, sed consulente proponuntnr. Mat. 19

Quot sunt Euangelica consilia?


Principalia tria sunt, nimirum Paupertas voluntaria, Castitas perpetua, & Obedientia integra, quæ propter Deum homini religiosè exhibetur. Act. 4. Mat. 9

Quæ hominis nouissima dicuntur?

Ea, quæ homini ad extremum accidunt, vt Mors, Iudicium, Infernus, & Cęlestis gloria, de quibus ita docet Sapiens, In omnibus operibus tuis memorare nouissima tua, & in æternum non peccabis.

FINIS.

TESTIMONIA SCRIPTVRAE SACRAE, CONTRA HÆRETICOS IN PROMPTV semper habenda.

Deu. 17 

I difficile & ambiguum apud te iudicium esse perspexeris, inter sanguinem, & sanguinē causam et causam, lepram & non lepram, & iudiciū intra portas tuas videris verba variari, surge, & ascende ad locum, quem elegerit Dominus Deus tuus, veniesq; ad sacerdotes Leuitici generis, & ad iudicem qui fuerit illo tempore: quærésque ab eis, qui indicabunt tibi iudicii veritatem, & facies quodcunque dixerint, qui præsunt loco, quem elegerit Dominus, & docuerint te iuxta legem eius sequerísque sententiam eorum, nec declinabis ad dexteram, neque ad sinistram.

Ibidem *Qui superbierit, nolens obedire sacerdotis imperio, qui eo tempore ministrat Domino Deo tuo, ex decreto iudicis morietur homo ille, & auferes malum de Israel: cunctusq; populus audiens timebit, vt nullus deinceps intumescat superbia.*

De. 32 *Interroga patrem tuum, & annuntiabit tibi:*

maiores

maiores tuos, & dicent tibi.

Hæc dicit Dominus: State ſuper vias & videte, & interrogate de ſemitis antiquis, quæ ſit via bona, & ambulate in ea, & inuenietis refrigerium animabus veſtris. Hie.6.

Labia ſacerdotis cuſtodiunt ſcientiam, & legem requirent ex ore, eius, quia angelus Domini exercituum eſt. Mal.2

Audi fili mi diſciplinam patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ, vt addatur gratia capiti tuo, & torques collo tuo. Prou.1

Conſerua fili mi præcepta patris tui, & ne dimittas legem matris tuæ: liga eam in corde tuo iugiter, & circunda gutturi tuo. Prou.6

Ne tranſgrediaris terminos antiquos, quos poſuerunt patres tui. Pro.22

Non te prætereat narratio ſeniorum. Ipſi enim didicerunt à patribus ſuis. Ab ipſis diſces intellectum, & in tempore neceſſitatis dare reſponſum. Ecc.8.

Videte ne quis vos ſeducat: ſurgent enim multi Pſeudoprophetæ, & ſeducent multos. Tunc ſi quis vobis dixerit: Ecce hic eſt Chriſtus, aut ecce illic, nolite credere: & quoniam abundabit iniquitas, refrigeſcet charitas multorum. Qui autem perſeuerauerit vſque in finem, hic ſaluus erit. Si ergo dixerint vobis: Ecce in deſerto eſt, nolite exire: Ecce in penetralibus nolite credere. Ma.24

Lu. 10 *Qui vos audit, me audit; qui vos spernit, me spernit: qui autem me spernit, spernit eum, qui misit me.*

Ma. 23 *Omnia ergo, quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: secundum opera verò illorum nolite facere. Dicunt enim, & non faciunt.*

Mat. 16 *Et ego dico tibi: quia tu es Petrus, & super hanc petram ædificabo Ecclesiam meam, & portæ inferi non præualebunt aduersus eam. Et tibi dabo claues regni cælorum, & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: Et quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis.*

Lu. 22 *Simon, ecce Satanas expetiuit vos, vt cribraret sicut triticum. Ego autem rogaui pro te, vt non deficiat fides tua.*

Ioh. 21 *Simon Ioannis diligis me? pasce agnos meos, pasce oues meas.*

Ma. 28 *Et ecce ego vobiscum sum omnibus diebus, vsque ad consummationem sæculi.*

Ioã. 14. *Ego rogabo patrem, & alium paracletum dabit vobis, vt maneat vobiscum in æternum, spiritum veritatis, quem mundus non potest accipere: quia non videt eum, nec scit eum. Vos autem cognoscetis eum.*

Non relinquam vos orphanos, veniam ad vos. Paracletus autem spiritus sanctus, quem mittet pater in nomine meo, ille vos docebit omnia, & suggeret

vobis

vobis omnia, quæcunque dixero vobis.

Adhuc multa habeo vobis dicere, sed non potestis portare modò. Cùm autem venerit ille spiritus veritatis, docebit vos omnem veritatem. Ioã. 16

Non pro eis rogo tantùm, sed & pro eis qui credituri sunt per verbum eorum in me: vt omnes vnum sint, sicut tu pater in me, & ego in te: vt & ipsi in nobis vnum sint. Ioã. 17

Si autem Ecclesiam non audierit, sit tibi sicut ethnicus & publicanus. Ma. 18

Fuerunt verò & pseudoprophetæ in populo, sicut & in vobis erunt magistri mendaces, qui introducent sectas perditionis. Et multi sequentur eorum luxurias per quos via veritatis blasphemabitur: qui in errore conuersantur: libertatem illis promittentes, cùm ipsi serui sint corruptionis. 2. Pe. 2 & 3.

Hoc primum scientes, quòd venient in nouißimis diebus in deceptione, illusores, iuxta proprias concupiscentias ambulantes. Ibidem

Hoc est mandatum, vt quemadmodum audiuistis ab initio, in eo ambuletis: quoniam multi seductores exierunt in mundum. Omnis qui recedit, & non permanet in doctrina Christi, Deum non habet. 2. Io. 1

Si quis venit ad vos, & hanc doctrinam nõ affert: nolite recipere eum in domum, nec Aue ei dixeritis. Ibidem

Erit tempus cùm sanam doctrinam non sustinebunt, sed ad sua desideria coacervabunt sibi magistros 2. Ti. 4

 stros

ſtros prurientes auribus.

Ro.16. *Rogo autem vos fratres, vt obſeruetis eos qui diſſenſiones & offendicula præter doctrinam, quam vos didiciſtis, faciunt: & declinate ab illis: Huiuſmodi enim Chriſto Domino non ſeruiunt, ſed ſuo ventri, & per dulces ſermones & benedictiones ſeducunt corda innocentium.*

2.The. 2. *Denuntiamus autem vobis fratres in nomine Domini noſtri* IESV *Chriſti, vt ſubtrahatis vos ab omni fratre ambulante inordinatè, & non ſecundum traditionem, quam acceperunt à nobis.*

2.The. 2. *Itaque fratres ſtate, & tenete traditiones, quas didiciſtis, ſiue per ſermonem ſiue per epiſtolam noſtrā.*

1.Co.11 *Oportet hæreſes eſſe, vt & qui probati ſunt, manifeſti fiant in vobis.*

Tit. 3. *Hæreticum hominem poſt vnam & ſecundam correptionem deuita, ſciens, quia ſubuerſus eſt, qui eiuſmodi eſt, delinquit, cùm ſit proprio iudicio condemnatus.*

1.Co.11 *Si quis videtur contentioſus eſſe, nos talem conſuetudinem non habemus, neque Eccleſia Dei.*

1.Ti.3 *Hæc tibi ſcribo, vt ſcias, quomodo oporteat te in domo Dei conuerſari, quæ eſt Eccleſia Dei viui, columna & firmamentum veritatis.*

He.13 *Doctrinis variis & peregrinis nolite abduci. Obedite præpoſitis veſtris, & ſubiacete eis.*

1.Ti 6 *O Timothee, depoſitum cuſtodi, deuitans propha-*

nas

nas vocum nouitates, & oppositiones falsi nominis scientiæ, quam quidam profitentes, circa fidem exciderunt.

Miror quòd sic tam citò transferimini ab eo, qui vos vocauit in gratiam Christi, in aliud Euangelium: quod non est aliud, nisi sunt aliqui, qui vos conturbant. & volunt conuertere Euangelium Christi. Sed licet nos, aut Angelus de cælo euangelizet vobis præterquam quod euangelizauimus vobis, anathema sit. Gala.

Vos autem Charissimi, memores estote verborum, quæ prædicta sunt ab Apostolis Domini nostri IESV *Christi, qui dicebant vobis: quoniam in nouissimis temporibus veniet illusores, secundum desideria sua ambulantes in impietatibus: Hi sunt, qui segregant semetipsos, animales spiritum non habentes. Hi sunt murmuratores querulosi, secundum desideria sua ambulantes, & os eorum loquitur superbiam.* Iudas Apostolus.

B. AVGVSTINI SENTENTIAE TRES NOTATV Dignissimæ.

F*IRMISSIME tene, & nullatenus dubites, non solùm omnes Paganos, sed etiam Iudæos, hæreticos atque schismaticos, qui extra Ecclesiam Catholicam præsentem finiunt vitam, in ignem æter-* 1. Lib de fide ad Petrum

SENTENTIÆ EX MAGNO

ILLO THEOLOGO GREGORIO

Nazianzeno collectæ, quæ hominem vere Christianum, & Christianæ Philosophum efficere queant.

PRINCIPIVM tibi ſit finiat omnia CHRISTVS.

DEVM primùm time, parentes cole, ſacerdotes lauda, ſenes venerare.

Deo dante nihil poteſt liuor: eodem abnuente nihil poteſt labor.

Perpetuam ſempiternæ gloriæ curam habe: Nam hæc præſens quotidie homines fallit.

Rota eſt incertè fixa, breuis hæc & multiplex vita. Sùrſum mouetur ac deorſum trahitur.

Mentis guttam pluris facio, quàm fortunæ dolium.

Eruditio maximum eſt hominibus in hac vita decus atque ornamentum: cæterum his qui ea abutuntur, pernicioſa.

Mercatum hanc vitam exiſtima. Si negociatus fueris, quæſtum facies. Vt enim parua magnis, ſic ſempiterna fluxis fragilibusque rebus commutantur. Quòd ſi nundinarum tempus tibi fluere ſinas, nullum aliud poſtea es habiturus.

Nec ſupra modum confide, nec rurſus nimis animum deſponde. Illud enim te emollit ac diſſoluit:hoc prorſus euertit.
Nemo iratus tutò deliberationes habet. Quæ enim cum ira geruntur, conſilio carent.
Præclaris virtutum dotibus teipſum exorna: nec interim pauperem orphanum contēne.
Nemo apertè ignauus bellica vnquam laude floruit: victoriæ enim ſuo quodam iure laudes expoſcunt.
Auro loquente iners eſt omnis oratio: perſuadet enim illud, etiamſi vocem nullam edat.
Paupertas grauis eſt; grauior mala copia rerum.
Optimus hic vitæ quæſtus decreſcere cenſu.
Caue ne te inanis gloriæ cupiditas vllo modo abripiat: ea enim ſimplicioribus animis callidè inſidiari ſolet.
Cùm rectè atque ex virtute aliquid facies, dà operam, vt in eo perſtes: celer enim ad vitium curſus eſt.
Riſus compeſcatur, ira finem capiat: otioſus autem ſermo prorſus arceatur.
Aut à docendi munere abſtine, aut moribus vitæque probitate doce? ne alioquin diſcipulos altera manu trahas, altera repellas.
Minus tibi ſermone opus erit, quæ facto

opus

opus sunt facienti. Pictor non tam sermone quàm penicillo atque exemplo docet.

Mutum opus, otioso atque inerti sermone præstantius habendum est. Non loquentibus, sed bene viuentibus gratiam suam Deus impertit.

Præclarissimum Deo munus est morùm integritas.

Ingens quidem nobis cursus propositus est: cæterum ingentius præmium.

Noli pręcipiti animi impetu res aggredi: sed in his quæ semel tibi statuta sunt, persta. Præstat paulatim in virtute progredi, paruasque quotidie accessiones facere.

Ingentem flammam perexigua quoque scintilla excitat: & viperæ semen, homini sæpe exitium inuexit. Proinde cura, vt leuissimam quoque noxam fugias. Tametsi enim ea primò exigua & minuta sit: postea tamen in magnitudinem ingentem excrescit.

Accuratiori studio in teipsum, quàm in aliorum vitam inquire: illo enim modo fructus ad te redierit. Melius est vitę, morum, & actionum, quàm pecuniarum rationem subducere. Hæ quippe caducę, corruptionique obnoxiæ sunt: illæ firmæ & stabiles.

Perpetua tibi ea sit cura, vt mens tua diuinis

cogitationibus ſalutiferisq; ſermonibus informetur.

Ad turpes & vitioſos ſermones, atque inconcinnos iucundarum cantionum modulos aures velut cera obſtructas habe: bonis contrà præclaris ſemper pateant.

Linguam coërcere. Ipſa enim & ad lædendum procliuior eſt: & quamlibet egregiè moueatur: minorem tamen vtilitatem parit.

Nec odorum muliebres laſciuiæ, nec leuium & politarum rerum contactus, nec denique ciborum ſuauitas cupedięque admodum te emolliant. Quid enim vnquam ſtrenuo viro dignum gerere queas, ſi ab eiuſmodi rebus te vinci ſinas?

Pulchritudinem exiſtima mentis elegātiam, nō quam manus pingunt, aut temporis diuturnitas delet; ſed quæ ex prudentis mentis aſpectu innoteſcit. Contrà verò deformitatem, animi turpitudinem, morumque obſcœnitatem eſſe cenſe.

Nec quamlibet gloriam, nec magno opere conſectare. Præſtat bonum eſſe quàm videri. Quid ſimiæ prodeſt, ſi leo exiſtimetur.

Alios quidem lauda: laudatus autem ipſe ne animos tollas. Metuendum enim eſt, ne ab his laudibus quæ tibi tribuuntur, abſis. Nec

verò

verò alium ſtatim laudes, priuſquàm eius periculum feceris: ne alioquin ſi malus ipſe comperiatur erubeſcas.

Malè audire ſatius eſt, quam malè loqui. Quoties apud te quiſpiam alium dicteriis, ac ſannis inſectatus fuerit, vt animum tuum hac ratione oblectet, teipſum ſugillari exiſtima. Sic enim futurum, eſt, vt huiuſmodi ſermone grauiſſimè offendaris.

Ne quid proſperè nauigans magnificè dicas, antequam ad portum appuleris. Multis enim hoc accidit, vt cùm ſecundo curſu nauigaſſent, in ipſo portu naufragium fecerint.

Omnia tua profunde, Deumque vnum acquire. Alienorum enim bonorum es diſpenſator. Quòd ſi nō omnia vis, maiorem ſaltem partem profunde: ſi ne hoc quidem abs te impetrari poteſt, ſuperuacaneis certè opibus pietatem exerce.

Præclarum eſt aliquid tineis atque inuidiæ eripere. Debitorem Chriſtum habere præſtat, quàm omnia poſſidere: quia regnum etiam cæleſte pro vnico panis fruſto elargitur. Pauperem alens, Chriſtum tegis & alis.

Ingenuum ac ſeruum mores efficiunt. Nam Chriſtus quoque ſeruus conſpectus eſt, qui tamen alios in libertatem aſſerebat.

Malum

Malum, te, non obſcurum atque ignobilem vocari pudeat. Generis enim nobilitas a pijs, ortum habet, qui iam olim computruerunt. Nobilitatis authorem poſteris eſſe præſtat, quàm à maioribus acceptam labefactare: quemadmodum bonum eſſe ſatius eſt, quàm à bonis originem traxiſſe.

Dei ſolius rerumque diuinarum inexplebili cupiditate flagra. In reliquis autem rebus ſuperari te æquo animo feras.

Nec in omnibus rebus, nec ſemper victoriam adipiſci contende. Rectè vinci præſtat, quàm malam victoriam obtinere.

Interdum detrimento aliquo affici ſuſtine. Nam id non rarò in lucrum cedit: quemadmodum & plantæ, vt vberiores fructus ferant, putari ſolent.

Si nulli ſupplicio apud Deum obnoxius es, non recuſo, quo minus iis qui tibi debent, miſericordiam neges. Si autem debitorem te agnoſcis, clementiam prius eroga. Miſericordia enim, lenitate ac miſericordia apud Deũ expenditur.

Si quando animus tuus acceptæ iniuriæ dolore exarſerit, fac tibi Chriſtus Chriſtique vulnera in memoriam veniant, quantulaque pars hæc ſint eorum, quæ Dominus tuus perpeſſus

pessus est. Hac ratione animi dolorem velut aspersa aqua extinxeris.

Libido ebrietas, inuidia, dæmon, æqualia sunt. Ad quemcunque enim horum aliquid accesserit, mentem obruit. Horum remedia corporis maceratio, oratio, lachrymæ. Huiusmodi quippe medicamentis morbi mei depelluntur.

Iusiurandum omne fuge. Periurium, Dei abiuratio est. Duplici autem modo Deus abiuratur, sermone ac vita. Quid tibi Deum testem adhibere necesse est? mores tantùm interpone.

Quodnam benignitatis compendiosius præceptum est? Talem te erga amicos ac proximos præbe, quales eos erga te experiri cupis.

Fido ac certò amico nihil par esse puta, quem non poculum, sed aduersa tempestas explorauit. Inimicitiæ modus finisque tibi sit: amicitiæ autem nullus.

Cùm quid turpe cogitas, multos tibi adesse existima, teque ipsum verere.

Bonos malis semper antepone. Cum malis consuetudinem habens, malus vtique futurus es. A malo homine nunquam beneficium accipe. Huiusmodi enim benignitate nihil

aliud,

aliud, quã sceleribus suis impunitatẽ quærit.

Bonis gratiam refer: malos aspernare: vel potius hoc eos beneficio affice, vt nihil mali ipsis inferas. Sic enim ipsos quoque temporis progressu bonos efficies.

Omnibus quidem, si fieri potest, benignum te præbe: propinquos autem prolixiori benignitate complectere. Quis enim alioquin adduci poterit, vt credat te exteris bonum fore, si erga eos, quibus benignitas iure debetur, iustitiam minimè colas?

Quid nos omnibus in rebus miserum hostem accusamus, eique noxas omnes nostras adscribimus, cùm ipsi scelerata nostra viuendi ratione potestatem demus? Tibi ipsi vel soli, vel potissimum succense. Ignis enim noster est: flamma autem aduersi spiritus.

Insomniorum ludibria ne admodum sequaris: nec mens tua quarumlibet rerum cupiditate concitetur: nec denique secundarum rerum specie nimium te attollas. Hæc enim plerumque hostis nostri sunt insidiæ.

Prudentiam fortuna tutiorem esse cense. Hæc enim rerum leuis ac temerarius est impetus: illa gubernatrix.

Potentiam tuam agendique facultatem non in inferendo malo, sed in bene merendo ostẽde.

Fætido

Fœtido ac impuro vasculo (animo scilicet nõdum purgato) vnguentum (diuinę gratiæ) minimè committi solet.

Nihil in animum admitte, quod cum optimę vitæ ratione pugnet.

In sempiternum æuum thesauriza. Nam huius vitæ thesauri plerunque etiam ante mortem nos deserunt. Opes eas ne ama, quas tempus delet. Nam quicquid tempus extruxit, idem etiam euertet.

Munera faciunt, vt sapientes quoque viri hallucinentur: atque vt aues laqueo, sic homines auro capiuntur.

Nullæ facultates amico præstantiores sunt: improbum autem hominem nunquam tibi amicum adsciscas.

Cùm semper salutis studio incumbendum est, tùm verò eo præsertim tempore, quo vitæ finis impendet. Quilibet se præparet: iudicium enim propinquum est.

ECCLEESIAST. III.

Altiora te ne quæsieris, & fortiora te ne scrutatus fueris: sed quę præcepit tibi Deus, illa cogita semper, & in pluribus operibus eius ne fueris curiosus.

IVDAS

IVDAS APOSTOLVS

ET QVI POTENS EST nos conseruare sine peccato, & constituere ante conspectum gloriæ suæ immaculatos in exultatione in aduentu Domini nostri IESV CHRISTI soli DEO saluatori nostro per IESVM CHRISTVM Dominnm nostrum gloria & magnificentia, imperium & potestas ante omnia secula, & nunc & in omnia secula seculorum, Amen.

FINIS.

AVGVSTÆ TAVRINORVM,
M. D. LXXXIII.





